This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

3 3433 08156416 7

LENOX LIBRARY



Robert Lenox Kennedy.

D
L35 T.e.1
v.4

T. LIVII PATAVINI
HISTORIARUM LIBRI,

QUI SUPERSUNT
OMNES ET DEPERDITORUM FRAGMENTA.

EX RECENSIONE
ARN. DRAKENBORCHII AD CODICUM BAMBERGENSIS
ET VINDOBONENSIS FIDEM PASSIM REFICTA
A IOANNE THEOPHILO KREYSSIG.

ANNOTATIONES CREVIERII, STROTHII, RUPERTI,
ALIORUMQUE SELECTAS;
ANIMADVERSIONES NIEBUHRII, WACHSMUTHII,
ET SUAS ADDIDIT
TRAVERS TWISS, I. C. B.
COLL. UNIV. SOCIUS ET TUTOR.

TOM. IV.

OXONII,
IMPENSIS D. A. TALBOYS,
MDCCCXLI.

LENOX LIBRARY
NEW YORK

T. LIVII PATAVINI

HISTORIARUM

AB URBE CONDITA

LIBRI.

EPITOME LIBRI XLI.

IGNIS in aede Vestae exstinctus est. Ti. Sempronius Gracchus proconsul Celtiberos victos in deditionem accepit, monumentumque operum suorum Gracchurim oppidum in Hispania constituit. Et a Postumio Albino proconsule Vaccaei ac Lusitani subacti sunt. Uterque triumphavit. Antiochus, Antiochi filius, obses Romanis a patre datus, mortuo fratre Seleuco, qui patri defuncto successerat, in regnum Syriae ab urbe dimissus, praeter religionem, qua multa templa magnifica multis locis erexit, Athenis Iovis Olympii, et Antiochiae Capitolini, vilissimum regem egit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta sexaginta tria millia ducenta nonaginta quattuor. Q. Voconius Saxa tribunus plebis legem tulit, ne quis heredem mulierem institueret. Suasit legem M. Cato: exstat oratio eius. Praeterea res contra Ligures, Istros, Sardos, et Celtiberos, a compluribus ducibus prospere gestas, et initia belli Macedonici continet, quod Perseus, Philippi filius, moliebatur. Miserat enim ad Carthaginienses legationem, et ab iis nocte audita erat: sed et alias Graeciae civitates sollicitabat.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLI.

U. C. 574. A. C. 178. [IAM per omnes orbis terrarum partes victricia populus 1 Romanus circumtulerat arma, dissitasque procul et seiunctas non uno mari regiones longe lateque pervaserat. Sed in tanta fluentium ex voto rerum felicitate moderationis tamen adeptus laudem, auctoritate magis, quam imperio, pollebat: et apud exteras gentes plura consilio, quam vi et terrore, gerere se gloriabatur. In devictos populos regesque non acerbus, munificus erga socios, sibi solum victoriae decus appetens, suam regibus maiestatem, populis, vel in aequo, vel etiam in impari foedere, suas tamen leges, sua iura libertatemque servaverat: atque adeo armis utramque maris mediterranei oram a Gadibus ad Syriam usque complexus, et per immensos terrarum tractus reverentia nomini Romano conciliata, subiectos tamen ditioni solos habebat Siciliae, et circumiectarum Italiae insularum, et pleraeque Hispaniae, iugum tamen nondum docili ferentis cervice, populos. Augendae dominationi causam materiamque praebuit potius inconsulta hostium et aemulorum pravitas, quam ipsius ambitio. Persei in primis, Macedoniae regnum per fraudem ac scelus adepti, crudelitas in populares omnibus invisa, vesana inter immensas opes avaritia, inconsiderata in capiendis exsequendisque consiliis levitas, et illum pessum dedere, et quaecunque stante hoc praecipuo Romanae potentiae velut freno stare poterant. Redundavit enim in alios eius casus, nec finitimorum tantum, sed eorum etiam, qui longius remoti erant, ruinam traxit. Macedonum exitium secuta cum Achaeis Carthago: atque, horum cladibus convulso omnium statu, reliqua iam imperia, aliquamdiu obnoxia, post paullo eversa, in Romanum imperium cuncta cesserunt. Atque haec, ut locis

1 *Iam per omnes*] Hoc supplementum, quod uncis inclusit Kreyssigius, post Douiatium et alios a Crevierio et Drakenborchio concinnatum, Doeringius quoque suae editioni praefixit, Bekkerus autem omisit.

temporibusque diversa, ita re coniuncta, sub uno aspectu hic ponere libuit, intuenti imminens mox Romanis a Perseo bellum, unde initium maxime crescendi res Romanae cepere. Illud bellum tunc coquebat occultum Perseus: lacessebant magis, quam exercebant, Romana arma Ligures et Galli. U. C. 574. A. C. 178.

[2. M. Iunio Bruto, A. Manlio Vulsoni consulibus de-
2 cretae ergo provinciae sunt, Gallia et Ligures: Manlio Gallia, Iunio Ligures obtigere. Praetoribus, M. Titinio Curvo urbana, Ti. Claudio Neroni peregrina iurisdictio evenit: P. Aelio Liguri Sicilia, T. Aebutio Caro Sardinia, M. Titinio (duo enim M. Titinii praeturam hoc anno ges-
3 serunt) Hispania citerior, T. Fonteio Capitoni ulterior. Incendium circa forum ortum est, quo et plurima deusta sunt, et Veneris aedes sine ullo vestigio cremata, Vestae penetralis ignis exstinctus. Virgo, cuius custodia fuerat, iussu M. Aemilii pontificis maximi flagro caesa, et supplicationes de more habitae sunt. Lustrum hoc anno a censoribus M. Aemilio Lepido, M. Fulvio Nobiliore conditum est. Censa sunt civium capita ducenta septuaginta tria millia, ducenta quadraginta quattuor. Legati a Perseo Macedonum rege venerunt, postulantes, ut rex sociusque et amicus a senatu appellaretur, foedusque cum eo, quod cum Philippo patre eius fuerat, renovaretur. Suspectus invisusque erat Romanis Perseus, nec dubitabant plerique, quin bel-
4 lum, a Philippo tot per annos occultis consiliis instructum, ubi primum daretur occasio, viresque ei suae satis placuissent, illaturus esset. Tamen, ne quietum et pacis studiosum lacessisse, belloque causam ipsi dedisse viderentur, postulata ei sua concesserunt. Perseus, hoc accepto responso, firmatum iam omnino sibi regnum existimans, opes apud Graecos parare statuit. Cupidus ergo comparandae eorum amicitiae, quotquot aeris alieni causa aut iudicio condemnati solum verterant, quique ob maiestatis crimina Macedonia excesserant, universos in Macedoniam revoca-
5 vit, edictis in insula Delo, ac Delphis, et in templo Itoniae Minervae palam propositis, quibus non modo impunitatem, sed etiam bonorum omnium restitutionem, cum fructibus ab eo tempore, ex quo quisque exsularet, redeuntibus concedebat. Sed et iis, qui in Macedonia degebant, quicquid debebatur fisco, remisit; cunctosque ob crimen maiestatis

2 *Provinciae*] cf. Infr. 5 et 7.
3 *Hispania citerior*] cf. Infr. xliii. 2. Iul. Obseq. 26.
4 *Occultis consiliis*] cf. Supr. xl. 58. infr. xlv. 9.
5 *Edictis in insula Delo, ac Delphis*] Haec et similia huiusmodi narrata de initio regni Persei vide apud Polyb. xxvi. 5.

U. C. 574. A. C. 178. vinctos liberavit. His rebus quum multorum animos arrexisset, Graeciam in se convertit omnem, et magna spe implevit. Quin etiam in toto reliquae vitae cultu regiam dignitatem tuebatur. Nam et species erat honesta, et corpus ad omnia belli pacisque munia obeunda validum et habile, et frontis ac supercilii decora maturae iam aetati maiestas. Nihil in eo paternae lasciviae, effusaeque in Venerem et vina libidinis. His laudibus Perseus initia principatus commendabat, haud pares inceptis habitura exitus.

[3.] Antequam praetores ii, qui Hispanias sortiti fuerant, in provincias venirent, magnae res ibi gestae sunt a Postumio et Graccho. Sed Gracchi praecipua laus fuit, qui 6 aetate florens, quum virtute animi et prudentia aequales omnes multum anteiret, et ingenti iam tum fama celebrabatur, et maiorem in futurum de se spem concitabat. Carabin, urbem sociam Romanorum, viginti millia Celtiberorum oppugnabant. Gracchus ad opem sociis ferendam properavit. Illa sollicitudo angebat, quonam modo consilium suum obsessis significaret, tam arta obsidione prementibus urbem hostibus, ut vix eo nuntius commeare posse videretur. Arduum negotium expedivit Cominii audacia. Is equitum turmae praefectus, re prius apud se perpensa, et Graccho, quid pararet, admonito, Hispanico indutus sago, pabulatoribus hostium se immiscuit. Cum his castra ingressus, hinc cursu ad urbem contendit, nuntiatque adventare Tiberium. Oppidani ex ultima desperatione ad alacritatem atque audaciam hoc nuntio excitati, obfirmatis ad fortiter repugnandum animis, die tertio, adventu Gracchi digressis hostibus, obsidione exempti sunt. Ipse postea Gracchus, fraude barbarorum appetitus, periculum viribus arte adiutis ita discussit, ut dolus in auctores verteret. Complega erat urbs aliquot ante annis condita, sed valida muris et celeribus incrementis aucta, in quam multi Hispanorum concurrerant, qui prius egentes agro huc illuc vagari cogebantur. Ex ea urbe prodeuntes ad viginti hominum millia, supplicum habitu, ramosque oleae porrigentes, in conspectu castrorum tanquam pacem oraturi constiterunt. Mox, abiectis precantium insignibus, ex improviso aggressi Romanos pavore ac tumultu omnia compleverunt. Gracchus sapienti consilio castra per simulationem fugae deseruit: quae illi dum solita barbaris aviditate diripiunt, seseque praeda praepediunt, reversus sub-

6 *Praecipua laus fuit*] cf. Diodor. apud Valesium.

7 *Carabin, urbem sociam*] cf. Appian. Alex. de Bell. Hisp. 378.

ito, et nihil tale metuentes adortus, plurimos cecidit, U. C. 574
8 atque etiam ipsa urbe potitus est. Sunt, qui rem aliter A. C. 178
narrent: Gracchum, quum comperisset, hostem inopia laborare, castra instructissima omnibus esculentis deseruisse: quae adeptum hostem, et repertis intemperanter repletum gravemque, reducto exercitu Romano, subito oppressum esse.

9 [4.] Ceterum, sive haec diversa est eiusdem rei gestae narratio, sive alia plane res ac victoria, complures certe populos Gracchus, atque adeo totam Celtiberorum gentem
1 perdomuit. Cepisse eum et evertisse trecentas ex illis urbes, quanquam Polybius gravis in primis auctor memorat, haud tamen pro certo affirmare ausim; nisi si urbium nomine turres et castella intelligenda sunt: quo mendacii genere et ipsi bellorum duces, et scriptores quoque historiarum res gestas exornare amant. Nam Hispania quidem arido et inculto solo magnam urbium multitudinem alere non potest. Repugnant etiam Hispanorum mores, si accolas nostri maris excipias, feri agrestesque, quum civilibus urbium conventibus mansuetiora fieri soleant hominum ingenia. Ceterum quicquid statuendum est de numero aut genere urbium a Sempronio captarum (etenim in numero
2 quoque variant scriptores, et centum quinquaginta alii, alii centum tria oppida ab eo capta memoravere) magnas certe ille res gessit; nec bellicis tantum inclaruit laudibus, sed et egregium se pacis legumque moderatorem et arbitrum devictis gentibus praebuit. Nam et divisit inopibus agrum, et sedes ad habitandum assignavit, et omnibus ea loca incolentibus populis leges accurate descriptas, ex quibus in amicitia ac societate populi Romani viverent, dato acceptoque iureiurando firmavit. Atque huius quidem foederis auctoritatem saepius imploravit sequens aetas in bellis, quae postea orta sunt. Gracchus monumentum virtutis
3 operumque suorum Gracchurim urbem suo nomine insignem esse voluit, quae antea Illurcis nominabatur. Postumii rerum fama obscurior est. Vaccaei tamen ab eo et Lusitani subacti sunt, et quadraginta ex his populis homi-
4 num millia interfecti. His rebus gestis ambo, advenientibus successoribus exercitus ac provincias quum tradidissent,

8 *Sunt, qui rem aliter narrent*] cf. Frontin. Strateg. ii. 5.

9 *Ceterum, sive haec diversa*] Initium capitis quarti infr. ad voces *in Gallia Manlius consul* Drakenborchius et Doeringius posuerunt.

1 *Cepisse eum*] cf. Strabo. iii. p. 163.

2 *Quoque variant scriptores*] cf. Flor. ii. 17. Appian. Iber. verum *centum tria oppida* supr. xl. 49. memorantur.

3 *Gracchurim urbem*] cf. Festus, v. *Gracchuris*.

4 *His rebus gestis ambo*] cf. Oros. iv. 20. infr. 7.

U. C. 574. A. C. 178. ad triumphum decesserunt. In Gallia Manlius consul, cui ea provincia obvenerat, quum triumpho materia deesset, oblatam a fortuna belli adversus Istros movendi occasionem cupide amplexus est. Aetolos pridem bellantes quum adiuvissent Istri, nuper quoque tumultuati fuerant. Praeerat tum illis ferocis ingenii rex Aepulo, qui gentem] a patre 5 in pace habitam armasse, eoque iuventuti praedandi cupi-
1. Istricum bellum. dae pergratus esse dicebatur. Consilium de Istrico bello quum haberet consul, alii gerendum extemplo, antequam contrahere copias hostes possent, alii consulendum prius senatum censebant. Vicit sententia, quae diem non proferebat. Profectus ab Aquileia consul castra ad lacum Timavi posuit; (imminet mari is lacus) eodem decem navibus C. Furius duumvir navalis venit. Adversus Illyriorum classem creati duumviri navales erant, qui tuendae 6 viginti navibus maris superi orae Anconam velut cardinem haberent: inde L. Cornelius dextra litora usque ad Tarentum, C. Furius laeva usque ad Aquileiam tueretur. Eae naves ad proximum portum in Istriae fines cum onerariis et magno commeatu missae: secutusque cum legionibus consul quinque ferme millia a mari posuit castra. In portu emporium brevi perfrequens factum, omniaque hinc in castra supportabantur. Et, quo id tutius fieret, stationes ab omnibus castrorum partibus circumdatae sunt: in Istriam versum praesidium stativum, repentina cohors Pla- 7 centina, opposita inter mare et castra: et, ut idem aquatoribus ad fluvium esset praesidium, M. Aebutius, tribunus militum secundae legionis, duos manipulos militum adiicere iussus est. T. et C. Aelii tribuni militum legionem tertiam, quae pabulatores et lignatores tueretur, via, quae Aquileiam fert, duxerant. Ab eadem regione mille ferme passuum castra erant Gallorum: Catmelus pro regulo erat 8
2. tribus haud amplius millibus armatorum. Istri, ut primum ad lacum Timavi castra sunt Romana mota, ipsi post

5 *A patre in pace habitam*] Quinque horum librorum fragmenta, quae habemus, publici iuris fecit Simon Grynaeus in Helvetiis anno 1531. reperta apud monasterium Laurissenum, vulgo Lorssense, e regione Borbetomagi: nec alius postea erui potuit codex, quocum illa conferrentur. Ex unici igitur illius exemplaris fide descripti sunt hi libri. Crev. Unicus ille codex saeculi ut nunc videtur, sexti, quem Larishamensem appellat Bekkerus, apud bibliothecam Caesaream Vindobonensem asservatur. cf. infr. Appendix.

6 *Qui tuendae ... maris superi orae Anconam velut cardinem*] Ita feliciter hunc locum emendavit sive Florebellus, sive Muretus, pro vulg. *tuendam ... mari superiore Anconam. Cardo* similiter sensu supr. xl. 18. adhibetur; Anglice *pivot*. cf. supr. xxxvii. 55.

7 *Repentina cohors*] Ex eo militum genere, qui *subitarii* passim a Livio nominantur.

8 *Catmelus pro regulo erat*] Haec verba Crevierio suspecta sunt, quae tamen ita utcunque explicari posse putat: Catmelus quidam loco reguli, qui ipse non erat, in iis castris erat.

collem occulto loco consederunt; et inde obliquis itineribus agmen sequebantur, in omnem occasionem intenti: nec quicquam eos, quae terra marique agerentur, fallebat. U. C. 574. A. C. 178.

Istri tumultum creant in castris Romanis.

9 Postquam stationes invalidas esse pro castris, forum turba inermi frequens inter castra et mare mercantium, sine ullo terrestri aut maritimo munimento, viderunt; duo simul praesidia, Placentinae cohortis, et manipulorum secundae legionis, aggrediuntur. Nebula matutina texerat inceptum: qua dilabente ad primum teporem solis, perlucens 1 iam aliquid, incerta tamen, ut solet, lux, speciem omnium multiplicem intuenti reddens, tum quoque frustrata Romanos, multo maiorem iis, quam erat, hostium aciem ostendit. Qua territi utriusque stationis milites ingenti tumultu quum in castra confugissent, haud paullo ibi plus, quam quod secum ipsi attulerant, terroris fecerunt. Nam neque dicere, quid fugissent, nec percunctantibus reddere responsum poterant: et clamor in portis, ut ubi nulla esset statio, quae sustineret impetum, audiebatur: et concursatio in obscuro incidentium aliorum in alios incertum fecerat, an hostis intra vallum esset. Una vox audiebatur ad mare vocantium.

Fugiunt ad mare Romani.

2 Id forte temere ab uno exclamatum totis passim personabat castris. Itaque primo, velut iussi id facere, pauci armati, maior pars inermes, ad mare decurrunt: dein plures, postremo prope omnes, et ipse consul; quum, frustra revocare fugientes conatus, nec imperio, nec auctoritate, nec precibus ad extremum, valuisset. Unus remansit M. Lici- 3 nius Strabo, tribunus militum tertiae legionis, cum tribus signis ab legione sua relictus. Hunc, in vacua castra impetu facto, Istri, quum alius armatus iis nemo obviam isset, in praetorio instruentem atque adhortantem suos oppresserunt. Proelium atrocius, quam pro paucitate resistentium, fuit: nec ante finitum est, quam tribunus militum, quique circa eum constiterant, interfecti sunt. Praetorio deiecto, 4 direptisque, quae ibi fuerunt, ad quaestorium forum quintanamque hostes pervenerunt. Ibi, quum omnium rerum

Istri epulantur in castris Rom.

9 *Forum turbà*] Ita egregie hunc locum refinxit Gronovius ex coniectura Ios. Scaligeri, qui *forum* pro vulg. *eorum* margini apposuerat. *Forum* intellige emporium illud, quod in cap. praeced. *brevi perfrequens* factum fuisse dicitur.

1 *Ut solet*] sc. Quum nebulis dilabentibus sol iam oriri incipit. Crev.

2 *Forte temere*] cf. Supr. ii. 31. xxiii. 3. Ter. Phorm. v. i. Cic. de Div. ii. 68.

3 *Cum tribus signis*] Cum tribus manipulis.

4 *Ad quaestorium forum quintanamque*] Duo fuere in castris Romanis fora rerum venalium: alterum ad praetorium, sive tabernaculum ducis, de quo diserte Polybius vi. 30. alterum ad quaestorium, sive tabernaculum quaestoris. Ceterum et quaestorium, et hoc proinde forum quaestoris olim versus portam Decumanam fuisse iam annotavimus supr. xxxiv. 47. Situm erat nempe in media Quintana, quae via transversa erat, secans longitudinem castrorum, parallela Principiis. Atque hinc forum ipsum quaestoris

U. C. 574. A. C. 178. paratam expositamque copiam, et stratos lectos in quaesto- 5
rio invenissent, regulus accubans epulari coepit. Mox idem ceteri omnes, armorum hostiumque obliti, faciunt: et, ut quibus insuetus liberalior victus esset, avidius vino ciboque corpora onerant.

3. Trepidatio Romanorum.

Nequaquam eadem est tum rei forma apud Romanos: terra, mari trepidatur: nautici tabernacula detendunt, commeatumque in litore expositum in naves rapiunt: milites in scaphas et mare territi ruunt: nautae, metu ne compleantur navigia, alii turbae obsistunt, alii ab litore naves in altum expellunt. Inde certamen, mox etiam pugna cum vulneribus et caede in vicem militum nautarumque oritur, donec iussu consulis procul a terra classis summota est. Secernere inde inermes ab armatis coepit. Vix mille ducenti ex tanta multitudine, qui arma haberent, perpauci equites, qui equos secum eduxissent, inventi sunt. Cetera deformis turba, velut lixarum calonumque, praeda vere

Redeunt ad castra recipienda.

futura, si belli hostes meminissent. Tunc demum nuntius 6
ad tertiam legionem revocandam, et Gallorum praesidium: et simul ex omnibus locis ad castra recipienda demendamque ignominiam rediri coeptum est. Tribuni militum tertiae legionis pabulum lignaque proiicere iubent: centu- 7
rionibus imperant, ut graviores aetate milites binos in ea iumenta, ex quibus onera deiecta erant, imponant: equites ut singulos e iuvenibus pedites secum in equos tollant. 'Egregiam gloriam legionis fore, si castra, metu secundano-'rum amissa, sua virtute recipiant: et recipi facile esse, si 'in praeda occupati barbari subito opprimantur: sicut ce-'perint, posse capi.' Summa militum alacritate adhortatio audita est. Ferunt citati signa, nec signiferos armati morantur: priores tamen consul copiaeque, quae a mari reducebantur, ad vallum accesserunt. L. Atius, tribunus primus secundae legionis, non hortabatur modo milites, sed

saepissime Quintana dicebatur. *Quintana* dicta a quintis cohortibus iuxta eam tendentibus. Apparet ex hoc Livii loco iam nunc mutatum fuisse situm quaestorii, ita ut illud tum esset, quo loco Polybius statuit, in fronte castrorum ad praetorii latus. Ideo hostes praetorio deiecto ad quaestorium perveniunt. Quaestorio igitur translato in partem superam castrorum, simul et forum quaestoris eodem translatum est. Quin et via proxima quaestorio Quintana quoque vocitata est a similitudine verae Quintanae, in qua olim quaestorium positum fuerat. Et haec in loco quem explicamus intelligenda est Quintana, non illa altera vetus, quae nimium longe abest a praetorio. Haec ita explicare conamur, ut brevitati simul et claritati consulamus. Sed qui totam rem apertius perspicere volet, adeat Lips. de Mil. Rom. v. 3. CREV.

5 *Stratos lectos*] Contra morem ac disciplinam militarem, quam valde solutam in his castris fuisse apparet. DUKER.

6 *Tunc demum nuntius*] Supple *missus est*. Per *Gallorum praesidium* tria illa millia armatorum, qui supr. 1. memorantur, intelligas.

7 *Proiicere iubent*] sc. Milites, sive pabulatores ac lignatores.

docebat etiam, 'Si victores Istri, quibus armis cepissent U. C. 574.
'castra, iisdem capta retinere in animo haberent, primum A. C. 178.
'exutum castris hostem ad mare persecuturos fuisse, de-
'inde stationes certe pro vallo habituros: vino somnoque
'verisimile esse mersos iacere.' Sub haec A. Baeculonium 4.
8 signiferum suum, notae fortitudinis virum, inferre signum
iussit. Ille, si unum se sequerentur, quo celerius fieret,
9 facturum dixit: connisusque, quum trans vallum signum Recuperant castra.
traiecisset, primus omnium portam intravit. Et parte alia
T. et C. Aelii, tribuni militum tertiae legionis, cum equi-
tatu adveniunt. Confestim, et quos binos oneraria in
iumenta imposuerant, secuti, et consul cum toto agmine.
At Istrorum pauci, qui modice vinosi erant, memores
fuerant fugae; aliis somno mors continuata est: integraque
sua omnia Romani, praeterquam quod vini cibique absum-
ptum erat, receperunt. Aegri quoque milites, qui in castris
relicti fuerant, postquam intra vallum suos senserunt, armis
arreptis, caedem ingentem fecerunt. Ante omnes insignis
opera fuit C. Popillii equitis. Sabello cognomen erat. Is,
pede saucio relictus, longe plurimos hostium occidit. Ad
octo millia Istrorum sunt caesa, captus nemo, quia ira et
indignatio immemores praedae fecit. Rex tamen Istrorum,
temulentus ex convivio, raptim a suis in equum impositus,
fugit. Ex victoribus ducenti triginta septem milites per-
ierunt, plures in matutina fuga, quam in recipiendis castris.
1 Forte ita evenit, ut Cn. et L. Gavillii, novelli Aquileien- 5.
ses, cum commeatu venientes, ignari prope in capta castra
ab Istris inciderent. Ii, quum Aquileiam, relictis impedi- Terror Romae.
mentis, refugissent, omnia terrore ac tumultu, non Aqui-
2 leiae modo, sed Romae quoque post paucos dies, impleve-
runt: quo, non capta tantum castra ab hostibus, nec fuga,
quae vera erant, sed perditas res deletumque exercitum
3 omnem, allatum est. Itaque, quod in tumultu fieri solet,

8 *Signiferum suum*] Dukerus se non intelligere ait, cur tribunus militum Baeculonium signiferum *suum* appellaverit, cum in unaquaque legione tot essent signiferi, quot signa sive manipuli, et tribuni militum toti legioni praeessent. Haud scio, an vox *suus* hoc loco signiferum illum denotet, qui proxime tribunum militum stabat.

9 *Facturum dixit*] *Iacturum*, sc. signum in castra hostium, Gronovius emendavit, cui Crevierius et Drakenborchius astipulantur. Ceterum *facturum* ita vertas, centurionem dixisse se aliquid facturum esse, quod, ut celerius signum inferretur, efficeret.

1 *Novelli Aquileienses*] Ut qui essent e colonis ante triennium Aquileiam deductis, ut Iac. Gronovio videtur. cf. supr. xl. 34. Ceterum Niebuhrio vocem *novelli* cognomen Gavilliorum gentis fuisse placet. cf. Niebhr. ii. n. 595.

2 *Sed Romae quoque . . . impleverunt*] Non quod Romam profecti sint hi Gavillii, sed quod rumor ab illis sparsus Aquileia Romam brevi perlatus fuerit. Douiat.

3 *Quod in tumultu*] cf. Supr. vii. 9.

U. C. 574. A. C. 178. delectus extra ordinem, non in urbe tantum, sed tota Italia, indicti. Duae legiones civium Romanorum conscriptae, et decem millia peditum cum equitibus quingentis sociis nominis Latini imperata. M. Iunius consul transire in Galliam, et ab civitatibus provinciae eius, quantum quaeque posset, militum exigere iussus. Simul decretum, ut Ti. Claudius praetor militibus legionis quartae, et socium 4 Latini nominis quinque millibus, equitibus ducentis quinquaginta, Pisas ut convenirent, ediceret; eamque provinciam, dum consul inde abesset, tutaretur: M. Titinius praetor legionem primam, parem numerum sociorum peditum equitumque, Ariminum convenire iuberet. Nero paludatus Pisas in provinciam est profectus. Titinius, C. Cassio tribuno militum Ariminum, qui praeesset legioni, misso, delectum Romae habuit. M. Iunius consul, ex Liguribus in provinciam Galliam transgressus, auxiliis protinus per civitates Galliae militibusque coloniis imperatis, Aquileiam pervenit. Ibi certior factus, exercitum incolumem esse, scriptis literis Romam, ne tumultuarentur, ipse, remissis auxiliis, quae Gallis imperaverat, ad collegam est profectus. Romae magna ex necopinato laetitia fuit: delectus omissus est: exauctorati, qui sacramento dixerant: et exercitus, qui Arimini pestilentia affectus erat, domum dimissus. Istri, magnis copiis quum castra haud procul consulis castris haberent, postquam alterum consulem cum exercitu novo advenisse audierunt, passim in civitates dilapsi sunt: consules Aquileiam in hiberna legiones reduxerunt.

6. Sedato tandem Istrico tumultu, senatusconsultum factum est, ut consules inter se compararent, uter eorum ad comitia habenda Romam rediret. Quum absentem Manlium tribuni plebis, A. Licinius Nerva et C. Papirius Turdus, in concionibus lacerarent, rogationemque promulgarent, ne Manlius post Idus Martias (prorogatae namque consulibus iam in annum provinciae erant) imperium retineret, uti causam extemplo dicere, quum abisset magistratu, posset; huic rogationi Q. Aelius collega intercessit, magnisque contentionibus obtinuit, ne perferretur.

Per eos dies Ti. Sempronius Gracchus et L. Postumius

4 *Ti. Claudius praetor*] Ex hoc loco recte colligit Pighius hunc et M. Titinium, qui infra nominatur, iuri in urbe dicundo praefuisse. Ceteri enim praetores tunc in provincias profecti esse debebant. Quum autem cap. seq. M. Titinius dicatur senatum dedisse Sempronio et Postumio, quod munus est praetoris urbani absentibus consulibus, iudicavit idem Pighius urbanam iurisdictionem Titinio obtigisse, Claudio Neroni inter cives et peregrinos. Crev.

Albinus ex Hispania Romam quum revertissent, senatus U. C. 574.
5 iis a M. Titinio praetore datus in aede Bellonae ad disse- A. C. 178.
rendas res, quas gessissent, postulandosque honores meritos, ut diis immortalibus haberetur honos.

Eodem tempore et in Sardinia magnum tumultum esse, Sardiniae
6 literis T. Aebutii praetoris cognitum est, quas filius eius ad tumultus.
7 senatum attulerat. Ilienses, adiunctis Balarorum auxiliis, pacatam provinciam invaserant: nec iis invalido exercitu, et magna parte pestilentia absumpto, resisti poterat. Eadem et Sardorum legati nuntiabant; orantes, ut urbibus saltem (iam enim agros deploratos esse) opem senatus ferret. Haec legatio, totumque quod ad Sardiniam pertinebat, ad novos magistratus reiectum est.

Aeque miserabilis legatio Lyciorum, qui crudelitatem Lyciorum
8 Rhodiorum, quibus ab L. Cornelio Scipione attributi erant, querelae.
querebantur: 'Fuisse sub ditione Antiochi: eam regiam 'servitutem, collatam cum praesenti statu, praeclaram liber- 'tatem visam. Non publico tantum se premi imperio, sed
9 1 'singulos iustum pati servitium. Iuxta se coniuges liberos- 'que vexari: in corpus, in tergum saeviri: famam, quod 'indignum sit, maculari dehonestarique: et palam res
2 'odiosas fieri, iuris etiam usurpandi causa; ne pro dubio 'habeant, nihil inter se et argento parata mancipia inter- 'esse.' Motus his senatus, literas Lyciis ad Rhodios dedit:
3 'Nec Lycios Rhodiis, nec ullos alii cuiquam, qui nati liberi 'sint, in servitutem dari placere. Lycios ita sub Rhodio- 'rum simul imperio et tutela esse, ut in ditione populi Ro- 'mani civitates sociae sint.'

Triumphi deinde ex Hispania duo continui acti. Prior 7.

5 *Ad disserendas res*] *Edisserendas* Gronovius emendavit, probante Douiatio et Crevierio.

6 *Literis T. Aebutii praetoris*] Hic habemus et nomen et provinciam unius e praetoribus huius anni, cuius mentio intercederat cum iis, quae ex initio huius libri deperdita sunt. CREV.

7 *Ilienses*] Qui supr. xl. 19. memorantur. Verum Sardorum, qui in deviis montibus habitabant et incursiones in campestrem regionem provinciae pacatae identidem faciebant, tres memorantur tribus, Ilienses sive Iolai, Balari, et Corsicani. cf. Niebhr. i. n. 513.

8 *Quibus . . attributi erant*] Ex senatus decreto supr. xxxvii. 55.

9 *Iustum pati servitium*] Veram ac plenam servitutem. Sic alibi apud nostrum *iusto exercitu*, *iusto equitatu*. CREV.

1 *Iuxta se coniuges*] Sese pariter coniugesque ac liberos vexari. Similiter *iuxta* pro aeque, pariter, usurpatur, supr. xxxii. 14. xxxviii. 29. et alibi.

2 *Iuris etiam usurpandi*] Non fructûs alicuius aut emolumenti spe, sed plane ut dominos sese probarent.

3 *Nec Lycios Rhodiis*] Polybius Exc. Leg. 60. tradit hoc decretum multis nequaquam placuisse: propterea quod Romani viderentur id agere, ut committerent inter se Rhodios Lyciosque, ad exhauriendos apparatus et thesauros Rhodiorum, quorum cum Perseo amicitia suspecta iam iis erat. Et re quidem vera idem auctor est, Leg. 61. Lycios, qui iam victi acquieverant Rhodiorum imperiis, audito Romanorum responso rursus tumultuari coepisse. CREV.

U. C. 574. A. C. 178. Triumphi de Hispanis.

Sempronius Gracchus de Celtiberis sociisque eorum; postero die L. Postumius de Lusitanis aliisque eiusdem regionis Hispanis triumphavit. Quadraginta millia pondo argenti Ti. Gracchus transtulit, viginti millia Albinus. Militibus denarios quinos vicenos, duplex centurioni, triplex equiti ambo diviserunt: sociis tantundem, quantum Romanis.

Per eosdem forte dies M. Iunius consul ex Istria comitiorum causa Romam venit. Eum quum in senatu fatigassent interrogationibus tribuni plebis Papirius et Licinius de iis, quae in Istria essent acta, in concionem quoque produxerunt. Ad quae quum consul, 'Se dies non plus 'undecim in ea provincia fuisse,' responderet, 'quae se ab-'sente acta essent, se quoque, ut illos, fama comperta 'habere;' exsequebantur deinde quaerentes, 'Quid ita 'non potius A. Manlius Romam venisset, ut rationem red-'deret populo Romano, cur ex Gallia provincia, quam 'sortitus esset, in Istriam transisset? Quando id bellum 'senatus decrevisset, quando populus Romanus iussisset? 4 'At, hercule, privato quidem consilio bellum susceptum 'esse, sed gestum prudenter fortiterque. Imo, utrum 'susceptum sit nequius, an inconsultius gestum, dici non 'posse. Stationes duas necopinantes ab Istris oppressas, 'castra Romana capta, quod peditum, quod equitum in 5 'castris fuerit: ceteros inermes fusosque, ante omnes 6 'consulem ipsum, ad mare ac naves fugisse. Privatum 'rationem redditurum earum rerum esse, quoniam consul 'noluisset.'

8. Comitia.

Comitia deinde habita. Consules creati, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus: et postero die praetores facti, P. Aelius Tubero iterum, C. Quinctius Flamininus, C. Numisius, L. Mummius, Cn. Cornelius Scipio, C. Valerius Laevinus. Tuberoni urbana iurisdictio, Quinctio peregrina evenit, Numisio Sicilia, Mummio Sardinia: sed ea propter belli magnitudinem provincia consularis facta. Gracchus eam sortitur, Istriam Claudius; Scipio et Laevinus Galliam, in duas divisam provincias, sortiti sunt. Idibus Martiis, quo die Sempronius Claudiusque consulatum inierunt, mentio tantum de provinciis Sardinia Istria-

Provinciae.

4 *Quando populus Romanus iussisset*] Ita Gronovius pro *quando id bellum* . . . quae voces in edd. vulg. ante *populus* repetuntur, et a Bekkero uncis inclusae sunt.

5 *Quod peditum, quod equitum in castris fuerit*] Videtur adiici debere, *caesum*. Nemo enim captus in castris esse dicitur supr. 2. Sed M. Licinius Strabo cum trium signorum militibus caesus. Nisi forte hic intelligendi sunt aegri relicti in castris, quorum mentio fit supr. 4. Crev.

6 *Fusosque*] Sparsos, nullo ordine dilabentes.

7 que et utriusque hostibus fuit, qui in his provinciis bellum concivissent. Postero die legati Sardorum, qui ad novos magistratus dilati erant, et L. Minucius Thermus, qui 8 legatus Manlii consulis in Istria fuerat, in senatum venit. Ab his edoctus est senatus, quantum belli eae provinciae haberent. U. C. 575. A. C. 177. C. Claudio, T. Sempronio Coss.

Moverunt senatum et legationes socium nominis Latini, 9 quae et censores et priores consules fatigaverunt, tandem in senatum introductae. Summa querelarum erat, 'Cives 'suos Romae censos plerosque Romam commigrasse. 'Quod si permittatur, perpaucis lustris futurum, ut deserta 'oppida, deserti agri, nullum militem dare possent.' Fregellas quoque millia quattuor familiarum transisse ab se, Samnites Pelignique querebantur: neque eo minus aut hos aut illos in delectu militum dare. Genera autem fraudis duo mutandae viritim civitatis inducta erant. Lex sociis ac nominis Latini, qui stirpem ex sese domi relinquerent, dabat, ut cives Romani fierent. Ea lege male utendo, alii sociis, alii populo Romano iniuriam faciebant. Nam et, ne stirpem domi relinquerent, liberos suos quibusquibus Romanis in eam conditionem, ut manumitterentur, mancipio dabant, libertinique cives essent: et quibus stirpes deesset, quam relinquerent, ut cives Romani fiebant. Postea, his quoque imaginibus iuris spretis, promiscue sine lege, sine stirpe, in civitatem Romanam per migrationem et censum transibant. 'Haec ne postea fierent,' petebant legati, 'et ut redire in civitates iuberent socios: deinde ut 'lege caverent, ne quis quem civitatis mutandae causa 'suum faceret, neve alienaret: et, si quis ita civis Roma- Latinorum querelae.

7 *Et utriusque hostibus*] Qui in utraque provincia erant.

8 *In senatum venit*] Exspectandum erat *venerunt*, sed simili modo dicit Livius infr. 12. *literis T. Claudii et senatusconsulto accepto.* RASCH.

9 *Fatigaverunt*] Legendum censet Gronovius *fatigaverant*, quod Bekker. reposuit.

1 *Lex sociis ac nominis Latini*] cf. Niebhr. iii. n. 951. Fuss. R. Ant. §. 126. Gaii Instit. i. §. 28.

2 *Et quibus stirpes deesset*] *Stirpes* nominativo casu antiquitus dicebatur pro *stirps*, ut *plebes* pro *plebs*. cf. Niebhr. ii. n. 900.

3 *Ut cives Romani fiebant*] Vocem *ii* pro *ut* Sigonius reponendam suadet, sed Crevierio maius hoc loco videtur esse vulnus, quam ut tam leniter curari possit. Ceterum rem ita intelligas. Fraus sociis fiebat, quando Latini, qui stirpem domi reliquerint, liberos suos in manum Romanorum civium darent, ut Romae manumitterentur; Romanis, quando Latini, quibus stirpes deesset, aliorum liberos mancipio acciperent, ut ipsi, quasi stirpem domi relinquenter, cives Romani fierent, et postea eos emanciparent. Crevierius *ut cives Romani fierent* . . . legendum vult, et quaedam hoc loco intercidisse censet.

4 *Ne quis quem . . . suum faceret, neve alienaret*] Prior pars est, ut recte observat Gronovius, contra accipientem mancipio, posterior contra dantem. Ille enim recte dicitur *suum facere* eum quem mancipio accipit; hic *alienare* eum quem tradit. Ceterum, si ea coniectura, quae superiore nota exposita est, vana non est, videtur et hic excidisse aliquod huius legis caput, nimirum contra fraudulentas illas adoptiones. CREV.

U. C. 575. A. C. 177. 'nus factus esset, [civis ne esset.'] Haec impetrata ab 5 senatu.

9. Provinciae deinde, quae in bello erant, Sardinia atque Istria decretae. In Sardiniam duae legiones scribi iussae; quina millia in singulas et duceni pedites, treceni equites; et duodecim millia peditum sociorum ac Latini nominis, et sexcenti equites, et decem quinqueremes naves, si deducere 6 ex navalibus vellet. Tantundem peditum equitumque in Istriam, quantum in Sardiniam, decretum. Et legionem unam cum equitibus trecentis, et quinque millia peditum sociorum, et ducentos quinquaginta mittere equites in His- 7 paniam consules ad M. Titinium iussi. Priusquam consules provincias sortirentur, prodigia nuntiata sunt. Lapidem in agro Crustumino in lucum Martis de coelo cecidisse: puerum trunci corporis in agro Romano natum, et quadru- 8 pedem anguem visum: et Capuae multa in foro aedificia de coelo tacta: et Puteolis duas naves fulminis ictu concrematas esse. Inter haec, quae nuntiabantur, lupus etiam Romae interdiu agitatus, quum Collina porta intrasset, per Esquilinam magno consectantium tumultu evasit. Eorum prodigiorum causa consules maiores hostias immolarunt, et diem unum circa omnia pulvinaria supplicatio fuit. Sacrificiis rite perfectis, provincias sortiti sunt: Claudio Istria, Sempronio Sardinia obvenit. Legem dein de sociis C. Claudius tulit ex senatusconsulto, et edixit: 'qui socii ac 'nominis Latini, ipsi maioresve eorum, M. Claudio, T. 'Quinctio censoribus, postque ea, apud socios nominis 'Latini censi essent, ut omnes in suam quisque civitatem 'ante Kalendas Novembres redirent.' Quaestio, qui ita non redissent, L. Mummio praetori decreta est. Ad legem et edictum consulis senatusconsultum adiectum est: 'ut, 'dictator, consul, interrex, censor, praetor, qui tunc esset, 'apud eorum quem qui manumitteretur, in libertatem vin- 9 'dicaretur, ut iusiurandum daret, qui eum manumitteret,

Exercitus.

Prodigia.

Lex de Latinis.

5 *Civis ne esset*] Hoc adiectum est ex mente Sigonii, ut expleretur sensus: nisi quod, quum ille scribi voluerit, *civis non esset*, maluimus sequi Douiatium, qui observat formulam in sanctionibus huiusmodi receptam exigere potius *ne*, quam *non*. Crev.

6 *Si deducere ex navalibus vellet*] Quaenam illa dubitatio est? aut cur nollet consul naves e navalibus deducere? Gronovius legit, *quas deduceret ex quibus navalibus vellet*. Crev.

7 *Mittere . . . in Hispaniam . . . ad M. Titinium*] Ex hoc loco collegit Pighius fuisse superiore anno, praeter M. Titinium praetorem urbis, etiam alterum M. Titinium praetorem, cui Hispaniam citeriorem obtigisse apparet infr. 26. Crev.

8 *Puerum trunci corporis*] Brachiisne carentem, an capite? Vox enim *trunci* ambigua est. Crev.

9 *Apud eorum quem qui manumitteretur*] Ut, qui apud aliquem eorum, sc. dictatorum, consulum, aliorumve magistratuum, manumitterentur, illis magistratus iusiurandum daret, quo iurarent se civitatis mutandae causa non manumissos esse.

'civitatis mutandae causa manu non mittere:' qui id non iuraret, eum manumittendum non censuerunt. Haec in posterum causa iurisque dictio C. Claudio consuli decreta est. U. C. 575. A. C. 177.

Dum haec Romae geruntur, M. Iunius et A. Manlius, qui priore anno consules fuerant, quum Aquileiae hibernassent, principio veris in fines Istrorum exercitum introduxerunt: ubi quum effuse popularentur, dolor magis et indignatio diripi res suas cernentes Istros, quam certa spes, satis sibi virium adversus duos exercitus, excivit. Concursu ex omnibus populis iuventutis facto, repentinus et tumultuarius exercitus acrius primo impetu, quam perseverantius, pugnavit. Ad quattuor millia eorum in acie caesa: ceteri, omisso bello, in civitates passim diffugerunt. Inde legatos primum ad pacem petendam in castra Romana, deinde obsides imperatos, miserunt. Haec quum Romae cognita literis proconsulum essent, C. Claudius consul, veritus, ne forte ea res provinciam exercitumque sibi adimeret, non 1 votis nuncupatis, non paludatus, sine lictoribus, uno omnium certiore facto collega, nocte profectus, praeceps in provinciam abiit: ubi inconsultius, quam venerat, se gessit. Nam, quum concione advocata fugam e castris A. Manlii adversis auribus militum (quippe qui primi ipsi fugissent) iactasset, ingessissetque probra M. Iunio, quod se dedecoris socium collegae fecisset, ad extremum utrumque decedere provincia iussit. Quod quum illi tum consulis imperio dicto audientes futuros esse dicerent, quum is more maiorum, secundum vota in Capitolio nuncupata, cum lictoribus, 2 paludatus profectus ab urbe esset; furens ira, vocatum, qui pro quaestore Manlii erat, catenas poposcit, vinctos se Iunium Manliumque minitans Romam missurum. Ab eo quoque spretum consulis imperium est: et circumfusus exercitus, favens imperatorum causae, et consuli infestus, animos ad non parendum addebat. Postremo fatigatus consul et contumeliis singulorum, et multitudinis (nam insuper irridebant) ludibriis, nave eadem, qua venerat, Aquileiam rediit. Inde collegae scripsit, ut militum novorum ei parti, quae scripta in Istriam provinciam esset, ediceret, Aquileiam ut conveniret; ne quid se Romae teneret, quo minus, votis nuncupatis, paludatus ab urbe exiret. Haec collegae obsequenter facta, brevisque dies ad conveniendum edicta est. Claudius prope consecutus est literas suas. 10. Res in Istria gestae a Romanis.

1 *Paludatus*] Paludamentum chlamys imperatoria erat, quam proficiscentes in bellum duces ipsi gerebant.

2 *Vocatum, qui pro quaestore Manlii erat, catenas poposcit*] Vocavit eum, qui pro quaestore Manlii erat, et illum catenas poposcit. Qui Manlii consulis quaestor fuerat, eiusdem proconsulis pro quaestore erat. Crev.

U. C. 575. A. C. 177. Concione adveniens de Manlio et Iunio habita, non ultra triduum moratus Romae, paludatus, cum lictoribus, votisque in Capitolio nuncupatis, in provinciam, aeque ac prius, praecipiti celeritate abit. Paucis ante diebus Iunius Manliusque oppidum Nesactium, quo se principes Istrorum et 3 regulus ipse Aepulo receperat, summa vi oppugnarunt. Eo Claudius duabus legionibus novis adductis, vetere exercitu cum suis ducibus dimisso, ipse oppidum circumsedit, et vineis oppugnare intendit: amnemque praeterfluentem moenia, qui et impedimento oppugnantibus erat, et aquationem Istris praebebat, multorum dierum opere exceptum novo alveo avertit. Ea res barbaros miraculo terruit abscisae aquae: et ne tum quidem memores pacis, in caedem coniugum ac liberorum versi; etiam, ut spectaculo hostibus tam foedum facinus esset, palam in muris trucidatos praecipitabant. Inter simul complorationem feminarum puerorumque, simul nefandam caedem, milites, transgressi murum, oppidum intrarunt. Cuius capti tumultum ut ex pavido clamore fugientium accepit rex, traiecit ferro pectus, ne vivus caperetur: ceteri capti, aut occisi. Duo deinde oppida, Mutila et Faveria, vi capta et deleta. Praeda, ut in gente inopi, spe maior fuit, et omnis militibus concessa est. Quinque millia capitum sexcenta triginta duo sub corona venierunt: auctores belli virgis caesi, et securi percussi. Istria tota trium oppidorum excidio et morte regis pacata est: omnesque undique populi, obsidibus datis, in ditionem venerunt.

11. Nesactium Claudius Cos. obsidet.

Furor oppidanorum.

Istria pacata.

12. Sub Istrici finem belli apud Ligures concilia de bello haberi coepta. Ti. Claudius proconsul, qui praetor priore anno fuerat, cum praesidio legionis unius Pisis praeerat. Cuius literis senatus certior factus, eas ipsas literas ad C. Claudium (nam alter consul iam in Sardiniam traiecerat) deferendas censet: et adiicit decretum, 'Quoniam Istria 'provincia confecta esset, si ei videretur, exercitum tradu'ceret in Ligures.' Simul ex literis consulis, quas de rebus in Istria gestis scripserat, in biduum supplicatio decreta. Et ab altero consule Ti. Sempronio in Sardinia prospere res gesta. Exercitum in agrum Sardorum Iliensium induxit. Balarorum magna auxilia Iliensibus venerant. Cum utraque gente signis collatis conflixit. Fusi fugatique hostes, castrisque exuti: duodecim millia armatorum caesa. Postero die arma lecta coniici in acervum iussit consul, sacrumque id Vulcano cremavit. Victorem exercitum in

Res in Sardinia gestae.

3 *Nesactium*] Huius oppidi nomen ita scribendum monet Cluverius Ital. Ant. i. 21. auctores Plin. H. N. iii. 19. et Ptolem. iii. 1. secutus, probante Cellario Geogr. Ant. ii. 9.

hiberna sociarum urbium reduxit. Et C. Claudius, literis Ti. Claudii et senatusconsulto accepto, ex Istria legiones in Ligures transduxit. Ad Scultennam flumen in campos progressi castra habebant hostes. Ibi cum his acie dimicatum. Quindecim millia caesa; plus septingenti aut in proelio, aut in castris (nam ea quoque expugnata sunt) capti: et signa militaria unum et quinquaginta capta. Ligures, reliquiae caedis, in montes refugerunt passim: populantique campestres agros consuli nulla usquam apparuerunt arma. Claudius, duarum gentium uno anno victor, duabus, quod raro alius, in consulatu pacatis provinciis Romam revertit.

U. C. 575. A. C. 177.

Ligures victi a Claudio Cos.

4 Prodigia eo anno nuntiata. In Crustumino avem san-
5 gualem, quam vocant, sacrum lapidem rostro cecidisse. Bovem in Campania locutam. Vaccam aeneam Syracusis ab agresti tauro, qui pecore aberrasset, initam, ac semine aspersam. In Crustumino diem unum in ipso loco supplicatio fuit: et in Campania bos alenda publice data: Syracusanumque prodigium expiatum, editis ab haruspicibus diis, quibus supplicaretur.

13. Prodigia.

Pontifex eo anno mortuus est M. Claudius Marcellus, qui consul censorque fuerat. In eius locum suffectus est
6 pontifex filius eius M. Marcellus. Et Lucam colonia eodem anno duo millia civium Romanorum sunt deducta. Triumviri deduxerunt, P. Aelius, L. Egilius, Cn. Sicinius. Quinquagena et singula iugera et semisses agri in singulos dati sunt. De Ligure captus is ager erat: Etruscorum ante, quam Ligurum, fuerat.

Luna colonia.

Claudii triumphus.

C. Claudius consul ad urbem venit: cui, quum in senatu de rebus in Istria Liguribusque prospere gestis disseruisset, postulanti triumphus est decretus. Triumphavit in magistratu de duabus simul gentibus. Tulit in eo triumpho de-
7 narium trecenta septem millia, et victoriatum octoginta quinque millia septingentos duos. Militibus in singulos quini deni denarii dati: duplex centurioni, triplex equiti.

4 *Avem sangualem*] De hac ave Plinius H. N. x. 7. mentionem facit, unde colligimus sangualem avem fuisse Ossifragam appellatam, quam avem Aristoteles aquilae persimilem, maiorem tamen, fuisse scribit, et coloris leucophaei seu fusci, i. e. nigro albicantis. Ceterum scribitur *Sanqualis* apud Festum v. *Alites*. cf. Serv. in Aen. i. 394.

5 *Sacrum lapidem*] Aliquem ex iis lapidibus, quos terminandis agris fixos consecrabant, ornabant floribus, olivo ungebant, etc. De religione et cultu dei Termini, sive huiusmodi lapidum, vid. Plut. in Numa. Crev.

6 *Lucam colonia*] *Lunam* Gronovius ex edit. princip. in textum revocavit, quam vocem Bekkerus reposuit. *Lucam* vetustiores ante Gronovium editiones praeferunt, et consentit Velleius i. 15, qui coloniam hoc anno Lucam deductam esse scribit.

7 *Victoriatum*] Hic nummus victoriae imagine signatus eodem pretio, quo quinarius, erat. Primum apud Romam lege Clodia percussus est, antea quidem mercis loco ex Illyrico advectus, ut Plin. H. N. xxxiii. 13. docet.

U. C. 575. A. C. 177. Sociis dimidio minus, quam civibus, datum: itaque taciti, ut iratos esse sentires, secuti sunt currum.

14. Ligures rebellant. Dum is triumphus de Liguribus agebatur, Ligures, postquam senserunt, non consularem tantum exercitum Romam abductum, sed legionem ab Ti. Claudio Pisis dimissam, soluti metu, clam exercitu indicto, per transversos limites, superatis montibus, in campos degressi, agrum Mutinensem populati, repentino impetu coloniam ipsam ceperunt. Id ubi Romam allatum est, senatus C. Claudium consulem comitia primo quoque tempore habere iussit, creatisque in annum magistratibus in provinciam redire, et coloniam ex hostibus recipere. Ita, uti censuit senatus, comitia habita. Consules creati, Cn. Cornelius Scipio Hispallus, Q. Petillius Spurinus. Praetores inde facti, M. Popillius Laenas, P. Licinius Crassus, M. Cornelius Scipio, L. Papirius Maso, M. Aburius, L. Aquillius Gallus. C. Claudio consuli prorogatum in annum imperium, et Gallia provincia: et, ne 8 Istri idem, quod et Ligures, facerent, socios nominis Latini in Istriam mitteret, quos triumphi causa de provincia de-

Comitia.

U. C. 576. A. C. 176. Cn. Cornelio, Q. Petillio Cos. duxisset. Cn. Cornelio et Q. Petillio consulibus, quo die magistratum inierunt, immolantibus Iovi singulis bubus, uti solet, in ea hostia, qua Q. Petillius sacrificavit, in ioci- 9 nore caput non inventum. Id quum ad senatum retulisset, bove perlitare iussus. De provinciis deinde consultus sena- 1 tus Pisas et Ligures provincias consulibus decrevit. Cui Pisae provincia obvenisset, quum magistratuum creandorum tempus esset, ad comitia reverti iussit. Additum decreto, ut binas legiones novas scriberent, et trecenos equites; et 2 dena millia peditum sociis nominique Latino, et sexcenos imperarent equites. Ti. Claudio prorogatum est imperium

15. in id tempus, quo in provinciam consul venisset. Dum de his rebus in senatu agitur, Cn. Cornelius, evocatus a viatore, quum templo egressus esset, paullo post rediit confuso vultu, et exposuit Patribus conscriptis, bovis sexcenarii, 3

8 *Ne Istri idem*] *Ne Istri quoque idem* reposuerunt Crev. et Bekker.

9 *In iocinore caput*] cf. Supr. viii. 9. xxvii. 26.

1 *Bove perlitare*] Hoc de genere, non de numero hostiarum dictum censeo. Nam incertum est an *uno* perlitare posset. Ipse paullo post sè *tribus* perlitasse negat, et senatus cum *maioribus hostiis* usque ad perlitationem sacrificare iussit. Dukeb.

2 *Binas legiones novas scriberent*] Post vocem *scriberent* excidisse aliquid existimat Crevier, quo peditum numerus definiatur, et reponendum vult, *quina millia in singulas et decenos pedites, trecenos equites.* cf. supr. 9. et xl. 18.

3 *Bovis sexcenarii*] *Sexcenarii* Graevius emendat, h. e. sexcentarum pondo librarum et proinde grandioris, unde portentum tanto haberetur tristius, quod tanti ponderis bovis iecur diffluxisset. Vulgo legitur *sesoenaris*, quod Gutherius a voce *scena* derivari putat, quam Festus docet esse aut securim aut dolabram pontificalem, ita ut *sexcenaris* bos dictus sit, bos eo genere cultri immolatus. Vir doctus ad marginem ed. Curionis ascripsit, *bos sexennis.*

quem immolavisset, iecur diffluxisse. Id se victimario nun- U. C. 576.
tianti parum credentem, ipsum aquam effundi ex olla, ubi A. C. 176.
exta coquerentur, iussisse: et vidisse ceteram integram partem extorum, iecur omne inenarrabili tabe absumptum. Territis eo prodigio Patribus, et alter consul curam adiecit: qui se, quod caput iocinori defuisset, tribus bubus perlitasse negavit. Senatus maioribus hostiis usque ad litationem sacrificari iussit. Ceteris diis perlitatum ferunt: Saluti Petillium perlitasse negant. Inde consules praetoresque Provinciae.
4 provincias sortiti. Pisae Cn. Cornelio, Ligures Petillio obvenerunt. Praetores, L. Papirius Maso urbanam, M. Aburius inter peregrinos, sortiti sunt. M. Cornelius Scipio Maluginensis Hispaniam ulteriorem, L. Aquillius Gallus Siciliam habuit. Duo deprecati sunt, ne in provincias irent: M. Popillius in Sardiniam. 'Gracchum eam pro-'vinciam pacare: ei T. Aebutium praetorem adiutorem ab 'senatu datum esse. Interrumpi tenorem rerum, in quibus 'peragendis continuatio ipsa efficacissima esset, minime 'convenire. Inter traditionem imperii novitatemque suc-'cessoris, quae noscendis prius, quam agendis, rebus im-'buenda sit, saepe bene gerendae rei occasiones intercidere.' Probata Popillii excusatio est. P. Licinius Crassus sacrificiis se impediri sollennibus excusabat, ne in provinciam iret. Citerior Hispania obvenerat. Ceterum aut ire iussus, aut iurare pro concione, sollenni sacrificio se prohiberi. Id ubi in P. Licinio ita statutum est, et ab se uti iusiurandum acciperent, M. Cornelius postulavit, ne in
5 Hispaniam ulteriorem iret. Praetores ambo in eadem verba iurarunt. M. Titinius et T. Fonteius proconsules manere cum eodem imperii iure in Hispania iussi: et ut in supplementum his tria millia civium Romanorum cum equitibus ducentis, quinque millia socium Latini nominis et trecenti equites mitterentur.

Latinae feriae fuere ante diem tertium Nonas Maias, in 16.
quibus, quia in una hostia magistratus Lanuvinus precatus non erat, 'populo Romano Quiritium,' religioni fuit. Id quum ad senatum relatum esset, senatusque ad pontificum collegium reiecisset; pontificibus, quia non recte factae
6 Latinae essent, instauratis Latinis, placuit Lanuvinos, quorum opera instauratae essent, hostias praebere. Accesserat Cornelii
ad religionem, quod Cn. Cornelius consul, ex monte Cos. mors.

4 *Pisae Cn. Cornelio, Ligures Petillio*] Vel utrique addendum praenomen videtur, vel utrique detrahendum. Crev.

5 *In eadem verba iurarunt*] *Iureiurarunt* Crev. et Drak. exhibent, sed de istius verbi probitate dubitant, cuius haud aliud fortasse exemplum exstat. Bekker. cum Kreyssigio *iurarunt* in textum reposuit.

6 *Quorum opera*] Quorum vitio. cf. supr. xxxv. 6.

U. C. 576. A. C. 176. Albano rediens, concidit: et, parte membrorum captus, ad Aquas Cumanas profectus ingravescente morbo, Cumis decessit. Sed inde mortuus Romam allatus, et funere magnifico elatus sepultusque est. Pontifex idem fuerat. Consul Q. Petillius, quum primum per auspicia posset, collegae subrogando comitia habere iussus, et Latinas edicere. Comitia in ante diem tertium Nonas Sextiles, Latinas in ante diem tertium Idus Sextiles edixit. Plenis religionum animis, prodigia insuper nuntiata: Tusculi facem in coelo visam, Gabiis aedem Apollinis et privata aedificia complura, Graviscis murum portamque de coelo tacta. Ea patres procurari, uti pontifices censuissent, iusserunt.

Prodigia.

Dum consules primum religiones, deinde alterum alterius mors, et comitia, et Latinarum instauratio impediunt, interim C. Claudius exercitum ad Mutinam, quam Ligures priore anno ceperant, admovit. Ante triduum, quam op- 7
pugnare coeperat, receptam ex hostibus, colonis restituit. Octo millia ibi Ligurum intra muros caesa; literaeque Romam extemplo scriptae, quibus non modo rem exponeret, sed etiam gloriaretur, sua virtute ac felicitate neminem iam cis Alpes hostem populi Romani: agrique aliquantum 8
captum, qui multis millibus hominum dividi viritim posset.

17. Et Ti. Sempronius eodem tempore in Sardinia multis secundis proeliis Sardos perdomuit. Quindecim millia hostium sunt caesa. Omnes Sardorum populi, qui defecerant, in ditionem redacti. Stipendiariis veteribus duplex vectigal imperatum, exactumque: ceteri frumentum contulerunt. Pacata provincia, obsidibusque ex tota insula ducentis triginta acceptis, legati Romam, qui ea nuntiarent, missi; quique ab senatu peterent, ut ob eas res, ductu auspicioque Ti. Sempronii prospere gestas, diis immortalibus honos haberetur, ipsique decedenti de provincia exercitum secum deportare liceret. Senatus, in aede Apollinis legatorum verbis auditis, supplicationem in biduum decrevit, et quadraginta maioribus hostiis consules sacrificare iussit: Ti. Sempronium proconsulem exercitumque eo anno in provincia manere.

Sardinia pacata.

Cos. subrogatus.

Comitia deinde consulis unius subrogandi, quae in ante diem tertium Nonas Sextiles edicta erant, eo ipso die sunt confecta. Q. Petillius consul collegam, qui extemplo ma-

7 *Ante triduum, quam oppugnare coeperat*] Si haec sana sunt, sensus est, antequam triduum elapsum esset, ex quo oppugnare urbem coeperat. Perizonius *intra* pro *ante* emendat. Crev.

8 *Agrique aliquantum*] Hic perspicuum est *aliquantum* idem esse quod *multum*, quum ager ille bello captus multis millibus hominum dividi viritim posse dicitur. Crev. cf. Cic. Tusc. Q. v. 6. Or. in Verr. i. 54. Ep. ad Divers. ix. 26.

gistratum occiperet, creavit C. Valerium Laevinum. Is, U. C. 576.
9 iam diu cupidus provinciae, quum opportunae cupiditati A. C. 176.
eius literae allatae essent, Ligures rebellasse, Nonis Sextili-
1 bus paludatus, literis auditis, tumultus eius causa legionem tertiam ad C. Claudium proconsulem in Galliam proficisci iussit; et duumviros navales cum classe Pisas ire, qui Ligurum oram, maritimum quoque terrorem admoventes, circumvectarentur. Eodem et Q. Petillius consul ad conveniendum exercitui diem edixerat. Et C. Claudius proconsul, audita rebellione Ligurum, praeter eas copias, quas secum Parmae habebat, subitariis collectis militibus, exercitum ad fines Ligurum admovit. Hostes sub adventum 18.
C. Claudii, a quo duce se meminerant nuper ad Scultennam Res in Liguria gestae.
flumen victos fugatosque, locorum magis praesidio adversus infeliciter expertam vim, quam armis, se defensuri, duos montes Letum et Balistam ceperant, muroque insuper amplexi. Tardius ex agris demigrantes oppressi ad mille et quingenti perierunt. Ceteri montibus se tenebant, et, ne in metu quidem feritatis ingenitae obliti, saeviunt in praedam, quae Mutinae parta erat. Captivos cum foeda laceratione interficiunt: pecora in fanis trucidant verius passim, quam rite sacrificant. Satiati caede animantium, quae in-
2 anima erant, parietibus affligunt, vasa omnis generis usui
3 magis, quam ornamento in speciem, facta. Q. Petillius consul, ne absente se debellaretur, literas ad C. Claudium misit, ut cum exercitu ad se in Galliam veniret: campis Macris se eum exspectaturum. Literis acceptis, Claudius ex Liguribus castra movit, exercitumque ad campos Macros consuli tradidit. Eodem paucis post diebus C. Valerius consul alter venit. Ibi, divisis copiis, priusquam digrederentur, communiter ambo exercitus lustraverunt. Tum sortiti, quia non ab eadem utrumque parte aggredi hostem placebat, regiones quas peterent. Valerium auspicato sortitum constabat, quod in templo fuisset: in Petillio id vitio

9 *Cupidus provinciae*] Rerum bello gerendarum, sive occasionis in provinciam ex urbe proficiscendi, si quando consul esset.

1 *Paludatus, literis auditis*] Haec videntur narrari, tanquam argumenta illius cupiditatis, quam in consule notavit Livius. Ex tota enim superiorum temporum historia colligi potest consules non ante paludamenta in urbe sumpsisse, quam ad bellum proficiscerentur. At hic, aliquanto antequam exeat in provinciam, paludatum sese ostentat, paludatus audit literas, quas nimirum vel in concione, vel in senatu recitari iusserat. Haec omnia eo spectabant, ut rem in maius augeret, ac, quemadmodum in tumultu civitatem saga sumere mos erat, sic ipse consul quum paludatus in urbe versaretur, impendentis alicuius periculi speciem ingereret animis. Crev.

2 *Parietibus affligunt*] Impingunt, ut Crevier. interpretatur. Gronovianae editiones *affigunt* mendose exhibent.

3 *Quam ornamento in speciem*] Vocem *ornamento*, ut quae e margine in textum irrepserit, Crevierius delendam censet.

U. C. 576. A. C. 176. factum, postea augures responderunt, quod extra templum 4
sortem in sitellam in templum latam foris ipse posuerit.
Profecti inde in diversas regiones. Petillius adversus Balistae et Leti iugum, quod eos montes perpetuo dorso inter se iungit, castra habuit. Ibi adhortantem eum pro concione milites, immemorem ambiguitatis verbi, ominatum ferunt, 'Se eo die Letum capturum esse.' Duabus simul partibus subire in adversos montes coepit. Ea pars, in qua ipse erat, impigre succedebat. Alteram hostes quum propulissent, ut restitueret rem inclinatam, consul equo advectus, suos quidem a fuga revocavit: ipse, dum incautius ante signa obversatur, missili traiectus cecidit. Nec hostes ducem occisum senserunt; et suorum pauci, qui viderant, haud negligenter, ut qui in eo victoriam verti scirent, corpus occultavere. Alia multitudo peditum equitumque, deturbatis hostibus, montes sine duce cepere. Ad quinque millia Ligurum occisa: ex Romano exercitu duo et quinquaginta ceciderunt. Super tam evidentem tristis ominis eventum, etiam ex pullario auditum est, vitium in auspicio fuisse; nec id consulem ignorasse. C. Valerius, audita [morte Q. Petillii, exercitum sine duce relictum ad suas copias adiunxit, iterumque aggressus hostes, eorum sanguine collegae Manibus egregie parentavit. Triumphavit de Liguribus. In legionem, cuius ante signa consul occisus erat, severe ab senatu animadversum est. Ei universae neque 5
stipendium anni procedere, neque aera dari placuit, quia pro salute imperatoris hostium telis se non obtulerant.
Sub haec tempora legati Dardanorum, quos ingens Bastar- 6
narum exercitus, Clondico duce, ut ante memoravimus, premebat, Romam venere. Qui quum de Bastarnis expo- 7
suissent, quanta esset eorum multitudo, quam procera et immania corpora, quanta in periculis audacia, adiecerunt, societatem iis esse cum Perseo, et vero eum maiori sibi, quam Bastarnas ipsos, esse terrori: ac proinde, ut auxilium sibi ferretur, ab senatu postularunt. Patres decreverunt, mittendos esse legatos, qui Macedoniae res inspicerent: et statim A. Postumio negotium datum, ut eo proficisceretur. Collegas ei adiunxerunt e iunioribus, ut penes eum prae-

Petillius Cos. occisus.

4 *Quod extra templum sortem*] Hinc colligit Drakenborchius, quo magis sortitio auspicato fieret, observandum fuisse, ne quis sortem in sitellam coniiceret, nisi quum sitella in templum, sive locum auguriis consecratum, allata foret: quippe sitella in templum lata fuisse videtur postea, quam consul sortem in illam foris posuerit.

5 *Neque stipendium anni procedere*] Haec apud Val. Max. ii. 7. § 15. narrantur.

6 *Ingens Bastarnarum*] cf. Supr. xl. 58.

7 *Romam venere*] De hac legatione Dardanorum, quos Thessali comitabantur, cf. Polyb. xxvi. 9.

cipua esset legationis vis et auctoritas. Inde actum de U. C. 576.
8 comitiis magistratuum in insequentem annum: qua de re A. C. 176.
9 non mediocris disceptatio incidit, quod] periti religionum iurisque publici, quando duo ordinarii consules eius anni, alter morbo, alter ferro periisset, suffectum consulem negabant recte comitia habere posse. [Res ad interregnum
1 rediit. Creati consules per interregem P. Mucius Scaevola, M. Aemilius Lepidus iterum. Praetores inde facti sunt C. Popillius Laenas, T. Annius Luscus, C. Memmius Gallus, C. Cluvius Saxula, Ser. Cornelius Sulla, Ap. Claudius Centho. Consulibus provinciae obtigere Gallia et Ligures. Praetorum Cornelius Sulla Sardiniam obtinuit, Claudius Centho citeriorem Hispaniam. Reliquae praetoriae provinciae quibus evenerint, non exstat memoria. Annus hic pestilentia infamis, quae tamen in armenta tantum grassata est. Ligures, gens semper victa, semper rebellans, Lunam Pisasque depopulati fuerant. Simul et Gallicus tumultus increpuerat. Lepidus, Gallorum motu facile compresso, in Ligures transcendit. Aliquot populi sese eius arbitrio permiserunt: quos, ut sunt fere similia locis cultorum ingenia, asperis montium iugis, quae incolebant, efferari ratus, quorundam ante se consulum exemplo, in plana] deduxit. Cis Apenninum Garuli, et Lapicini, et Hercates; trans 19.
Apenninum Briniates fuerant. Intra Audenam amnem P. Mucius cum iis, qui Lunam Pisasque depopulati erant, bellum gessit: omnibusque in ditionem redactis arma ademit. Ob eas res, in Gallia Liguribusque gestas duorum consulum ductu auspicioque, senatus in triduum supplicationes decrevit, et quadraginta hostiis sacrificari iussit.

Et tumultus quidem Gallicus et Ligustinus, qui principio eius anni exortus fuerat, haud magno conatu brevi oppressus erat. Belli Macedonici subibat iam cura, miscente Perseo inter Dardanos Bastarnasque certamina: et legati, qui missi ad res visendas in Macedoniam erant, iam reverterant Romam, renuntiaverantque, bellum in Dardania
2 esse. Simul venerant et ab rege Perseo oratores, qui purgarent, nec accitos ab eo Bastarnas, nec auctore eo quicquam facere. Senatus nec liberavit eius culpae regem, neque arguit: moneri eum tantummodo iussit, ut etiam atque etiam curaret, ut sanctum habere foedus, quod ei cum Romanis esset, videri posset. Dardani, quum Bas-

Bellum inter Dardanos et Bastarnas.

8 *Periti religionum*] Hanc periodum apud Priscianum xvii. p. 1050. et 1097. repertam suo loco Sigonius inseruit. CREV.

9 *Ordinarii consules*] *Ordinarii* consules sunt ii qui primis comitiis electi sunt. Iis opponuntur consules *suffecti*. CREV.

1 *Creati consules per interregem*] cf. Fast. Capit. et Pigh. Ann. Rom.

2 *Qui purgarent*] Qui ad purgandum eum a suspicione belli, neque accitos ab eo Bastarnas ... testarentur.

U. C. 576. A. C. 176. tarnas non modo non excedere finibus suis, quod speraverant, sed graviores fieri in dies cernerent, subnisos Thracum accolarum et Scordiscorum auxiliis, audendum aliquid vel temere rati, omnes undique armati ad oppidum, quod proximum castris Bastarnarum erat, conveniunt. Hiems erat, et id anni tempus elegerant, ut Thraces Scordiscique in fines suos abirent. Quod ubi ita factum, et solos iam esse Bastarnas audierunt, bifariam dividunt copias: pars, ut recto itinere ad lacessendum ex aperto iret; pars, devio saltu circumducta, ab tergo aggrederetur. Ceterum, priusquam circumire castra hostium possent, pugnatum est; victique Dardani compelluntur in urbem, quae fere duodecim millia ab castris Bastarnarum aberat. Victores confestim circumsidunt urbem, haud dubie postero die aut metu dedituris se hostibus, aut vi expugnaturi. Interim Dardanorum altera manus, quae circumducta erat, ignara cladis suorum, castra Bastarnarum sine praesidio relicta [nullo negotio cepit. Bastarnae, omni et commeatu et apparatu bellico, qui in castris fuerat, exuti, quum eius reparandi facultas ex hostili regione, et infesto tempore anni, nulla esset, patrias sedes repetere statuerunt. Itaque ad 3 Histrum regressi, non sine ingenti laetitia flumen alta concretum glacie offenderunt, quae nullum onus recusare videretur. Verum incumbente festinantium seque cursu agglomerantium hominum ac iumentorum toto simul agmine, glacies sub immenso pondere fatiscens subito dissiluit, uni- 4 versumque agmen, quod diu sustinuerat, mediis gurgitibus, victa tandem et comminuta, destituit. Plurimi statim vorticibus hausti sunt. Multos enatare conantes crustae dissolutae fragmina superinducta merserunt. Pauci ex omni populo per utramque ripam vix concisis visceribus evaserunt.

Dardanorum urbs obsessa.

[Per ea tempora Antiochus, Magni Antiochi filius, qui diu Romae obses fuerat, mortuo Seleuco fratre, Syriae regnum occupavit. Namque Seleucus, quem Philopatora Graeci vocavere, quum paternis cladibus fractas admodum Syriae opes accepisset, post otiosum nullisque admodum rebus gestis nobilitatum annorum duodecim regnum, hunc minorem natu fratrem, misso Romam in eius locum filio suo Demetrio, revocavit, ex foederis legibus, quo mutari 5 identidem obsides oportebat. Vix ille Athenas pervenerat, quum Seleucus insidiis Heliodori, unius ex purpuratis, op-

3 *Itaque ad Histrum regressi*] cf. Oros. iv. 20.

4 *Fatiscens subito*] Cuivis in mentem venerit clades illa Persarum per fluvium Strymonem glacie concretum transeuntium, et mediis gurgitibus haustorum, apud Aeschyl. Pers. v. 473. narrata.

5 *Ex foederis legibus*] cf. Supr. xxxviii. 38.

pressus interiit. Hunc regnum affectantem Eumenes et U. C. 576.
Attalus expulerunt, induxeruntque in eius possessionem A. C. 176.
Antiochum, quem sibi hoc tanto beneficio devinctum habere magni aestimabant. Iam enim ob quasdam offensiunculas suspectos habebant Romanos. Eorum auxiliis regno potitus Antiochus tanto populorum gaudio exceptus est, ut ei cognomen indiderint Epiphani, quod, quum alieni a stirpe regia regnum invaderent, ipse avitae ditionis assertor exortus suis illuxisset. Neque vero ei ad res bellicas defuit indoles et vigor animi. Verum ita pravus et inconsultus fuit in tota morum et instituendae vitae ratione, ut brevi, cognomine mutato, pro Epiphane Epimanes, id est insanus, vocitaretur. Saepe enim egressus e regia insciis ministris, uno aut altero comite, per urbem rosa coronatus et auro textam indutus vestem incedebat, interdum lapidibus, quos sub ala gerebat, incessens obvios; interdum contra nummos in vulgus spargens, vociferansque, 'Sumat, cui 'fortuna dederit.' Alias vero per aurificum, caelatorumque, et aliorum fabrorum officinas discurrebat, de cuiusque arte ambitiose disserens: nunc cum obvio quoque plebeiorum hominum sermones miscebat in publico, nunc circum popinas oberrans, cum ultimae sortis peregrinis et advenis compotationi indulgebat. Si quos forte iuvenes tempestivum celebrare convivium senserat, ipse statim cum poculo et symphonia improvisus aderat comissabundus et lasciviens, ita ut rei novitate perculsi plerique se in fugam darent, partim metu conticescerent. In publicis quoque balneis cum turba eum lavare solitum fuisse constat. Ibi quum unguentis tamen pretiosissimis uteretur, ferunt quendam ei de plebe hominem dixisse quondam: 'Beatus es, o rex: 'unguenta maximi pretii oles.' Cui ille, dicto delectatus, 'Iam te,' inquit, 'ita beabo, ut saturum te esse fateare:' et statim in eius caput ingentem unguenti nobilissimi urnam effundi iussit: ita ut, natante pavimento, in lubrico lapsantes tum ceteri, tum ipse rex in primis cachinnos tollens concideret.

Postremo, sumpta loco vestis regiae toga, quemadmodum 20.
Romae a candidatis fieri viderat, forum circumibat, singulos e plebe prensans amplexansque, et modo aedilitatem, modo tribunatum plebis petens: ac denique populi suffragiis ma-
6 gistratum adeptus, Romano] more, sella eburnea posita, ius dicebat, disceptabatque controversias minimarum rerum:
7 adeoque nulli fortunae adhaerebat animus, per omnia

6 *Romano*] *more*] Haec de Syriae rege, Antiocho Epiphane, dici satis docent Polyb. xxvi. 10. et Athen. v. 21. x. 52.

7 *Adeoque nulli fortunae*] *Formae* pro *fortunae* legendum cum Rubenio censet Crevier.

U. C. 576. A. C. 176. genera vitae errans, uti nec sibi, nec aliis, quinam homo esset, satis constaret. Non alloqui amicos, vix notis familiariter arridere; munificentia inaequali sese aliosque ludificari: quibusdam honoratis magnoque aestimantibus se puerilia, ut escae aut lusus, munera dare; alios nihil ex- 8
spectantes ditare. Itaque nescire, quid sibi vellet, quibusdam videri. Quidam ludere eum simpliciter, quidam haud 9
dubie insanire aiebant. In duabus tamen magnis honestis-
que rebus fere regius erat animus, in urbium donis, et deorum cultu. Megalopolitanis in Arcadia murum se circumdaturum urbi est pollicitus, maioremque partem pecuniae dedit. Tegeae theatrum magnificum e marmore facere instituit. Cyzici in Prytaneum, (id est penetrale 1
urbis, ubi publice, quibus is honos datus est, vescuntur) vasa aurea mensae unius posuit. Rhodiis, ut nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quaeque usus eorum postulaverunt, dona dedit. Magnificentiae vero in deos vel Iovis Olympii templum Athenis, unum in terris inchoatum pro magnitudine dei, potest testis esse. Sed et Delon aris insignibus statuarumque copia exornavit: et Antiochiae Iovis Capitolini magnificum templum, non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, et alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus regni eius fuit,
non perfecit. Spectaculorum quoque omnis generis magni- 2
ficentia superiores reges vicit; reliquorum sui moris, et
copia Graecorum artificum. Gladiatorum munus Romanae consuetudinis primo maiore cum terrore hominum, insuetorum ad tale spectaculum, quam voluptate, dedit: deinde saepius dando, et modo vulneribus tenus, modo sine mis- 3

Antiochi munificentia.

Ludi.

8 *Ut escae aut lusus*] Polybius nominat talos et dactylos palmarum. Crev.

9 *Quidam haud dubie insanire*] Hinc cognomen Epimanes ei inditum est, ut Athenaeus docet.

1 *In Prytaneum*] Nulla urbs Graeca fuit, ut Graevius ad Cic. in Verr. iv. 119. animadvertit, quae non suum Prytaneum haberet. Prytanea autem erant Vestae sacra: cuius in honorem perpetuus ibi ignis fovebatur. cf. Spanhem. de Vesta et Prytan. Graecorum. Meurs. Athen. Attic. i. 8.

2 *Reliquorum sui moris*] Vox *reliquorum* pendet a praecedenti nomine *spectaculorum*. Dicit Livius ab Antiocho superatos esse superiores reges magnificentia spectaculorum omnis generis, ex quibus cetera moris Graeci erant, et cum copia Graecorum artificum; unum Romanae consuetudinis, nempe gladiatorium munus: quod quidem primo maiore cum terrore . . . *Artifices* hic intelligendi sunt, ut supr. v. 1. quorum opera ludi peraguntur, puta histriones, saltatores, tibicines, etc. Crev.

3 *Modo vulneribus tenus, modo sine missione etiam*] Modo ita ut vulnerarentur tantum gladiatores, non interficerentur; modo ad necem usque. *Missio* erat gratia deserendi pugnam, quae dabatur aliquando victis gladiatoribus. Quum autem placeret, ut eousque pugnaretur, donec alteruter occumberet, dicebatur pugna *sine missione*. Sic Flor. iii. 20. de Spartaci militibus: *dignam viris obiere mortem: et, quod sub gladiatore duce oportuit, sine missione pugnatum est.* Vide plura apud Lips. Saturn. ii. 21. Crev.

sione etiam, et familiare oculis gratumque id spectaculum U. C. 577.
fecit, et armorum studium plerisque iuvenum accendit. A. C. 175.
Itaque, qui primo ab Roma magnis pretiis paratos gladiatores arcessere solitus erat, iam suo [e regno voluntarios facile paravit gladiatores, operam ultro ad depugnandum exigua mercede offerentes. Ceterum eandem in edendis spectaculis, quam et in cetera vita, pravitatem animi levitatemque exhibuit, ut ludorum apparatu nihil magnificentius, nihil ipso rege vilius aut contemptius videretur. Quod quidem quum saepe alias, tum maxime in iis ludis apparuit, quos, aemulatus eorum magnificentiam, qui a Paullo in Macedonia post devictum Persea dati fuerant, immani sumptu, nec minore suo dedecore, Antiochiae edidit. Verum ad Romanas res revertamur, a quibus nos longius abstraxit huius regis mentio. Ti. Sempronius Gracchus, 21.
qui per biennium Sardiniam obtinuerat, tradita Ser. Cornelio Sullae praetori provincia, reversus Romam triumpha-
4 vit de Sardis. Tantam captivorum multitudinem ex ea insula illum abduxisse ferunt, ut longa eorum venditione res in proverbium venerit, et 'Sardi venales' pro rebus vilibus vulgari ioco celebrati fuerint. Triumphaverunt et consules ambo, Scaevola de Liguribus, Lepidus de iisdem et Gallis. Tum comitia magistratuum in insequentem annum habita. Creati consules sunt Sp. Postumius Albinus, Q. Mucius Scaevola. Praetoriis comitiis fortuna inter ceteros candidatos P. Africani filium L. Cornelium Scipionem, sive is Cnaeus fuit, non sine magna invidia in cer-
5 tamen coniecit cum C. Cicereio, qui patris eius scriba fuerat. Nam quinque iam nominatis praetoribus, C. Cassio Longino, P. Furio Philo, L. Claudio Asello, M. Atilio Serrano, Cn. Servilio Caepione, quum extremo saltem loco adhaerescere Scipio niteretur, adeo a patris virtutibus degenerasse visus est, ut omnium centuriarum suffragiis ei Cicereius anteferretur, nisi hic sive fortunae crimen, sive comitiorum errorem modestia sua emendasset. In hoc campestri certamine patroni sui filium vincere non sustinuit, abiectaque statim candida toga, ex competitore de victoria certo gratus cliens et competitoris sui suffragator factus est. Sic honorem, quem a populo impetraturus Scipio non videbatur, ope Cicereii consecutus est, maiore Cicereii gloria, quam sua. Consulibus provinciae assignatae sunt Gallia et Ligures. Mox sortiti praetores, C. Cassius Longinus

4 *Tantam captivorum*] cf. Auctor de Vir. Illustr. 21 et 28. Festus. v. *Sardi Venales.*

5 *Qui patris eius scriba*] cf. Val. Max. iii. 5. § 1. v. 5. § 3.

U. C. 577. urbanam iurisdictionem obtinuit, L. Cornelius Sci]pio inter
A. C. 175. peregrinos. M. Atilio praetori provincia Sardinia obvenerat: sed cum legione nova, quam consules conscripserant, quinque millibus peditum, trecentis equitibus, in Corsicam iussus est transire. Dum is ibi bellum gereret, Cornelio 6
prorogatum imperium, uti obtineret Sardiniam. Cn. Servilio Caepioni in Hispaniam ulteriorem, et P. Furio Philo in citeriorem tria millia peditum Romanorum, equites centum quinquaginta, et socium Latini nominis quinque millia peditum, trecenti equites: Sicilia L. Claudio sine supplemento decreta. Duas praeterea legiones consules scribere iussi, iusto numero peditum equitumque, et decem millia
Pestilentia. peditum sociis imperare, et sexcentos equites. Delectus consulibus eo difficilior erat, quod pestilentia, quae priore anno in boves ingruerat, eo verterat in hominum morbos. 7
Qui inciderant, haud facile septimum diem superabant: qui superaverant, longinquo, maxime quartanae, implicabantur morbo. Servitia maxime moriebantur: eorum strages per omnes vias insepultorum erat. Ne liberorum quidem funeribus Libitina sufficiebat. Cadavera, intacta a 8
canibus ac vulturibus, tabes absumebat: satisque constabat, nec illo, nec priore anno, in tanta strage boum hominumque vulturium usquam visum. Sacerdotes publici ea pestilentia mortui sunt, Cn. Servilius Caepio pontifex, pater praetoris, et Ti. Sempronius Ti. F. Longus decemvir sacrorum, et P. Aelius Paetus augur, et Ti. Sempronius Gracchus, et C. Mamilius Vitulus curio maximus, et M. Sempronius Tuditanus pontifex. Pontifices suffecti sunt, C. 9
Sulpicius Galba * * * in locum Tuditani. Augures suffecti sunt, in Gracchi locum T. Veturius Gracchus Sempronianus, in P. Aelii Q. Aelius Paetus. Decemvir sacrorum C. Sempronius Longus, curio maximus C. Scribonius Curio sufficitur. Quum pestilentiae finis non fieret, senatus decrevit, uti decemviri libros Sibyllinos adirent. Ex decreto eorum diem unum supplicatio fuit et, Q. Marcio Philippo 1
verba praeeunte, populus in foro votum concepit: 'Si 'morbus pestilentiaque ex agro Romano emota esset, bi-
Prodigia. 'duum ferias ac supplicationem se habiturum.' In Veienti agro biceps natus puer, et Sinuessae unimanus, et Auximi puella cum dentibus: et arcus interdiu sereno coelo super

6 *Cornelio prorogatum imperium*] Hinc apparet Cornelium superiore anno praetorem fuisse. Crev.

7 *Eo verterat*] Supple *anno*.

8 *Libitina*] cf. Supr. xl. 19.

9 *C. Sulpicius Galba*] Hunc in locum Caepionis demortui suffectum fuisse censet Drakenborchius, et nomen eius intercidisse, qui in locum Tuditani suffectus est.

1 *Q. Marcio Philippo*] Decemviro sacrorum. cf. supr. xl. 42. Crev.

aedem Saturni in foro Romano intentus, et tres simul soles U. C. 578.
2 effulserunt: et faces eadem nocte plures per coelum lapsae A. C. 174.
sunt in Lanuvino: Caeritesque anguem in oppido suo iubatum, aureis maculis sparsum, apparuisse affirmabant: et, in agro Campano bovem locutum esse, satis constabat.

Legati Nonis Iuniis ex Africa redierunt, qui, convento 22.
prius Masinissa rege, Carthaginem ierant: ceterum certius aliquanto, quae Carthagine acta essent, ab rege rescierant, quam ab ipsis Carthaginiensibus. Compertum tamen affirmaverunt, legatos ab rege Perseo venisse, iisque noctu senatum in aede Aesculapii datum esse. Ab Carthagine legatos in Macedoniam missos, et rex affirmaverat, et ipsi parum constanter negaverant. In Macedoniam quoque mittendos legatos senatus censuit. Tres missi sunt, C. Laelius, M. Valerius Messalla, Sex. Digitius. Perseus per id tempus, quia quidam Dolopum non parebant, et, de quibus ambigebatur rebus, disceptationem ab rege ad Ro-
3 manos revocabant, cum exercitu profectus, sub ius iudiciumque suum totam coegit gentem. Inde, per Oetaeos Persei iter Delphos.
montes transgressus, religionibus quibusdam animo obiectis, oraculum aditurus Delphos escendit. Quum in media repente Graecia apparuisset, magnum non finitimis modo urbibus terrorem praebuit, sed in Asiam quoque ad regem Eumenem nuntios tumultuosos misit. Triduum,
4 non plus, Delphis moratus, per Phthiotidem Achaiam, Thessaliamque, sine damno iniuriaque agrorum, per quos iter fecit, in regnum rediit. Nec earum tantum civitatium, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare:
5 aut legatos, aut literas dimisit, petens, 'ne diutius simulta-
'tum, quae cum patre suo fuissent, meminissent: nec enim
'tam atroces fuisse eas, ut non cum ipso potuerint ac de-
'buerint finiri. Secum quidem omnia illis integra esse ad
'instituendam fideliter amicitiam.' Cum Achaeorum maxime gente reconciliandae gratiae viam quaerebat. Haec 23.
una ex omni Graecia gens, et Atheniensium civitas, eo Achaeorum animos sibi reconciliare tentat.
processerat irarum, ut finibus interdiceret Macedonibus. Itaque servitiis ex Achaia fugientibus receptaculum Macedonia erat: quia, quum finibus suis interdixissent, intrare

2 *Faces . . . lapsae sunt in Lanuvino: Caeritesque*] Priscianus iv. p. 633. citat hunc locum sic: *Lanuvini Caeritesque anguem iubatum.* Itaque legendum est hoc modo: *lapsae sunt. Lanuvini Caeritesque.* Sigon. *Faces* sunt stellae facem ducentes.

3 *Cum exercitu profectus*] Hanc Dolopiae occupationem et Delphos adventum in causa fuisse, cur bellum Romanis cum Perseo conflatum esset, legimus apud Polyb. Excerpt. Vatican. xxii. 1.

4 *Phthiotidem Achaiam*] cf. Supr. xxxvi. 15.

5 *Aut legatos, aut literas*] Adiecerat Sigonius de suo *sed* ante prius illud *aut.* Videntur pluscula deesse. Dederat fortasse Livius: *sed circa omnes Graeciae civitates, aut legatos . . .* Creu.

U. C. 578. A. C. 174. regni terminos ipsi non audebant. Id quum Perseus animadvertisset, comprensis omnibus, literae * * *. 'Ceterum, ne similis fuga servorum postea fieret, cogitandum 6
'et illis esse.' Recitatis his literis per Xenarchum praetorem, qui privatae gratiae aditum apud regem quaerebat, et plerisque moderate et benigne scriptas esse censentibus literas, atque his maxime, qui praeter spem recepturi essent amissa mancipia; Callicrates ex iis, qui in eo verti 7
salutem gentis crederent, si cum Romanis inviolatum foedus servaretur, 'Parva,' inquit, 'aut mediocris res, Achaei, 'quibusdam videtur agi; ego maximam gravissimamque 8
'omnium non agi tantum arbitror, sed quodam modo actam 'esse. Nam qui regibus Macedonum, Macedonibusque 'ipsis, finibus interdixissemus, manereque id decretum, 9
'scilicet, ne legatos, ne nuntios admitteremus regum, per 1
'quos aliquorum ex nobis animi sollicitarentur; ii concio-'nantem quodam modo absentem audimus regem, et, si 'diis placet, orationem eius probamus. Et, quum ferae 'bestiae cibum ad fraudem suam positum plerumque asper-'nentur et refugiant, nos caeci, specie parvi beneficii, in-'escamur: et, servulorum minimi pretii recipiendorum spe, 'nostram ipsorum libertatem subrui et tentari patimur. 'Quis enim non videt, viam regiae societatis quaeri, qua 'Romanum foedus, quo nostra omnia continentur, violetur? 'Nisi hoc dubium alicui est, bellandum Romanis cum Per-'seo esse, et, quod vivo Philippo exspectatum, morte eius 'interpellatum est, id post mortem Philippi futurum. Duos, 'ut scitis, habuit filios Philippus, Demetrium et Persea. 'Genere materno, virtute, ingenio, favore Macedonum, 'longe praestitit Demetrius. Sed quia in Romanos odii 'regnum posuerat praemium, Demetrium nullo alio cri-'mine, quam Romanae amicitiae initae, occidit: Persea, 'quem hostem populo Romano prius paene, quam regni 2
'heredem futurum sciebat, regem fecit. Itaque quid hic

Callicratis adversus regem oratio.

6 *Literae**] *Literas** Sigonius legit, qui locum ita explet, *ad Achaios misit, quibus se servos eorum, qui ad se transfugerant, benigne remittere illis scripsit.*

7 *Callicrates ex iis, qui in eo verti*] Hic Callicrates non tam honorifice tractatur a Polybio xxvi. 1. qui eum traducit tanquam proditorem publicae Achaeorum libertatis, et insignem eius perfidiam notat. Crev.

8 *Maximam gravissimamque*] *Maximam et gravissimam* reposuit Bekker.

9 *Interdixissemus, manereque*] Vitium aliquid in his verbis latere suspicantur omnes interpretes, cui medicinam ab integriore codice exspectandam Drakenborchius censet. Itaque aut post *manere* verbum aliquid, ut *voluimus*, quod Sigonius addit, supplendum est, aut cum Gronovio *manèret* legendum.

1 *Scilicet, ne legatos*] Hic non referuntur ipsa decreti verba, sed mens explicatur. Regibus Macedonum, inquit, Macedonibusque ipsis, finibus nostris interdixeramus, id scilicet praecaventes, ne legatos, ne nuntios . . . Crev.

2 *Quem hostem populo Romano*] Vocem *hostem* addidit Muretus.

'post mortem patris egit aliud, quam bellum paravit? U. C. 578.
'Bastarnas primum ad terrorem omnium in Dardaniam A. C. 174.
'immisit: qui si sedem eam tenuissent, graviores eos acco-
'las Graecia habuisset, quam Asia Gallos habeat. Ea spe
'depulsus, non tamen belli consilia omisit: imo, si vere
'volumus dicere, iam inchoavit bellum. Dolopiam armis
'subegit, nec provocantes de controversiis ad disceptatio-
'nem populi Romani audivit. Inde, transgressus Oetam,
'ut repente in medio umbilico Graeciae conspiceretur,
'Delphos escendit. Haec usurpatio itineris insoliti quo
'vobis spectare videtur? Thessaliam deinde peragravit.
'Quod sine ullius eorum, quos oderat, noxa, hoc magis
'tentationem metuo. Inde literas ad nos cum muneris
'specie misit, et cogitare iubet, quo modo in reliquum hoc
'munere non egeamus; hoc est, ut decretum, quo arcen-
'tur Peloponneso Macedones, tollamus; rursus legatos re-
'gios, et hospitia cum principibus, et mox Macedonum
'exercitus, ipsum quoque a Delphis (quantum enim inter-
'fluit fretum?) traiicientem in Peloponnesum videamus,
'immisceamur Macedonibus armantibus se adversus Ro-
'manos. Ego nihil novi censeo decernendum, servandaque
3 'omnia integra, donec ad certum redigatur, vanusne hic
'timor noster, an verus fuerit. Si pax inviolata inter Ma-
'cedonas Romanosque manebit, nobis quoque amicitia et
'commercium sit: nunc de eo cogitare periculosum et im-
'maturum videtur.'

Post hunc Archo, frater Xenarchi praetoris, ita disse- 24.
ruit: 'Difficilem orationem Callicrates, et mihi, et omni- Arco Callicrati respondet.
'bus, qui ab eo dissentimus, fecit: agendo enim Romanae
'societatis causam ipse, tentarique et oppugnari dicendo,
'quam nemo neque tentat, neque oppugnat, effecit, ut, qui
'ab se dissentiret, adversus Romanos dicere videretur. Ac
'primum omnium, tanquam non hic nobiscum fuisset, sed
'aut ex curia populi Romani veniret, aut regnm arcanis
'interesset, omnia scit et nuntiat, quae occulte facta sunt.
4 'Divinat etiam, quae futura fuerant, si Philippus vixisset:
'quid ita Perseus regni heres sit, quid parent Macedones,
'quid cogitent Romani. Nos autem, qui, nec ob quam
'causam, nec quemadmodum perierit Demetrius, scimus;
'nec quid Philippus, si vixisset, facturus fuerit, ad haec,
'quae palam geruntur, consilia nostra accommodare opor-

3 *Donec ad certum redigatur*] Donec certum fiat, donec certo sciatur. Sic. xliv. 15. *Et, si id ante dubium fuisset, legatorum . . . verba ad certum redegisse.* Ceterum legebatur hic *ad certum dirigatur.* Correxit Gronovius. CREV.

4 *Quae futura fuerant*] cf. Supr. xxi. 47. Ruhnken. Opusc. p. 402. *Fuerint* emendavit Gronovius, sed nihil opus est.

U. C. 578. 'tet. Ac scimus, Persea, regno accepto, legatos Romam 5
A. C. 174. 'misisse, ac regem a populo Romano appellatum: audi-
'mus, legatos Romanos venisse ad regem, et eos benigne
'exceptos. Haec omnia pacis equidem signa esse iudico,
'non belli: nec Romanos offendi posse, si, ut bellum geren-
'tes eos secuti sumus, nunc quoque pacis auctores sequa-
'mur. Cur quidem nos inexpiabile omnium soli bellum ad-
'versus regnum Macedonum geramus, non video. Oppor-
'tuni propinquitate ipsa Macedoniae sumus? an infirmissimi
'omnium, tanquam, quos nuper subiecit, Dolopes? Imo
'contra ea, vel viribus nostris, deum benignitate, vel re- 6
'gionis intervallo tuti. Sed simus aeque subiecti ac Thes- 7
'sali Aetolique: nihilo plus fidei auctoritatisque habemus
'adversus Romanos, qui semper socii atque amici fuimus,
'quam Aetoli, qui paullo ante hostes fuerunt? Quod Ae-
'tolis, quod Thessalis, quod Epirotis, omni denique Grae-
'ciae cum Macedonibus iuris est, idem et nobis sit. Cur
'exsecrabilis ista nobis solis velut dissertio iuris humani
'est? Fecerit aliquid Philippus, cur adversus eum arma-
'tum et bellum gerentem hoc decerneremus: quid Per-
'seus, novus rex, omnis iniuriae insons, suo beneficio pa-
'ternas simultates obliterans, meruit? cur soli omnium
'hostes ei sumus? Quanquam et illud dicere poteram,
'tanta priorum Macedoniae regum merita erga nos fuisse,
'ut Philippi unius iniurias, si quae forte fuerunt, * utique
'post mortem; quum classis Romana Cenchreis staret,
'consul cum exercitu Elatiae esset, triduum nos in concilio
'fuisse, consultantes, utrum Romanos, an Philippum, se-
'queremur. Nihil metus praesens ab Romanis sententias 8
'nostras inclinarit: fuit certe tamen aliquid, quod tam lon-
'gam deliberationem faceret: id quod erat vetusta con-
'iunctio cum Macedonibus, vetera et magna in nos regum
'merita. Valeant et nunc eadem illa, non ut praecipue
'amici, sed ne praecipue inimici simus. Ne id, quod non 9
'agitur, Callicrates, simulaverimus. Nemo novae societatis

5 *Legatos Romam misisse*] cf. Supr. xl. 58.

6 *Contra ea*] Formula haec pro simplice *contra* alibi adhibetur apud nostrum. cf. supr. xxi. 20. infr. xliv. 43.

7 *Sed simus aeque subiecti ac Thessali Aetolique*] Patet ex iis quae sequuntur, legi debere *Epirotaeque*. Ceterum haec ita intelligenda sunt, ut ea Arco sibi ipse obiiciat, ac dum obiicit refellat. *Subiecti* idem est ac supra *opportuni*. Nisi forte legendum est potius *suspecti*. Crev.

8 *Nihil metus praesens*] *Nihil* pro *nonnihil* recte emendavit Perisonius. Arco, ut Crevierius notavit, vult intelligi Romanorum metum, quorum classis Cenchreis, exercitus terrestris Elatiae erat, dum deliberarent Achaei, in causa fuisse, cur ad illos inclinarent consultantium animi. Sed demus, inquit, nihil tunc valuisse metum illum. Certe aliquid tamen fuit, quod tam longam deliberationem faceret.

9 *Ne id, quod non agitur*] Ne subiicere videamur deliberationi nostrae aliquid, de quo non agitur. Rasch.

'aut novi foederis, quo nos temere illigemus, conscribendi U. C. 578.
'est auctor: sed commercium tantum iuris praebendi re- A. C. 174.
'petendique sit, ne interdictione finium nostrorum et nos
'quoque regno arceamus, ne servis nostris aliquo fugere
'liceat. Quid hoc adversus Romana foedera est? Quid
'rem parvam et apertam magnam et suspectam facimus?
'Quid vanos tumultus ciemus? Quid, ut ipsi locum assen-
1 'tandi Romanis habeamus, suspectos alios et invisos effici-
'mus? Si bellum erit, ne Perseus quidem dubitat, quin
'Romanos secuturi simus: in pace, etiamsi non finiuntur,
'odia intermittantur.' Quum iidem huic orationi, qui Nihil novi statuunt Achaei.
literis regis assensi erant, assentirentur, indignatione principum, quod, quam rem ne legatione quidem dignam iudicasset Perseus, literis paucorum versuum impetraret, decretum differtur. Legati deinde postea missi ab rege, quum Megalopoli concilium esset; dataque opera est ab iis, qui offensionem apud Romanos timebant, ne admitterentur.

Per haec tempora Aetolorum in semet ipsos versus furor 25.
mutuis caedibus ad internecionem adducturus videbatur Aetolorum discordiae.
gentem. Fessi deinde et Romam utraque pars miserunt legatos, et inter se ipsi de reconcilianda concordia agebant:
2 quae novo facinore discussa res veteres etiam iras excitavit. Exsulibus Hypataeis, qui factionis Proxeni erant, quum reditus in patriam promissus esset, fidesque data per principem civitatis Eupolemum, octoginta illustres homines, quibus redeuntibus inter ceteram multitudinem Eupolemus etiam obvius exierat, quum salutatione benigna excepti essent, dextraeque datae, ingredientes portam, fidem datam deosque testes nequicquam invocantes, interfecti sunt. Inde gravius de integro bellum exarsit. C. Valerius Laevinus, et Ap. Claudius Pulcher, et C. Memmius, et M. Popillius, et L. Canuleius missi ab senatu venerant. Apud eos quum Delphis utriusque partis legati magno certamine agerent, Proxenus maxime, quum causa, tum eloquentia, praestare visus est; qui paucos post dies ab Orthobula uxore veneno
3 est sublatus: damnataque eo crimine, in exsilium abiit. Idem furor et Cretenses lacerabat. Adventu deinde Q. Cretensium dissidia.
Minucii legati, qui cum decem navibus missus ad sedanda eorum certamina erat, in spem pacis venerant. Ceterum indutiae tantum sex mensium fuerunt: inde multo gravius

1 *Alios et invisos*] *Et* pro *ac* reponendum censent Crevier. et Drakenb. quoniam Livius particulam *ac* vocibus a vocali incipientibus nunquam praemittit. cf. supr. xxxvi. 17.

2 *Discussa res*] Postremam vocem delet Crevier. quum ex praecedentibus *concordia* facile intelligatur.

3 *Damnataque eo crimine*] Perizonius *damnata quae* emendat, sed Livius saepe relativum omittit.

U. C. 578. A. C. 174. bellum exarsit. Lycii quoque per idem tempus ab Rhodiis bello vexabantur. Sed externorum inter se bella, quo quaeque modo gesta sunt, persequi non operae est satis superque oneris sustinenti res a populo Romano gestas scribere.

26. Celtiberorum rebellio.

Celtiberi in Hispania, qui bello domiti se Ti. Graccho dediderant, pacati manserant M. Titinio praetore obtinente provinciam. Rebellarunt sub adventum Ap. Claudii, orsi- 4
que bellum sunt ab repentina oppugnatione castrorum Romanorum. Prima lux ferme erat, quum vigiles in vallo, quique in portarum stationibus erant, quum vidissent procul venientem hostem, ad arma conclamaverunt. Ap. Claudius, signo proposito pugnae, paucis adhortatus milites, tribus simul portis eduxit. Obsistentibus ad exitum Celtiberis, primo par utrimque proelium fuit, quia propter angustias non omnes in faucibus pugnare poterant Romani: urgentes deinde alii alios sicubi evaserunt extra vallum, ut 5
pandere aciem, et exaequari cornibus hostibus, quibus cir- 6
cumibantur, possent, ita repente irruperunt, ut sustinere impetum eorum Celtiberi nequirent. Ante horam secundam pulsi sunt: ad quindecim millia caesa aut capta: signa adempta duo et triginta. Castra etiam eo die expugnata, debellatumque. Nam, qui superfuere proelio, in oppida sua dilapsi sunt. Quieti deinde paruerunt imperio.

27. Censores.

Insignes notae.

Censores eo anno creati Q. Fulvius Flaccus et A. Postumius Albinus legerunt senatum: princeps lectus M. Aemilius Lepidus pontifex maximus. De senatu novem eiecerunt. Insignes notae fuerunt M. Cornelii Maluginensis, qui biennio ante praetor in Hispania fuerat; et L. Cornelii 7 8
Scipionis praetoris, cuius tum inter cives et peregrinos iurisdictio erat; et Cn. Fulvii, qui frater germanus et, ut 9

4 *Ap. Claudii*] Hinc discimus Ap. Claudium fuisse praetorem superiore anno, et citeriorem Hispaniam obtinuisse.

5 *Sicubi evaserunt*] *Ubi* pro *sicubi* reposuit Bekker. Olim *secuti* legebatur, pro quo *scutis* legendum coniiciebat Crevier.

6 *Et exaequari cornibus hostibus*] Ut cornua extendere, et hostibus, a quibus circumibantur, exaequari possent.

7 *Praetor in Hispania*] Hic praetor in Hispaniam ire noluerat, ut constat supr. 15. Ergo aut delendae sunt voces *in Hispania*, aut lapsus est memoria Livius. Crev.

8 *L. Cornelii Scipionis praetoris*] Testatur Valer. Max. iii. 5. eius propinquos dedisse operam, ne aut sellam ponere, aut ius dicere auderet. Id fortasse ut perficere possent, notandum eum a censoribus curaverant. Quamvis enim huius notae vi praeturam non amitteret, alienum tamen erat a dignitate populi Romani, hominem a censoribus notatum ius dicere, et statuere de fortunis civium. Crev.

9 *Cn. Fulvii, qui frater germanus . . . censoris*] Huic Fulvio praenomen assignabatur in veteri codice *Lucius*. At Velleius i. 10. eum vocat *Cnaeum*: eique potius assentiendum Sigonius existimat. Ceterum is, sive L. sive Cn. Fulvius, idem est, qui supr. xl. 41. vocatur M. Fulvius Nobilior, et dicitur legionem, in qua tribunus militum erat, dimisisse. Quod autem in priore illo libri xl. loco vo-

1 Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat. Con- U. C. 578.
sules, votis in Capitolio nuncupatis, in provincias profecti A. C. 174.
2 sunt. Ex iis M. Aemilio senatus negotium dedit, ut Pata-
vinorum in Venetia seditionem comprimeret, quos certa-
mine factionum ad intestinum bellum exarsisse, ipsorum
legati attulerant. Legati, qui in Aetoliam ad similes mo-
tus comprimendos ierant, renuntiarunt, coerceri rabiem
gentis non posse. Patavinis saluti fuit adventus consulis:
neque aliud, quod ageret in provincia, quum habuisset,
Romam rediit. Censores vias sternendas silice in urbe, Censorum
3 4 glarea extra urbem substruendas marginandasque primi opera.
omnium locaverunt, pontesque multis locis faciendos: et
5 scenam aedilibus praetoribusque praebendam: et carceres
6 7 in circo, et ova ad notas curriculis numerandis, et * dam,
et metas trans * et caveas ferreas pe * intromitterentur *
8 ferreis in monte Albano consulibus, et clivum Capitolinum
silice sternendum curaverunt, et porticum ab aede Saturni
9 in Capitolium ad senaculum, ac super id curiam. Et ex-

catur M. Fulvius Nobilior, hic autem Cn. Fulvius, id ex eo oriri Sigonius existimat, quod a M. Fulvio Nobiliore adoptatus esset. Itaque *Cn. Fulvius Flaccus* primum est eius nomen: *M. Fulvius Nobilior* nomen est illud quod a patre adoptivo sibi asciverat. Crev.

1 *Consors etiam censoris*] Per *consortes* intelligendi sunt cohaeredes, qui communi et nondum diviso patrimonio pariter utuntur. Drak.

2 *Ex iis M. Aemilio*] Mendum est in nomine consulis. Non enim hoc anno, sed superiore, M. Aemilius consul fuit. Crev. Ceterum pro vocibus *ex iis* Drakenborchius *exin* reponendum coniicit, qui ita mox *adventus proconsulis* legendum monet.

3 *Glarea . . . substruendas*] Ita ut solidius et firmius lapides inhaererent.

4 *Marginandasque*] sc. Marginibus lapideis muniendas, id quod hos consules primos fecisse Dukerus censet. cf. Bergier. de Publ. et Mil. Rom. Viis. ii. 31.

5 *Scenam*] cf. Supr. xl. 51.

6 *Ova ad notas curriculis numerandis*] Prius legebatur *numerandas*: male. Mendosam quoque esse vocem *notas* iudicat Fulv. Ursinus, ac reponit probabili coniectura *metas*. Ova enim illa, e ligno fabricata, imponebantur columnis, aliquando binis, aliquando quaternis, ad metas Circi statutis. Tot illa erant numero, quot curricula erant peragenda: septena proinde, ut plurimum, pro septeno curriculorum numero, qui sollennis maxime erat. Primo curriculo peracto, unum ovum e medio tollebatur, secundo curriculo alterum, et sic de reliquis. Haec fere Salmasius. Crev.

7 *Et* dam, et metas trans**]* Haec explet utcunque Marcellus Donatus, legitque *et rhedam, et metas transitus*. Nobis consultius videtur locum intactum relinquere, quam male curatum exhibere. Idem et in iis quae sequuntur iudicat legendum esse, *et caveas ferreas, per quas intromitterentur ferae*. Sat feliciter. In Circensibus enim ludis non solum cursu certabatur, sed et ferarum inter se, aut cum bestiariis pugnae edebantur. Crev.

8 *In monte Albano consulibus*] Hic perspicuum est aliquid deesse. Crev.

9 *In Capitolium ad senaculum, ac super id curiam*] Fortasse legendum *in Capitolio*. Fuit enim Saturni aedes in clivo Capitolino. Itaque porticus illa intelligetur porrecta ab aede Saturni in clivo Capitolino *ad senaculum, atque* ad *curiam* quae est *super id* senaculum. Possis et cum Iusto Rycquio, libro de Capit. 34. legere *et senaculum*: ut sensus sit porticum ab aede Saturni in Capitolium, id est, in templum Iovis Capitolini, porrectam, et senaculum, et curiam, locata esse a censoribus la-

U. C. 578. A. C. 174. tra portam Trigeminam emporium lapide straverunt, stipitibusque saepserunt; et porticum Aemiliam reficiendam curarunt: gradibusque ascensum ab Tiberi in emporium fecerunt. Et extra eandem portam in Aventinum porticum silice straverunt, et eo publico ab aede Veneris fece- 1 runt. Iidem Calatiae et Auximi muros faciendos locaverunt: venditisque ibi publicis locis, pecuniam, quae redacta erat, tabernis utrique foro circumdandis consumpserunt. Et alter ex iis Fulvius Flaccus (nam Postumius nihil, nisi senatus Romani populive iussu, se locaturum ipsorum pe- 2 cunia *) Iovis aedem Pisauri, et Fundis, et Potentiae etiam 3 aquam adducendam, et Pisauri viam silice sternendam, et 4 Sinuessam a ga * aviariae. In his et clo*um circumducend* et forum porticibus tabernisque claudendum, et Ia- 5 nos tres faciendos. Haec ab uno censore opera locata, cum magna gratia colonorum. Moribus quoque regendis diligens et severa censura fuit. Multis equi adempti.

28. Exitu prope anni diem unum supplicatio fuit ob res prospere gestas in Hispania ductu auspicioque Ap. Claudii proconsulis: et maioribus hostiis viginti sacrificatum. Et alterum diem supplicatio ad Cereris, Liberi, Liberaeque 6 fuit, quod ex Sabinis terrae motus ingens cum multis aedificiorum ruinis nuntiatus erat. Quum Ap. Claudius ex Hispania Romam rediisset, decrevit senatus, ut ovans urbem iniret. Iam consularia comitia appetebant; quibus, magna contentione habitis propter multitudinem petentium, creati L. Postumius Albinus et M. Popillius Laenas. Praetores inde facti, N. Fabius Buteo, M. Matienus, C. 7 Cicereius, M. Furius Crassipes iterum, A. Atilius Serranus

pide silice sternenda. Porro *senaculum*, sive *senatulum*, hoc enim quoque modo scribitur, est, teste Festo, locus in quo *senatus haberi* solet, sive potius, *in quo solebant magistratus duntaxat cum senioribus deliberare.* Curiam, de qua hic agitur, idem Rycquius existimat fuisse curiam Calabram, de qua vid. Macrob. Saturn. i. 15. CREV.

1 *Et eo publico ab aede Veneris*] Suspicatur Gronovius *et basilicam ad aedem Veneris.* CREV.

2 *Ipsorum pecunia* *] Verbum *dicebat* hoc loco adiectum est ex mente Sigonii, quem secutus est Crevierius.

3 *Et Potentiae, etiam aquam adducendam*] Vel lege *et Pollentiam aquam adducendam:* vel in voce *etiam* latebit nomen alicuius alterius urbis, in quam Fulvius aquam ducendam locaverit. CREV.

4 *Et Sinuessam*] Emendat Marcellus Donatus, *et Sinuessae glarea:* supple, viam sternendam. In iis quae sequuntur legendum putat Sigonius, *et cloacam in fluvium circumducendam.* CREV.

5 *Ianos tres*] Hi Iani erant transitiones perviae. cf. supr. ii. 49. Ceterum Ianos summum, medium, et infimum hic intelligi, qui in foro erant Romano ad basilicam Aemiliam, ut scribit Porphyr. ad Hor. Ep. i. 1. 54. Ursinus aliique censent. Ceterum Drakenborchius non de Ianis Romae, sed in aliqua colonia, sc. Sinuessae, exstructis ex verbis sequentibus *cum magna gratia colonorum* hunc locum interpretatur.

6 *Ad Cereris, Liberi, Liberaeque*] cf. Supr. iii. 55.

7 *N. Fabius*] sc. Numerius Fabius.

iterum, C. Cluvius Saxula iterum. Comitiis perfectis, Ap. Claudius Centho, ex Celtiberis ovans quum in urbem iniret, decem millia pondo argenti, quinque millia auri in aerarium tulit. Flamen Dialis inauguratus est Cn. Cornelius. U. C. 578. A. C. 174. Comitia.

Eodem anno tabula in aedem Matris Matutae cum indice hoc posita est: 'Ti. Sempronii Gracchi consulis imperio auspicioque legio exercitusque populi Romani Sardiniam subegit. In ea provincia hostium caesa aut capta supra octoginta millia. Republica felicissime gesta, atque
8 liberatis vectigalibus * restitutis, exercitum salvum atque incolumem plenissimum praeda domum reportavit. Iterum triumphans in urbem Romam rediit. Cuius rei ergo hanc tabulam donum Iovi dedit.' Sardiniae insulae forma erat, atque in ea simulacra pugnarum picta. Tabula in aede Matris Matutae a Graccho posita.

Munera gladiatorum eo anno aliquot parva alia data; unum ante cetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis
9 causa patris sui, cum visceratione epuloque et ludis scenicis,
1 quatriduum dedit. Magni tamen muneris ea summa fuit,
2 ut per triduum quattuor et septuaginta homines pugnarint.

[Finis huius anni insignis est nova, eaque magni momenti lege, quae non sine aliquo motu animorum agitata civitatem exercuit. Hactenus feminas non minus, quam viros, ad hereditates admitti ius fuerat. Inde fiebat, ut illustrissimarum saepe familiarum bona in alienas domos transfunderentur, magno cum reipublicae damno, cuius in-

8 *Vectigalibus * restitutis*] Vocem aliquam deesse suspicatur Sigonius, qui post *vectigalibus* voces *et reipublicae* inserendas esse coniicit.

9 *Cum visceratione*] cf. Supr. viii. 22.

1 *Magni tamen muneris*] sc. Pro eo tempore, quum Livii aetate numerus ille exiguus esset.

2 *Quattuor et septuaginta homines pugnarint*] Hic mutilum esse librum credimus. Namque ex epitome huius libri apparet Livium in eo legis Voconiae mentionem fecisse. At Cicero, in Verr. i. 42. docet Voconium sanxisse de iis qui post A. Postumium et Q. Fulvium censores censi essent, ita ut hi censores in lege diserte nominati fuisse videantur. Iam vero iidem hi censores creati memorantur supr. 27. a quo nulla iam occurrit lacuna. Sequitur ergo, ut in fine libri de lege Voconia egerit Livius. At enim Cic. de Senect. 14. dicit legem Voconiam latam esse Caepione et Philippo II. consulibus, qui quinto post hunc anno consules futuri sunt. Sed primo non admodum mirandum est duos scriptores aliquot annis inter se de eadem re discrepare. Deinde etiam videmur suspicari posse, ideo dissentire Livium et Ciceronem circa annum legis Voconiae, quia circa aetatem Catonis dissenserint, et Livius eum quinque annis seniorem faciat, quam Cicero, ut observavimus, supr. xxxix. 40. Cicero enim loco modo memorato scribit Catonem annos natum quinque et sexaginta legem Voconiam suasisse, qui Catonis vitae annus, eo modo quo numerat Cicero, incidit revera in consulatum Caepionis et Philippi. At vero ex Livii sententia sexagesimus quintus vitae Catonis annus retrahi debet in quinque ante annos, ac proinde incidisse in consulatum Sp. Postumii, et Q. Mucii, qui est hic ipse annus in quo desinit hic liber. Itaque credimus nihil iam superesse, cur quisquam dubitet inserendum hoc loco fuisse supplementum de lege Voconia: quod fecimus. CREV.

U. C. 578. A. C. 174. terest clarorum nominum heredibus suppetere opes, quibus splendorem generis, onus alioqui magis, quam decus, tutari et exornare possint. Deinde etiam, quum crescentibus iam imperii opibus crescerent privatorum quoque divitiae, metus erat, ne pronior natura in luxum et elegantioris cultus affectationem muliebris animus, nactus ex affluentia opum cupiditatis irritamenta, in sumptus immodicos atque in luxuriam prolaberetur, ac deinde a prisca fortasse sanctitate desciscceret, nec minor fieret morum, quam cultus, mutatio. His incommodis obviam ire statuit Q. Voconius Saxa, tribunus plebis, tulitque ad populum: 'Ne quis, qui 3 'post A. Postumium, Q. Fulvium censores census esset, 'heredem virginem, neve mulierem faceret: neve ulli vir-'gini, vel mulieri, bona cuiusquam liceret hereditate per-'cipere ultra centum millia sestertium.' Sed et cavendum quoque duxit Voconius, ne magnitudine legatorum hereditates, quod fiebat interdum, exhaurirentur. Adiecit igitur rogationi: 'Ne quis plus cuiquam legaret, quam ad here-'dem heredesve perveniret.' Atque hoc quidem posterius legis caput facile se populo probabat, quod et aequissimum videretur, nec cuiquam magnopere grave esset. De priore, quo removebantur feminae ab omnium omnino civium hereditatibus, ambigebatur. Dubitationem exemit M. Cato, acerrimus iam olim in defendenda lege Oppia mulierum adversarius et castigator, qui et hanc quoque maioris momenti adversus illas legem, annos natus quinque et sexaginta, magna voce et bonis lateribus suasit, pro solita asperitate in muliebrem invectus impotentiam, intolerandosque in opulentia spiritus: quum hinc quoque argueret divitum matronarum fastum et arrogantiam, 'quod illae, magna 'saepe dote marito allata, magnam sibi pecuniam reciperent 'ac retinerent, eamque pecuniam ita postea viro roganti 'mutuam darent, ut, quoties iratae essent, statim per re-'ceptitium servum consectantem et quotidie flagitantem 'solutionem, maritum, tanquam debitorem extraneum, im-'portune cogerent.' Hac indignatione commoti legem, uti rogabat Voconius, accipiendam censuerunt.

3 *Ne quis, qui*] cf. Cic. in Verr. i. 42. Dio. Cass. lvi. 13. Hug. Gesch. des Röm. Rechts. §. 169. Heinec. Syntagm. Ant. Rom. ii. 14. et 20.

EPITOME LIBRI XLII.

Q. FULVIUS FLACCUS censor templum Iunonis Laciniae tegulis marmoreis spoliavit, ut aedem, quam dedicabat, tegeret. Tegulae ex senatusconsulto reportatae. Eumenes, Asiae rex, in senatu de Perseo, Macedoniae rege, questus est: cuius iniuriae in populum Romanum referuntur. Ob quas bello ei indicto, P. Licinius Crassus consul, cui id mandatum erat, in Macedoniam transiit, levibusque expeditionibus, equestribus proeliis, in Thessalia cum Perseo parum felici eventu pugnavit. Inter Masinissam et Carthaginienses de agro fuit arbiter ad disceptandum a senatu datus. Legati missi ad civitates socias et reges rogandos, ut in fide permanerent, dubitantibus Rhodiis. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita ducenta quinquaginta septem millia, ducenta triginta unum. Res praeterea adversus Corsos et Ligures prospere gestas continet.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLII.

U. C. 579. A. C. 173. L. Postumio, M. Popillio Coss. Provinciae.

L. POSTUMIUS ALBINUS, M. Popillius Laenas quum omnium primum de provinciis exercitibusque ad senatum retulissent, Ligures utrique decreti sunt: ut novas ambo, quibus eam provinciam obtinerent, legiones, (binae singulis decretae) et socium Latini nominis dena millia peditum et sexcenos equites, et supplementum Hispaniae tria millia peditum Romanorum scriberent, et ducentos equites. Ad hoc mille et quingenti pedites Romani cum centum equitibus scribi iussi, cum quibus praetor, cui Sardinia obtigisset, in Corsicam transgressus bellum gereret: interim M. Atilius, vetus praetor, provinciam obtineret Sardiniam. Praetores deinde provincias sortiti sunt, A. Atilius Serranus urbanam, C. Cluvius Saxula inter cives et peregrinos, N. Fabius Buteo Hispaniam citeriorem, M. Matienus ulteriorem, M. Furius Crassipes Siciliam, C. Cicereius Sardiniam. Priusquam magistratus proficiscerentur, senatui placuit, L. Postumium consulem ad agrum publicum a privato terminandum in Campaniam ire; cuius ingentem modum possidere privatos, paullatim proferendo fines, constabat. Hic, iratus Praenestinis, quod, quum eo privatus sacrificii in templo Fortunae faciundi causa profectus esset, nihil in se honorifice, neque publice, neque privatim, factum a Praenestinis esset, priusquam ab Roma proficisceretur, literas Praeneste misit, ut sibi magistratus obviam exiret, locum publice pararet, ibi deverteretur, iumentaque, quum exiret inde, praesto essent. Ante hunc consulem nemo unquam sociis in ulla re oneri aut sumptui fuit. Ideo magistratus mulis tabernaculisque et omni alio instrumento militari ornabantur, ne quid tale imperarent sociis. Privata hospitia habebant; ea benigne comiterque colebant: domusque eorum Romae hospitibus patebant, apud quos ipsis deverti mos esset. Legati, qui repente

Magistratuum Rom. prisca modestia.

1 *Et supplementum Hispaniae*] In casu tertio. cf. supr. XXVI. 11. Solet alias noster *in Hispaniam* dicere.

aliquo mitterentur, singula iumenta per oppida, iter qua faciundum erat, imperabant: aliam impensam socii in ma- U. C. 579. A. C. 173.
2 gistratus Romanos non faciebant. Iniuria consulis, etiamsi iusta, non tamen in magistratu exercenda, et silentium, nimis aut modestum, aut timidum Praenestinorum, ius, velut probato exemplo, magistratibus fecit graviorum in dies talis generis imperiorum.

2. Legati ex Macedonia et Aetolia reduces.

Principio huius anni legati, qui in Aetoliam et Macedoniam missi erant, renuntiarunt, 'sibi conveniendi regis 'Persei, quum alii abesse eum, alii aegrum esse, falso 'utrumque, fingerent, potestatem non factam. Facile ta- 'men apparuisse sibi, bellum parari, nec ultra ad arma ire 'dilaturum. Item in Aetolia seditionem gliscere in dies, 'neque discordiarum principes auctoritate sua coerceri po- 'tuisse.' Quum bellum Macedonicum in exspectatione esset, priusquam id susciperetur, prodigia expiari, pacem-
3 que deum peti precationibus, qui editi ex fatalibus libris essent, placuit. Lanuvii classis magnae species in coelo
4 visae dicebantur; et Priverni lana pulla terra enata; et in
5 Veienti apud Rementem lapidatum; Pomptinum omne velut nubibus locustarum coopertum esse; in Gallico agro,
6 qua induceretur aratrum, sub exsistentibus glebis pisces emersisse. Ob haec prodigia libri fatales inspecti, editumque ab decemviris est, et quibus diis, quibusque hostiis sacrificaretur, et ut supplicatio prodigiis expiandis fieret: altera, quae priore anno valetudinis populi causa vota esset, ea uti feriaeque essent. Itaque sacrificatum est, ut decemviri scriptum ediderunt.

Prodigia expiata.

3. Aedes Fortunae Equestris. Tegulae marmoreae ex aede Iunonis Laciniae detractae.

7 Eodem anno aedis Iunonis Laciniae detecta. Q. Fulvius Flaccus censor aedem Fortunae Equestris, quam in Hispania praetor bello Celtiberico voverat, faciebat eniso studio, ne ullum Romae amplius aut magnificentius templum esset. Magnum ornamentum ei templo ratus adiecturum, si tegulae marmoreae essent, profectus in Bruttios, aedem Iunonis Lacinise ad partem dimidiam detegit; id satis fore ratus ad tegendum, quod aedificaretur. Naves

2 *Iniuria consulis*] *Ira consulis* legendum vult Gronovius. *In ira consulis*, deleta particula *et* ante vocem *silentium*, Schelius emendat.

3 *Qui editi*] Ita Gronovio auctore, reposuit Bekkerus, sed vulgatum *quae editae* servandum censent Crevier. et Drakenborch. quippe tam precationes, quam deos, ex libris fatalibus decemviros edidisse, et in votis concipiendis verba praeiisse indicat noster, supr. xli. 21.

4 *Visae dicebantur*] Emendationem Gronovianam *visa dicebatur* reposuit Bekker.

5 *Apud Rementem*] Nomen loci incognitum, pro quo suspicatur Cluverius legi posse *Cremeram*.

6 *Sub exsistentibus glebis*] Prodeuntibus, erutis et sursum iactis. cf. Cic. Tusc. Q. iii. 34. Ceterum pisces fossiles variis locis inventi narrantur. cf. Pomp. Mela ii. 5. Strab. iv. 182. Plin. H. N. xii. 57.

7 *Aedis*] Antique pro *aedes*. cf. supr. i. 33. iv. 25.

U. C. 579. A. C. 173. paratae fuerunt, quae tollerent atque asportarent, auctoritate censoria sociis deterritis id sacrilegium prohibere. Postquam censor rediit, tegulae, expositae de navibus, ad templum portabantur. Quanquam, unde essent, silebatur, non tamen celari potuit. Fremitus igitur in curia ortus est: ex omnibus partibus postulabatur, ut consules eam rem ad senatum referrent. Ut vero arcessitus in curiam censor venit, multo infestius singuli universique praesentem lacerare: 'Templum augustissimum regionis eius, quod non 'Pyrrhus, non Hannibal violassent, violare parum habuisse, 'nisi detexisset foede, ac prope diruisset. Detractum cul- 'men templo, nudatum tectum patere imbribus putrefa- 8 'ciendum. Censorem, moribus regendis creatum, cui sarta 9 'tecta exigere sacris publicis, et loca tuenda, more maio- 1 'rum traditum esset, eum per sociorum urbes diruentem 2 'templa, nudantemque tecta aedium sacrarum, vagari: et, 'quod, si in privatis sociorum aedificiis faceret, indignum 'videri posset, id deum immortalium templa demolientem 3 'facere: et obstringere religione populum Romanum, ruinis 4 'templorum templa aedificantem: tanquam non iidem 'ubique dii immortales sint, sed spoliis aliorum alii colendi 'exornandique.' Quum, priusquam referretur, appareret, quid sentirent Patres, relatione facta, in unam omnes sententiam ierunt, ut eae tegulae reportandae in templum locarentur, piaculariaque Iunoni fierent. Quae ad religionem pertinent, cum cura facta: tegulas relictas in area templi, quia reponendarum nemo artifex inire rationem potuerit, redemptores nuntiarunt. 5

Relatae iussu senatus.

4. Ex praetoribus, qui in provincias ierant, N. Fabius Massiliae moritur, quum in citeriorem Hispaniam iret. Itaque, quum id nuntiatum a Massiliensibus legatis esset, senatus decrevit, ut P. Furius et Cn. Servilius, quibus succedebatur, inter se sortirentur, uter citeriorem Hispaniam prorogato imperio obtineret. Sors opportuna fuit, ut P. Furius idem, cuius ea provincia fuerat, remaneret.

8 *Nudatum tectum*] Nudatum tegulis.

9 *Cui sarta tecta*] cf. Supr. xxix. 37. Ceterum censores *sarta tecta* exigere dicebantur, quando ea inspicierent viderentque, an redemptores opus locatum praestitissent. cf. Ernest. in Clav. Cic.

1 *Sacris publicis*] Potest esse casus tertius, pro *ad sacra publica*, ut in iis sacra publica fieri possint. DUKER.

2 *Et loca tuenda*] sc. Loca publica, quorum tutela pertinebat ad curam censorum. RASCH.

3 *Id deum immortalium templa demolientem facere*] Vox *demolientem* non exstat in prima editione, teste Hearnio. Sane magis placeret: *id in deum immortalium templis facere*. CREV.

4 *Obstringere religione populum Romanum*] Subiicere populum Romanum poenae violatarum religionum. CREV.

5 *Redemptores*] Ii qui tegulas reportandas conduxerant.

Eodem anno, quum agri Ligustini et Gallici, quod bello captum erat, aliquantum vacaret, senatusconsultum factum, ut is ager viritim divideretur. Decemviros in eam rem ex senatusconsulto creavit A. Atilius praetor urbanus, M. Aemilium Lepidum, C. Cassium, T. Aebutium Carum, C. Tremellium, P. Cornelium Cethegum, Q. et L. Appuleios, 6 M. Caecilium, C. Salonium, C. Munatium. Diviserunt dena iugera in singulos, sociis nominis Latini terna. U. C. 579. A. C. 173.

Per idem tempus, quo haec agebantur, legati ex Aetolia Romam venerunt de discordiis seditionibusque suis, et Thessali legati, nuntiantes, quae in Macedonia gererentur. Perseus, iam bellum vivo patre cogitatum in animo volvens, omnes, non gentes modo Graeciae, sed civitates etiam, legationibus mittendis, pollicendo plura, quam praestando, sibi conciliabat. Erant tamen magnae partis hominum ad favorem eius inclinati animi, et aliquanto quam in Eumenem propensiores: quum Eumenis beneficiis muneribusque omnes Graeciae civitates et plerique principum obligati essent: et ita se in regno suo gereret, ut, quae sub ditione eius, urbes nullius liberae civitatis fortunam secum mutatam vellent. Contra Persea fama erat post patris mortem uxorem manu sua occidisse: Apellem, ministrum quondam fraudis in fratre tollendo, atque ob id requisitum a Philippo ad supplicium, exsulantem, arcessitum post patris mortem ingentibus promissis ad praemia 7 tantae perpetratae rei clam interfecisse. Intestinis externisque praeterea multis caedibus infamem, nec ullo commendabilem merito, praeferebant vulgo civitates tam pio erga propinquos, tam iusto in cives, tam munifico erga omnes homines regi, seu fama et maiestate Macedonum regum praeoccupati ad spernendum originem novi regni; seu mutationis rerum cupidi; seu quia eum obiectum esse Romanis volebant. Erant autem non Aetoli modo in seditionibus, propter ingentem vim aeris alieni, sed Thessali 8 etiam: ex contagione, velut tabes, in Perrhaebiam quoque 9 id pervaserat malum. Quum Thessalos in armis esse nuntiatum est, Ap. Claudium legatum ad eas res aspiciendas componendasque senatus misit. Qui, utriusque partis principibus castigatis, quum iniusto fenore gravatum aes alie- 5. Perseus animos Graecorum sibi conciliat.

6 *Diviserunt dena iugera in singulos*] Qui cives Romani essent. Ceterum vix est, ut non hic exciderit aliquid. Debuit enim profecto Livius docere, quantus numerus civium Latinorumque in eorum agrorum possessionem missus sit. Nec facile nobis persuademus id ab eo praetermissum. Crev.

7 *Externisque praeterea*] Harum externarum caedium enumerationem habes in oratione Eumenis, infr. 13. Crev.

8 *Ex contagione*] Vulgo legitur *ea contagione*. Bekkerus, Gronovio auctore, *et contagione* reposuit.

9 *Nuntiatum est*] *Esset*, quod Gronovius mavult, probat Crevier.

U. C. 579. A. C. 173. num, ipsis magna ex parte concedentibus, qui onerarant, levasset, iusti crediti solutionem in * annorum pensiones 1 distribuit. Per eundem Appium eodemque modo compositae in Perrhaebia res. Aetolorum causas Marcellus Delphis per idem tempus hostilibus actas animis, quos in- 2 testino gesserant bello, cognovit. Quum certatum utrimque temeritate atque audacia cerneret, decreto quidem suo neutram partem aut levare, aut onerare voluit: communiter ab utrisque petiit, abstinerent bello, et oblivione praeteritorum discordias finirent. Huius reconciliationis inter ipsos fides obsidibus ultro citroque datis firmata est. Co-
6. rinthus, ut ibi deponerentur obsides, convenit. A Delphis et Aetolico concilio Marcellus in Peloponnesum traiecit, 3 quo Achaeis edixerat conventum. Ubi, collaudata gente, quod constanter vetus decretum de arcendis aditu finium regibus Macedonum tenuissent, insigne adversus Persea odium Romanorum fecit: quod ut maturius erumperet, Eumenes rex, commentarium ferens secum, quod de apparatibus belli omnia inquirens fecerat, Romam venit. Per idem tempus quinque legati ad regem missi, qui res in Macedonia aspicerent. Alexandriam iidem ad Ptolemaeum renovandae amicitiae causa proficisci iussi. Legati erant hi, C. Valerius, Cn. Lutatius Cerco, Q. Baebius Sulca, M. Cornelius Mammula, M. Caecilius Denter. Et ab Antiocho rege sub idem tempus legati venerunt: quorum princeps Apollonius, in senatum introductus, multis iustisque causis regem excusavit, 'quod stipendium serius quam ad diem 4 'praestaret. Id se omne advexisse, ne cuius, nisi temporis, 'gratia regi fieret. Donum praeterea afferre, vasa aurea 'quingentum pondo. Petere regem, ut, quae cum patre 'suo societas atque amicitia fuisset, ea secum renovaretur; 'imperaretque sibi populus Romanus, quae bono fidelique 'socio regi essent imperanda: se nullo usquam cessaturum 'officio. Ea merita in se senatus fuisse, quum Romae es- 'set, eam comitatem iuventutis, ut pro rege, non pro ob- 'side, omnibus ordinibus fuerit.' Legatis benigne responsum, et societatem renovare cum Antiocho, quae cum patre eius fuerat, A. Atilius praetor urbanus iussus. Quaestores urbani stipendium, vasa aurea censores acceperunt: iisque

Legati in Macedoniam et Aegyptum.

Legati ab Antiocho Romam veniunt.

1 *In * annorum pensiones*] Videtur intercidisse numerus annorum. CREV.

2 *Quos intestino gesserant bello*] Gronovius vocem *gesserant* supplendae sententiae additam fuisse suspicatur, et *quasi intestino bello* mavult, quum non bellum esset, sed factionum rabies. *Quaeque* pro *quas* Drakenborchius emendandum coniicit.

3 *Marcellus in Peloponnesum traiecit, quo*] Videtur excidisse nomen eius urbis, ubi illud concilium Achaeorum habitum est. CREV.

4 *Quam ad diem*] Haec emendatio a manu Gronoviana provenit, pro vulg. *quoad*, quod grammaticis displicuerat. Alii *quod ad diem* malunt.

negotium datum est, ut ponerent ea, in quibus templis U. C. 579.
5 videretur: legatoque centum millium aeris munus missum, A. C. 173.
6 et aedes liberae hospitio datae, sumptusque decretus, donec in Italia esset. Legati, qui in Syria fuerant, renuntiaverunt, in maximo eum honore apud regem esse, amicissimumque populo Romano.

In provinciis eo anno haec. C. Cicereius praetor in 7.
Corsica signis collatis pugnavit: septem millia Corsorum Corsi victi.
caesa; capti amplius mille et septingenti. Voverat in ea pugna praetor aedem Iunoni Monetae. Pax deinde data
7 petentibus Corsis, et exacta cerae ducena millia pondo. Ex Corsica subacta Cicereius in Sardiniam transmisit. Et
8 in Liguribus in agro Statiellati pugnatum ad oppidum Carystum. Eo se magnus exercitus Ligurum contulerat. Ligures
Primo sub adventum M. Popillii consulis moenibus sese quoque victi.
continebant: deinde, postquam oppidum oppugnaturum Romanum cernebant, progressi ante portas, aciem struxerunt: nec consul, ut qui id ipsum oppugnatione comminanda quaesisset, moram certamini fecit. Pugnatum est amplius tres horas, ita ut neutro inclinaret spes. Quod ubi consul vidit, nulla parte moveri Ligurum signa, imperat equitibus, ut equos conscendant, ac tribus simul partibus in hostes, quanto maximo possent tumultu, incurrant. Pars magna equitum mediam traiecit aciem, et ad terga pugnantium pervasit. Inde terror iniectus Liguribus. Diversi in omnes partes fugerunt: perpauci retro in oppidum, quia inde se maxime obiecerat eques. Et pugna tam pervicax multos absumpserat Ligurum, et in fuga passim caesi sunt. Decem millia hominum caesa traduntur; amplius septingenti passim capti: signa militaria relata octoginta duo. Nec incruenta victoria fuit. Amplius tria millia militum amissa; quum, cedentibus neutris, ex parte utraque primores caderent. Post hanc pugnam ex diversa 8.
fuga in unum collecti Ligures, quum maiorem multo par- Dedunt se.
9 tem civium amissam, quam superesse, cernerent, (nec enim plus decem millia hominum erant) dediderunt sese; nihil quidem illi pacti. Speraverant tamen, non atrocius, quam superiores imperatores, consulem in se saeviturum. At Venduntur.
ille arma omnibus ademit, oppidum diruit, ipsos bonaque

5 *Legatoque*] Principi legationis Apollonio.

6 *Aedes liberae*] cf. Supr. xxx. 17.

7 *Exacta cerae*] cf. Supr. xl. 34.

8 *In agro Statiellati*] *Statellati* hic et alibi omnes edd. usque ad postremam Gruteri, qui primus *Statiellati* recepit, sententiam Cluverii secutus. *Statellati* tuetur Bekker.

9 *Nec enim plus decem millia*] Vel hic numerus iusto maior est, vel numerus caesorum in pugna, de qua modo mentio facta est, iusto minor. Dicuntur enim Statiellates in iis, quae proxime praecedunt, maiorem multo civium partem amisisse, quam quae superesset.

U. C. 579. A. C. 173. eorum vendidit: literasque senatui de rebus ab se gestis misit. Quas quum A. Atilius praetor in curia recitasset, (nam consul alter Postumius, agris recognoscendis in Campania occupatus, aberat) atrox res visa senatui: 'Statiellates, 'qui uni ex Ligurum gente non tulissent arma adversus 'Romanos, tum quoque oppugnatos, non ultro inferentes 'bellum; deditos in fidem populi Romani omni ultimae 1 'crudelitatis exemplo laceratos ac deletos esse: tot millia 'capitum innoxiorum, fidem implorantia populi Romani, 'ne quis unquam se postea dedere auderet, pessimo exem- 'plo venissé: et distractos passim iustis quondam hostibus 1 'populi Romani pacatis servire. Quas ob res placere se- 'natui, M. Popillium consulem Ligures, pretio emptoribus 'reddito, ipsos restituere in libertatem; bonaque ut iis, 'quicquid eius recuperari possit, reddantur curare. Arma 2 'primo quoque tempore fieri; nec ante consulem de pro- 'vincia decedere, quam deditos in sedem suam Ligures re- 'stituisset. Claram victoriam vincendo oppugnantes, non 3 'saeviendo in afflictos, fieri.' Consul, qua ferocia animi usus erat in Liguribus, eandem ad non parendum senatui habuit. Legionibus extemplo Pisas in hibernacula missis, iratus Patribus, infestus praetori, Romam rediit: senatuque extemplo ad aedem Bellonae vocato, multis verbis invectus est in praetorem: 'qui, quum ob rem bello bene gestam, 'uti diis immortalibus honos haberetur, referre ad senatum 'debuisset, adversus se pro hostibus senatusconsultum feci- 'set, quo victoriam suam ad Ligures transferret, dedique 'iis prope consulem praetor iuberet. Itaque multam ei se 'dicere: a Patribus postulare, ut senatusconsultum in se 'factum tolli iuberent: supplicationemque, quam absentes 4 'ex literis, de bene gesta republica missis, decernere debu- 'erint, praesentes honoris deorum primum causa, deinde et 'sui aliquo tamen respectu, decernerent.' Nihilo lenioribus, quam absens, senatorum aliquot orationibus increpitus, neutra impetrata re, in provinciam redit. Alter consul Postumius, consumpta aestate in recognoscendis agris, ne visa quidem provincia sua, comitiorum causa Romam rediit. Consules C. Popillium Laenatem, P. Aelium Ligurem cre- 5

Redimi iubentur.

9. Consulis contumacia.

Comitia.

1 *Iustis . . . hostibus*] Qui vere et plane hostes fuerant: vel, quibuscum iustum piumque bellum gestum esset. Crev.

2 *Arma primo quoque tempore fieri*] Addidit Sigonius vocem *primo*. Ceterum ideo iubet senatus arma fieri in ea gente, ut rescindat id quod fecerat consul, qui arma Statiellatibus ademerat, ac nova fabricari procul dubio vetuerat. Crev.

3 *Vincendo oppugnantes*] Recte Clericus: *vincendo pugnantes*.

4 *Absentes*] Si haec vox sana sit, pro qua *absenti sibi* emendat Gronovius, ad senatum referenda est, qui, ut Crevierius animadvertit, tam aberat a Popillio, quam Popillius a senatu. Ceterum *praesenti* pro *praesentes* reponit Gronovius.

5 *Consules C. Popillium Laenatem, P. Aelium Ligurem creavit*] Hi ambo

avit. Praetores exinde facti C. Licinius Crassus, M. Iunius Pennus, Sp. Lucretius, Sp. Cluvius, Cn. Sicinius, C. Memmius iterum. U. C. 579. A. C. 173.

Eo anno lustrum conditum est. Censores erant Q. Fulvius Flaccus, A. Postumius Albinus. Postumius condidit. Censa sunt civium Romanorum capita ducenta sexaginta novem millia et quindecim. Minor aliquanto numerus, quia L. Postumius consul pro concione edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, et omnes in suis civitatibus censerentur. Concors et e republica censura fuit. Omnes, quos senatu moverunt, quibus-
6 que equos ademerunt, aerarios fecerunt, et tribu moverunt: neque ab altero notatum alter probavit. Fulvius aedem Fortunae Equestris, quam proconsul in Hispania, dimicans cum Celtiberorum legionibus, voverat, annos sex post,
7 quam voverat, dedicavit: et scenicos ludos per quatriduum, unum diem in circo fecit. 10.

L. Cornelius Lentulus, decemvir sacrorum, eo anno mortuus est. In locum eius suffectus A. Postumius Albinus. Locustarum tantae nubes a mari vento repente in Apuliam illatae sunt, ut examinibus suis agros late operirent. Ad quam pestem frugum tollendam Cn. Sicinius praetor designatus, cum imperio in Apuliam missus, ingenti agmine hominum ad colligendas eas coacto, aliquantum temporis absumpsit. Locustae in Apulia.

Principium insequentis anni, quo C. Popillius et P. Aelius fuerunt consules, residuas contentiones ex priore anno habuit. Patres referri de Liguribus, renovarique senatusconsultum volebant, et consul Aelius referebat. Popillius et collegam et senatum pro fratre deprecabatur; prae se ferens, si quid decernerent, intercessurum, collegam deterruit. Patres, eo magis utrique pariter consulum infensi, in incepto perstabant. Itaque, quum de provinciis ageretur, et
8 Macedonia, iam imminente Persei bello, peteretur, Ligures
9 ambobus consulibus decernuntur. Macedoniam decreturos negant, ni de M. Popillio referretur. Postulantibus deinde, U. C. 580. A. C. 172. C. Popillio, P. Aelio Coss. Contentiones de Liguribus.

primi de plebe consules fuisse in Fastis Capitolinis notantur: atque id miratur a Livio praetermissum esse Pighius. Sed hi quidem ambo primi de plebe consules magistratum gesserunt, at non primi creati sunt. Anno enim quarto secundi Punici belli Marcellus Sempronio Graccho collega datus fuerat: sed vitio creatus magistratum abdicavit. Atque illo loco diligenter annotatum a Livio est, tum primum duos consules plebeios factos esse. cf. supr. xxiii. 31.

6 *Aerarios fecerunt*] cf. Supr. ix. 34.

7 *Voverat*] cf. Supr. xl. 40. In annis numerandis et illum, quo vota, et illum, quo dedicata aedes est, omisit noster.

8 *Peteretur*] Ut provincia, a consulibus.

9 *Decernuntur*] *Decernunt* mavult Bekker.

U. C. 580. A. C. 172. ut novos exercitus scribere, aut supplementum veteribus liceret, utrumque negatum est. Praetoribus quoque in Hispaniam supplementum petentibus negatum: M. Iunio in citeriorem, Sp. Lucretio in ulteriorem. C. Licinius Crassus urbanam iurisdictionem, Cn. Sicinius inter peregrinos erat sortitus, C. Memmius Siciliam, Sp. Cluvius Sardiniam. Consules, ob ea irati senatui, Latinis feriis in 1
primam quamque diem indictis, in provinciam abituros esse denuntiarunt; nec quicquam rei publicae acturos, praeterquam quod ad provinciarum administrationem attineret.

11. Attalum, regis Eumenis fratrem, legatum venisse Romam, Valerius Antias his consulibus scribit, ad deferenda de Perseo crimina, indicandosque apparatus belli. Plurium annales, et quibus credidisse malis, ipsum Eumenem venisse tradunt. Eumenes igitur, ut Romam venit, exceptus cum tanto honore, quantum non meritis tantum eius, sed beneficiis etiam suis, ingentia quae in eum congesta erant, existimaret deberi populus Romanus, in senatum est introductus. 'Causam veniendi sibi Romam fuisse,' dixit, 'praeter cupiditatem visendi deos hominesque, quorum be-
'neficio in ea fortuna esset, supra quam ne optare quidem 2
'auderet, etiam ut coram moneret senatum, ut Persei co- 3
'natis obviam iret.' Orsus inde a Philippi consiliis, 'necem
'Demetrii filii' retulit, 'adversantis Romano bello; Bastar-
'narum gentem excitam sedibus suis, quorum auxiliis fretus
'in Italiam transiret. Haec eum volutantem in animo,
'oppressum fato, regnum ei reliquisse, quem infestissimum
'esse sensisset Romanis. Itaque Persea, hereditarium a
'patre relictum bellum, et simul cum imperio traditum,
'iamiam primum alere ac fovere omnibus consiliis. Flo- 4
'rere praeterea iuventute, quam stirpem longa pax edide-
'rit, florere opibus regni, florere etiam aetate. Quae quum
'corporis robore ac viribus vigeat, animum esse inveteratum
'diutina arte atque usu belli. Iam inde a puero, patris
'contubernio, Romanis quoque bellis, non finitimis tantum,
'assuetum, missum a patre in expeditiones multas varias-
'que. Iam ex quo ipse accepisset regnum, multa, quae

Eumenes Romam venit.

Perseum suspectum facit Romanis.

1 *Ob ea*] Nempe quod provincia Macedonia, et vel novos exercitus, vel supplementum veteribus scribere negabatur. DRAK. Pro *ob ea irati* Gronovius *obirati* emendat, quod Graevius ad Cic. Att. vi. 3. probat.

2 *Ne optare quidem*] Addendum *quicquam* suadet Crevier.

3 *Persei conatis*] Pro *conatibus*. Eadem flexione usus est Livius supr. xxi. 50. *conata exposuit*. RASCH.

4 *Iamiam primum*] *Tanquam primum*, i. e. tanquam aliquid primum ac praecipuum, quod potissimum spectaret, Gronovius corrigit. Doeringius *iamiam primum* interpretatur, hoc ipso tempore, ut bellum ante omnia alia bella gerendum, omnibus aliis bellis praeferendum.

'non vi, non dolo, Philippus, omnia expertus, potuisset U. C. 580.
'moliri, admirando rerum successu tenuisse. Accessisse A. C. 172.
'ad vires eam, quae longo tempore, multis magnisque me-
'ritis pareretur, auctoritatem. Nam apud Graeciae atque 12.
'Asiae civitates vereri maiestatem eius omnes. Nec, pro
'quibus meritis, pro qua munificentia tantum ei tribuatur,
'cernere: nec dicere pro certo posse, utrum felicitate id
'quadam eius accidat, an, quod ipse vereatur dicere, invi-
'dia adversus Romanos favorem illi conciliet. Inter ipsos
5 'quoque reges ingentem auctoritate, Seleuci filiam duxisse
'eum, non petentem, sed petitum ultro: sororem dedisse
'Prusiae precanti atque oranti; celebratas esse utrasque
'nuptias gratulatione donisque innumerabilium legationum,
6 'et velut auspicibus nobilissimis populis deductas esse. Boeo-
'torum gentem, captatam Philippo, nunquam ad scribendum
'amicitiae foedus adduci potuisse: tribus nunc locis cum
'Perseo foedus incisum literis esse: uno Thebis, altero ad
'Delum, augustissimo et celeberrimo in templo, tertio Del-
'phis. In Achaico concilio vero, nisi discussa res per paucos
'Romanum imperium intentantes esset, eo rem prope ad-
'ductam, ut aditus et in Achaiam daretur. At, hercule, suos
'honores, cuius merita in eam gentem privatim, an publice,
'sint maiora, vix dici posset, partim desertos per incultum ac
7 'negligentiam, partim hostiliter sublatos esse. Iam, Aetolos,
'quem ignorare, in seditionibus suis non ab Romanis, sed a
'Perseo praesidium petisse? His eum fultum societatibus at-
'que amicitiis eos domesticos apparatus belli habere, ut ex-
'ternis non egeat; triginta millia peditum, quinque millia
8 'equitum: in decem annos frumentum praeparare, ut absti-
'nere et suo et hostium agro frumentandi causa possit. Iam
'pecuniam tantam habere, ut decem millibus mercenariorum
'militum, praeter Macedonum copias, stipendium in totidem
'annos praeparatum habeat: praeter annuum, quod ex me-
'tallis regiis capiat, vectigal. Arma vel tribus tantis exerci-
9 'tibus in armamentaria congessisse. Iuventutem, ut iam

5 *Seleuci filiam*] Laodicen, quae deducta ad eum fuerat a Rhodiis, ut testatur Polyb. xxvi. 7. Unde infra dicit Eumenes nuptias illas auspicibus nobilissimis populis celebratas et deductas esse. Crev.

6 *Velut auspicibus*] Vox propria in negotio nuptiali. Etenim auspices nuptiis apud Romanos interponebantur, qui auguriis exquirerent, utrum volentibus propitiisque diis nuptiae fierent. Crev. cf. Val. Max. ii. 1. § 1. Cic. Div. i. 16. ubi *auspices nuptiarum* sunt nuptiarum conciliatores, auspicia, quae earum auctoritatem confirment, petentes.

7 *Sublatos esse*] Sed ii haud ita multo post Eumeni restituti sunt, nisi qui aliquid habebant, quod aut parum decorum esset Achaeorum communi, aut legibus repugnaret. Crev. cf. Polyb. xxvii. 15. xxviii. 7.

8 *Frumentum praeparare*] *Praeparatum* scribendum coniicit Crevier. et ex praecedentibus supplendum *habere*.

9 *Iuventutem*] Etiamsi Macedonia milites iam suppeditare non posset,

U. C. 580. A. C. 172.

13. Hortatur ad bellum contra Persea.

'Macedonia deficiat, velut ex perenni fonte unde hauriat,' 'Thraciam subiectam esse.' Reliquum orationis adhortatio 'fuit. Non ego haec,' inquit, 'incertis iactata rumoribus, et 'cupidius credita, quia vera esse de inimico crimina volebam, 'affero ad vos, Patres conscripti; sed comperta et explorata, 'haud secus quam si speculator missus a vobis subiecta 'oculis referrem. Neque, relicto regno meo, quod amplum 'et egregium vos fecistis, mare tantum traiecissem, ut vana 'ad vos afferendo fidem abrogarem mihi. Cernebam nobi- 'lissimas Asiae et Graeciae civitates, in dies magis denu- 'dantes iudicia sua, mox, si permitteretur, eo processuras, 'unde receptum ad poenitendum non haberent. Cernebam 'Persea, non continentem se Macedoniae regno, alia armis 'occupantem, alia, quae vi subigi non possunt, favore ac 'benevolentia complectentem. Videbam, quam impar es- [1] 'set sors, quum ille vobis bellum pararet, vos ei securam [2] 'pacem praestaretis; quanquam mihi quidem non parare, 'sed gerere paene bellum videbatur. Abrupolim, socium [3] 'atque amicum vestrum, regno expulit. Arthetaurum Il- 'lyrium, quia scripta ab eo quaedam vobis comperit, socium 'item atque amicum vestrum, interfecit. Euersam et Cal- [4] 'licritum Thebanos, principes civitatis, quia liberius adver- 'sus eum in concilio Boeotorum locuti fuerant, delaturos- 'que ad vos, quae agerentur, professi erant, tollendos cura- 'vit. Auxilium Byzantiis adversus foedus tulit, Dolopiae [5] 'bellum intulit, Thessaliam et Doridem cum exercitu per- 'vasit, ut in bello intestino deterioris partis auxilio meliorem 'affligeret. Confudit et miscuit omnia in Thessalia Per- 'rhaebiaque spe novarum tabularum, ut manu debitorum [6] 'obnoxia sibi optimates opprimeret. Haec quum vobis 'quiescentibus et patientibus fecerit, et concessam sibi Grae- 'ciam esse a vobis videat; pro certo habet, neminem sibi,

Thraciam vicinam ei et ad manum esse, unde, tanquam ex perenni fonte, hauriat militarem iuventutem. CR.

1 *Videbam, quam*] cf. Demosth. Philipp. iii. p. 112.

2 *Quum ille vobis bellum pararet*] Verbum *pararet* adiecit Gronovio auctore Clericus. Nec dubitabit, quin Livius ita scripserit, qui ea legerit quae sequuntur: *quanquam mihi quidem non parare, sed gerere pene bellum videbatur*. Est enim correctio, tanquam minus, quam res est, dixisset. Oportuit igitur etiam eum dixisse, quod corrigit. CREV.

3 *Abrupolim, socium*] Quae hic et infr. 40. indicantur de Abrupoli, de Arthetauro, de Euersa, et Callicrito, fusius memoraverat procul dubio Livius in iis quae exciderunt de libro xli. Illo enim libro initia continebantur belli Macedonici, ut constat ex epitome. Abrupolim Sapensium regem (Sapaica Thraciae regio est) fuisse, e Pausaniae corrupto licet textu eruitur, in Achaicis, sive libro vii. CREV.

4 *Euersam*] Ita legendum censet Henr. Valesius, non *Eversam*: quia illud Graecum nomen est, hoc non item. CREV.

5 *Dolopiae bellum intulit*] Legendum cum Gronovio *bellum* suadet Crevier. cf. supr. xli. 33. et Polyb. Exc. Vat. xxii. 1. Appian. Macedon. ix. 4.

6 *Spe novarum tabularum*] cf. Supr. xxxii. 38.

'antequam in Italiam traiecerit, armatum occursurum. Hoc 'quam vobis tutum aut honestum sit, vos videritis: ego 'certe mihi turpe esse duxi, prius Persea ad bellum infe- 'rendum, quam me socium ad praedicendum, ut caveretis, 'venire in Italiam. Functus necessario mihi officio, et 'quodam modo liberata atque exonerata fide mea, quid 'ultra facere possum, quam uti deos deasque precer, ut vos 'et vestrae reipublicae, et nobis sociis atque amicis, qui ex 'vobis pendemus, consulatis?' U. C. 580. A. C. 172.

Haec oratio movit Patres conscriptos. Ceterum in praesentia nihil, praeterquam fuisse in curia regem, scire quis- 7 quam potuit: eo silentio clausa curia erat. Bello denique perfecto, quaeque dicta ab rege, quaeque responsa essent, emanavere. 14. Miro silentio clausa curia.

Persei deinde regis legatis post paucos dies senatus datus est. Ceterum, praeoccupatis non auribus magis, quam animis, ab Eumene rege, omnis et defensio et deprecatio lega- 8 torum respuebatur: et exasperavit animos ferocia nimia Harpali, qui princeps legationis erat. Is, 'Velle quidem 'et laborare,' dixit, 'regem, ut purganti, se nihil hostile 'dixisse aut fecisse, fides habeatur: ceterum, si pervicacius 'causam belli quaeri videat, forti animo defensurum se. 'Martem communem esse, et eventum incertum belli.' Legati Persei.

Omnibus civitatibus Graeciae atque Asiae curae erat, quid Persei legati, quid Eumenes in senatu egisset: et propter adventum eius, quem moturum aliquid rebantur, miserant pleraeque civitates, alia in speciem praeferentes, 9 legatos. Et legatio Rhodiorum erat, ac Satyrus princeps, haud dubius, quin Eumenes civitatem quoque suam Persei criminibus iunxisset. Itaque omni modo per patronos hospitesque disceptandi cum rege locum in senatu quaere- 1 bat. Quod quum non contigisset, libertate intemperantius invectus in regem, quod Lyciorum gentem adversus Rhodios concitasset, graviorque Asiae esset, quam Antiochus fuisset; popularem quidem ac gratam populis Asiae (nam eo quoque iam favor Persei venerat) orationem habuit: ceterum invisam senatui, inutilemque sibi et civitati suae. Eumeni vero conspiratio adversus eum favorem apud Romanos fecit. Ita omnes ei honores habiti, donaque quam amplissima data, cum sella curuli atque eburneo scipione. Rhodii frustra Eumenem accusant.

Legationibus dimissis, quum Harpalus, quanta maxima 15.

7 *Eo silentio*] Tali silentio tum omnia, quae in curia agebantur, celebantur. RASCH.

8 *Ferocia nimia Harpali*] Ita emendavit Gronovius pro vulg. *ferocia animi Harpali*. Bekkerus *ferocia Harpali* reposuit.

9 *Et legatio Rhodiorum*] Gronovius putat excidisse aliquid, quale foret, *inter ceteras et legatio*.

1 *Intemperantius*] *Intemperanti* auctore Gronovio reposuit Bekker.

U. C. 580. A. C. 172. celeritate poterat, regressus in Macedoniam, nuntiasset regi, nondum quidem parantes bellum reliquisse se Romanos, sed ita infestos, ut facile appareret, non dilaturos; et ipse, praeterquam quod et ita credebat futurum, iam etiam volebat, in flore virium se credens esse. Eumeni ante omnes infestus erat: a cuius sanguine ordiens bellum, Euandrum Cretensem, ducem auxiliorum, et Macedonas tres, assuetos ministeriis talium facinorum, ad caedem regis subornat: literasque iis dat ad Praxo hospitam, principem auctoritate et opibus Delphorum. Satis constabat, Eumenem, ut sacrificaret Apollini, Delphos escensurum. Praegressi cum Euandro insidiatores, nihil aliud ad peragendum inceptum, quam loci opportunitatem, omnia circumeuntes, quaerebant. Escendentibus ad templum a Cirrha, priusquam perveniretur ad frequentia aedificiis loca, maceria erat ab laeva semitae paullum exstantis a fundamento, qua singuli transirent; dextra pars labe terrae in aliquantum altitudinis derupta erat. Post maceriam se abdiderunt, gradibus astructis, ut ex ea, velut e muro, tela in praetereuntem coniicerent. Primo a mari, circumfusa turba amicorum ac satellitum, procedebat: deinde extenuabant paullatim angustiae agmen. Ubi ad eum locum ventum est, qua singulis eundum erat, primus semitam ingressus Pantaleon Aetoliae princeps, cum quo institutus regi sermo erat. Tum insidiatores exorti saxa duo ingentia devolvunt: quorum altero caput ictum est regi, altero humerus; sopitusque ex semita proclivi ruit in declive, multis super prolapsum iam saxis congestis. Et ceteri quidem etiam amicorum et satellitum, postquam cadentem videre, diffugiunt: Pantaleon constanter impavidus mansit ad protegendum regem. Latrones, quum brevi circuitu maceriae decurrere ad conficiendum saucium possent, velut perfecta re, in iugum Parnasi refugerunt eo cursu, ut, quum unus non facile sequendo per invia atque ardua moraretur fugam eorum, ne ex comprenso indicium emanaret, occiderint comi-

In Eumenem percussores mittit Perseus.

Ascendentem Delphos lapidibus obruunt.

16.

2 *In flore virium*] Quibus ad bellum contra Romanos gerendum uteretur.

3 *Insidiatores*] Insidias has in Eumenem regem structas commemorat Polyb. in Excerpt. Vatican. xxii. 1.

4 *Paullum exstantis*] Bekkerus aliique *exstans* pro *exstantis* praeferunt.

5 *Derupta erat*] Ita Dukerus pro *diruta erat*.

6 *Primo a mari*] Primo dum procedebant a mari, quod Cirrham alluit, ascensuri Delphos. Cirrha portus Delphorum est. Itidem Plutarchus hanc ipsam rem narrans in libro de Fraterno Amore, scribit insidias Eumeni positas quum iret πρὸς τὸν θεὸν ἀπὸ θαλάσσης. Frustra ergo Gronovius hunc Livii locum suspectum habet, censetque legendum *primo agmine*. Nihil mutandum. Crev.

7 *Humerus; sopitusque ex semita proclivi ruit in declive*] Hanc optimam lectionem Bekker. quoque recepit, pro vulg. *humerus sopitus. Ex semita proclivi in declive* . . .

8 *Ne ex comprenso*] Ne ex eo, si comprehenderetur.

tem. Ad corpus regis primo amici, deinde satellites ac servi concurrerunt, tollentes sopitum vulnere ac nihil sentientem. Vivere tamen ex calore et spiritu remanente in praecordiis senserunt; victurum exigua ac prope nulla spes erat. Quidam ex satellitibus, secuti latronum vestigia, quum usque ad iugum Parnasi, nequicquam fatigati, pervenissent, re infecta redierunt. Aggressi facinus Macedones, ut inconsulte, ita audacter, coeptum nec consulte et timide reliquerunt. Compotem iam sui regem amici postero die deferunt ad navem: inde Corinthum: ab Corintho, per Isthmi iugum navibus traductis, Aeginam traiiciunt. Ibi adeo secreta eius curatio fuit, admittentibus neminem, ut fama mortuum in Asiam perferret. Attalus quoque celerius, quam dignum concordia fraterna erat, credidit. Nam et cum uxore fratris, et praefecto arci, tanquam iam haud dubius regni heres, est locutus. Quae postea non fefellere Eumenem: et, quanquam dissimulare
9 et tacite habere id patique statuerat, tamen in primo congressu non temperavit, quin uxoris petendae praematuram festinationem fratri obiiceret. Romam quoque fama de morte Eumenis perlata est.

U. C. 580. A. C. 172.

Sopitus vulnere tollitur.

Convalescit.

17. Sub idem tempus C. Valerius ex Graecia, qui legatus ad visendum statum regionis eius speculandaque consilia Persei regis missus erat, rediit; congruentiaque omnia criminibus ab Eumene allatis referebat. Simul et adduxerat secum Praxo a Delphis, cuius domus receptaculum latronum fuerat, et L. Rammium Brundisinum, qui talis indicii delator erat. Princeps Brundisii Rammius fuit; hospitio quoque et duces Romanos omnes, et legatos exterarum
1 quoque gentium insignes, praecipue regios, accipiebat. Ex eo notitia ei cum absente Perseo fuerat: literisque spem amicitiae interioris magnaeque inde fortunae facientibus, ad regem profectus, brevi perfamiliaris haberi, trahique, magis quam vellet, in arcanos sermones est coeptus. Promissis enim ingentibus praemiis petere institit ab eo rex, ‘Quoniam duces omnes legatique Romani hospitio eius
2 ‘uti assuessent, quibus eorum ipse scripsisset, ut venenum ‘dandum curaret. Cuius scire se comparationem pluri‘mum difficultatis et periculi habere. Pluribus consciis
3 ‘comparari: eventu praeterea incerto esse, ut aut satis ef‘ficacia ad rem peragendam, aut tuta ad rem celandam

Index sceleris Romam adducitur.

Perseus per veneficia grassari conatur in Rom.

9 *Tacite habere*] *Tacitum habere* legendum coniicit Drakenborchius.

1 *Ex eo notitia ei*] Inde commercium cum Perseo fuerat. cf. Ter. Heaut. I. i. 1. *quanquam haec inter nos nupera notitia admodum est.*

2 *Quibus eorum*] sc. Ut iis venenum dandum curaret, quibus eorum dari ipse scripsisset.

3 *Satis efficacia*] sc. Venena. Ceterum alteram *rem* delet Gronovius.

U. C. 580. A. C. 172. 'dentur. Se daturum, quod nec in dando, nec datum, 'ullo signo deprendi posset.' Rammius, veritus ne, si abnuisset, primus ipse veneni experimentum esset, facturum pollicitus proficiscitur: nec Brundisium ante redire, quam convento C. Valerio legato, qui circa Chalcidem esse dicebatur, voluit. Ad eum primum indicio delato, iussu eius Romam simul venit. Introductus in curiam, quae acta erant, exposuit.

Paratur bellum in Persea.

18. Haec ad ea, quae ab Eumene delata erant, accessere, quo maturius hostis Perseus iudicaretur: quippe quem non iustum modo apparare bellum regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera latrociniorum ac veneficiorum cernebant. Belli administratio ad novos consules reiecta est: in praesentia tamen Cn. Sicinium praetorem, cuius inter cives et peregrinos iurisdictio erat, scribere milites placuit; qui, Brundisium ducti, primo quoque tempore Apolloniam in Epirum traiicerentur ad occupandas maritimas urbes, ubi consul, cui provincia Macedonia obvenisset, classem appellere tuto, et copias per commodum exponere 4 posset. Eumenes, aliquamdiu Aeginae retentus periculosa et difficili curatione, quum primum tuto potuit, profectus Pergamum, praeter pristinum odium recenti etiam scelere Persei stimulante, summa vi parabat bellum. Legati eo ab Roma, gratulantes quod e tanto periculo evasisset, venerunt.

Eumenes redit Pergamum.

Quum Macedonicum bellum in annum dilatum esset, ceteris praetoribus iam in provinciis profectis, M. Iunius et Sp. Lucretius, quibus Hispaniae provinciae obvenerant, fatigantes saepe idem petendo senatum, tandem pervicerunt, ut supplementum sibi ad exercitum daretur tria millia peditum, centum et quinquaginta equites in Romanas legiones: in socialem exercitum quinque millia peditum, et trecentos equites, imperare sociis iussi. Hoc copiarum in Hispanias cum praetoribus novis portatum est.

19. Eodem anno, quia per recognitionem Postumii consulis magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent: quod factum tot annis post ca- 5 ptam Capuam non fuerat, ut in vacuo vagaretur cupiditas 6 privatorum.

Ariarathis filius Romae.

Quum in exspectatione senatus esset, bello etsi non in-

4 *Per commodum*] sc. Commode. cf. supr. xxx. 29.

5 *Fruendum locarent*] sc. Fructum agri locarent. cf. supr. xxxii. 7. Niebhr. ii. n. 291.

6 *Ut in vacuo*] Ita ut cupiditas privatorum, nullo retardata freno, invaderet agros vacuos et nulli colono attributos. Crev.

dicto, tamen iam decreto, qui regum suam, Persei qui U. C. 580.
7 secuturi amicitiam essent, legati Ariarathis, puerum filium A. C. 172.
regis secum adducentes, Romam venerunt. Quorum oratio fuit, 'Regem educandum filium Romam misisse, ut iam 'inde a puero assuesceret moribus Romanis hominibusque. 'Petere, ut eum non sub hospitum modo privatorum custo- 'dia, sed publicae etiam curae ac velut tutelae vellent esse.' Ea regis legatio grata senatui fuit. Decreverunt, ut Cn.
8 Sicinius praetor aedes instructas locaret, ubi filius regis comitesque eius habitare possent. Et Thracum legatis, apud se disceptantibus, et societatem amicitiamque peten-
9 tibus, et, quod petebant, datum est, et munera binum millium aeris summae in singulos missa. Hos utique populos, quod ab tergo Macedoniae Thracia esset, assumptos in societatem gaudebant. Sed ut in Asia quoque et insulis explorata omnia essent, Ti. Claudium Neronem, M. Decimium legatos miserunt. Adire eos Cretam et Rhodum iusserunt, simul renovare amicitiam, simul speculari, num sollicitati animi sociorum ab rege Perseo essent.

In suspensa civitate ad exspectationem novi belli, no- 20.
1 cturna tempestate columna rostrata in Capitolio * bello Pu- Prodigia.
nico consulis, cui collega Ser. Fulvius fuit, tota ad imum fulmine discussa est. Ea res, prodigii loco habita, ad senatum relata est. Patres ad haruspices referre, et decemviros
2 adire libros iusserunt. Decemviri, lustrandum oppidum,

7 *Legati Ariarathis, puerum filium regis secum adducentes*] Hic puer non erat genuinus regis filius, sed illi subditus ab Antiochide uxore, diu sterili: quae postea, quum filium peperisset, rem totam viro aperuit: atque ille, ne hic subdititius legitimo heredi negotium olim facesseret, eum procul ab Cappadocia amandabat. Crev.

8 *Ubi*] Hic quoque peccant recentiores editi, habentque *ut* pro *ubi*, quod exstat in antiquioribus. Crev.

9 *Munera*] Haec a senatu Romano adhibita lenocinia, ad demerendos sibi populos, impendenti Persei bello, memorantur apud Appian. Macedon. Ecl. viii. Dionys. Exc. Vatican. xxvi. 19.

1 *In Capitolio * bello Punico consulis*] Locus hic hiulcus et mutilus est, quem sanare Gronovius et Pighius aggressi sunt. Post *Capitolio*, voces *M. Aemilii*, *priore bello Punico consulis*, inserendas ex coniectura Pighii, censet Drakenborchius.

2 *Lustrandum oppidum*] Sacrificium peragendum esse, in quo oppidum circumiret et ambiret victima. *Lustratio*, vel *lustrum* commune erat nomen omnium sacrificiorum, in quibus hostia circumducebatur. Si circum urbem, dicebatur peculiari nomine *amburbium*; si circum agros, *ambarvalia*; si circum exercitum, *lustri* appellationem retinebat. *Amburbium* describitur apud Lucan. i. 592. et seq. *Ambarvalia* apud Virgil. Georg. i. 345. et seq. Fest. in voce *Amburbiales*, et Serv. ad Eclog. iii. 77. Ceterum hic illud notandum occurrit, quod quum sermo de Roma sit, *oppidi* nomen usurpatur. Id mirum primo aspectu videri debet iis qui norunt hanc esse pervulgatam scriptorum Romanorum consuetudinem, ut Romam *urbis κατ' ἐξοχὴν* nomine insigniant, *oppida* soleant dicere minores urbes. Sed nimirum hoc loco et aliis similibus non tota Roma *oppidi* nomine intelligenda est, sed certa quaedam eius regio: ut Parisiis duas urbis partes, alteram nominamus *la Cité*, alteram *la Ville*. Ioa. Scaliger in coniectaneis ulterius rem exsequitur, et oppidi nomine designatam esse

U. C. 580. A. C. 172. supplicationem obsecrationemque habendam, victimis maio- 2
ribus sacrificandum et in Capitolio Romae, et in Campania ad Minervae promontorium, renuntiarunt: ludos per decem dies Iovi Optimo Maximo primo quoque die faciendos. Ea omnia cum cura facta. Haruspices, in bonum versurum id prodigium, prolationemque finium et interitum perduellium portendi, responderunt; quod ex hostibus spolia fuissent ea rostra, quae tempestas disiecisset. Accesserunt, quae cumularent religiones animis. Saturniae, nuntiatum 3
erat, sanguine per triduum in oppido pluisse: Calatiae asinum tripedem natum, et taurum cum quinque vaccis uno ictu fulminis exanimatos: Auximi terra pluisse. Horum quoque prodigiorum causa res divinae factae, et supplicatio unum diem feriaeque habitae.

21. Consules ad id tempus in provinciam non exierant, quia neque, uti de M. Popillio referrent, senatui obsequebantur, et, nihil aliud decernere prius, statutum Patribus erat. Aucta etiam invidia est Popillii literis eius, quibus iterum cum Statiellatibus Liguribus proconsul pugnasse se scripsit, ac sex millia eorum occidisse. Propter cuius iniuriam 4
belli ceteri quoque Ligurum populi ad arma ierunt. Tum vero non absens modo Popillius, qui deditis contra ius ac fas bellum intulisset, et pacatos ad rebellium incitasset, sed 5
consules, quod non exirent in provinciam, in senatu increpiti. Hoc consensu Patrum accensi M. Marcius Sermo et Q. Marcius Scylla, tribuni plebis, et consulibus multam se dicturos, nisi in provinciam exirent, denuntiarunt; et rogationem, quam de Liguribus deditis promulgare in animo haberent, in senatu recitarunt. Sanciebatur, 'ut qui ex 6
'Statiellis deditis in libertatem restitutus ante Kalendas 'Sextiles primas non esset, cuius dolo malo is in servitutem 'venisset, ut iuratus senatus decerneret, qui eam rem quae- 'reret animadverteretque.' Ex auctoritate deinde senatus eam rogationem promulgarunt. Priusquam proficisceren-

Res in Liguria gestae.

Rogatio de Statiellatibus.

putat Romam illam quadratam, a Romulo primum conditam. CREV.

2 *Supplicationem obsecrationemque*] *Supplicatio* erat, ut facile quivis annotare potuit ex sexcentis Livii locis, quum populus templa circumibat, et, caesis victimis, vel gratulabatur de prosperis, vel mala deprecabatur. *Obsecratio* fiebat in foro, nec videtur aliud fuisse, nisi precatio quaedam, quam e Rostris sacerdos publicus perageret. cf. supr. iv. 21. et Sueton. in Claud. 22. CREV.

3 *Quae cumularent religiones animis*] Quae magis ac magis animos implerent religionibus, novisque irae divinae timoribus. CREV.

4 *Ac sex millia eorum*] *Ac se decem millia* vulgo legitur. Ex Perizonii emendatione *sedecim millia* reposuit Bekker.

5 *Ad rebellium*] Ut *contagium* et *contagio*, *obsidium* et *obsidio*, ita et *rebellium* et *rebellio* dicuntur. GRONOV.

6 *Ex Statiellis*] Cluverius universam gentem *Statiellos*, cives autem oppidi, quod *Aquae Statiellae* appellatur, *Statiellenses* et *Statiellates* dici monet; verum Drakenborchius voces *Statiellos* et *Statiellates* promiscue a nostro usurpari docet, ut orationem varietate quadam distinguat.

tur consules, C. Cicereio praetori prioris anni ad aedem Bellonae senatus datus est. Is, expositis, quas in Corsica res gessisset, postulatoque frustra triumpho, in monte Albano, quod iam in morem venerat, ut sine publica auctoritate fieret, triumphavit. Rogationem Marciam de Liguribus magno consensu plebes scivit iussitque. Ex eo plebiscito C. Licinius praetor consuluit senatum, quem quaerere ea rogatione vellet. Patres ipsum eum quaerere iusserunt. Tum demum consules in provinciam profecti sunt, exercitumque a M. Popillio acceperunt. Neque tamen M. Popillius reverti Romam audebat, ne causam diceret, adverso senatu, infestiore populo, apud praetorem, qui
7 de quaestione in se posita senatum consuluisset. Huic detrectationi eius tribuni plebis, alterius rogationis denuntiatione, occurrerunt: ut, si non ante Idus Novembres in urbem Romam introisset, de absente eo C. Licinius statueret ac iudicaret. Hoc tractus vinculo quum redisset, ingenti cum invidia in senatum venit. Ibi quum laceratus iurgiis multorum esset, senatusconsultum factum est, ut, qui Ligurum post Q. Fulvium, L. Manlium consules hostes non fuissent, ut eos C. Licinius, Cn. Sicinius praetores in libertatem restituendos curarent, agrumque iis trans Padum consul C. Popillius daret. Multa millia hominum hoc senatusconsulto restituta in libertatem, traductisque Padum ager est assignatus. M. Popillius rogatione Marcia bis apud C. Licinium causam dixit: tertio praetor, gratia consulis absentis et Popilliae familiae precibus victus, Idibus Martiis adesse reum iussit, quo die novi magistratus inituri erant honorem; ne diceret ius, qui privatus futurus esset. Ita rogatio de Liguribus arte fallaci elusa est.

U. C. 580. A. C. 172. Cicereius de Corsis triumphat in monte Albano.

22.

Legati Carthaginienses eo tempore Romae erant, et Gulussa filius Masinissae. Inter eos magnae contentiones in senatu fuere. Carthaginienses querebantur, 'praeter agrum,
8 'de quo ante legati ab Roma, qui in re praesenti cognoscerent, missi essent, amplius septuaginta oppida castellaque 'agri Carthaginiensis biennio proximo Masinissam vi atque
9 'armis possedisse. Id illi, cui nihil pensi sit, facile esse. 'Carthaginienses foedere illigatos silere. Prohiberi enim 'extra fines efferre arma. Quanquam sciant, in suis finibus, si inde Numidas pellerent, se gesturos bellum; illo 'haud ambiguo capite foederis deterreri, quo diserte veten-

23.

De Masinissa Carthaginiensium querelae in senatu.

7 *In se posita*] Sic *ponere* pro *subornare*, *apponere*, dicitur apud Cic. ad Divers. viii. 12. *ponere alicui accusatorem*. cf. Ernesti Clav. Cic.

8 *In re praesenti*] Praepositionem *in* addidit Sigonius. cf. supr. xxxiv. 62. xl. xvii. ubi similis loquendi forma exstat.

9 *Cui nihil pensi sit*] cf. Supr. xxxiv. 31. *minus pensi esse*, sc. minus curae esse. Hoc loco intelligas, qui pro arbitrio omnia agat, nihil expendens, nihil curans, neque fas neque ius respiciens.

U. C. 580. A. C. 172. 'tur cum sociis populi Romani bellum gerere. Sed iam 'ultra superbiam crudelitatemque et avaritiam eius non 'pati posse Carthaginienses. Missos esse, qui orarent se- 9
'natum, ut trium harum rerum unam ab se impetrari sine- 'rent: ut vel ex aequo apud socium populum, quid cuius- 'que esset, disceptarent: vel permitterent Carthaginiensi- 'bus, ut adversus iniusta arma pio iustoque se tutarentur 'bello: vel ad extremum, si gratia plus, quam veritas, apud 'eos valeret, semel statuerent, quid donatum ex alieno Ma- 'sinissae vellent. Modestius certe daturos eos, et scituros, 'quid dedissent: ipsum nullum, praeterquam suae libidinis 'arbitrio, finem facturum. Horum si nihil impetrarent, et 'aliquod suum post datam a P. Scipione pacem delictum 'esset, ipsi potius animadverterent in se. Tutam servitu- 'tem se sub dominis Romanis, quam libertatem expositam 'ad iniurias Masinissae, malle. Perire namque semel ipsis 'satius esse, quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiri- 'tum ducere.' Sub haec dicta lacrimantes procubuerunt; stratique humi, non sibi magis misericordiam, quam regi *. 1

24. Gulussa defendit patrem.

Interrogari Gulussam placuit, quid ad ea responderet, aut, si prius mallet, expromeret, super qua re Romam venisset. Gulussa, 'Neque sibi facile esse,' dixit, 'de iis rebus agere, 'de quibus nihil mandati a patre haberet: neque patri fa- 'cile fuisse mandare, quum Carthaginienses, nec de qua re 'acturi essent, nec omnino ituros se Romam, indicaverint. 'In aede Aesculapii clandestinum eos per aliquot noctes 'consilium principum habuisse, unde praeterea legatos oc- 2
'cultis cum mandatis Romam mitti. Eam causam fuisse 'patri mittendi se Romam, qui deprecaretur senatum, ne 'quid communibus inimicis criminantibus se crederent, 'quem ob nullam aliam causam, nisi propter constantem 'fidem erga populum Romanum, odissent.' His utrimque auditis, senatus, de postulatis Carthaginiensium consultus, respondere ita iussit: 'Gulussam placere extemplo in Nu- 3
'midiam proficisci, et nuntiare patri, ut de iis, de quibus 'Carthaginienses querantur, legatos quam primum ad se- 'natum mittat; denuntietque Carthaginiensibus, ut ad dis-

Senatus responsum.

9 *Missos esse*] *Missos sese* ex emendatione Gronov. reposuit Bekker.

1 *Quam regi* . . .] Expleveris sensum, si ex Sigonii mente adiicias *invidiam concitarunt*, et *deinde* ante *interrogari* reponas. Ceterum sensus constabit, ut Drakenborchius monet, si vocula *deinde* omittatur.

2 *Unde praeterea*] Locus mancus, a solo tamen Clerico observatus. Ea videtur mens fuisse Livii, ut Gulussam faceret dicentem, nihil patrem suum ex iis quae acta fuerint in illo consilio scisse, praeterquam legatos Romam mitti. Verba assequi non possumus sine libris. Crev. Vir quidam doctus ad marginem ed. Curionis vocem *placuit* post *mitti* inserendam ascripsit. Bekkerus locum obelo notavit.

3 *Respondere ita iussit*] sc. Magistratum, a quo consultus erat, fortasse praetorem.

'ceptandum veniant. Si aliquid possent Masinissae hono- U. C. 580.
4 'ris causa, et fecisse et facturos esse: ius gratiae non dare. A. C. 172.
'Agrum, qua cuiusque sit, possideri velle: nec novos sta-
5 'tuere fines, sed veteres observari, in animo habere. Car-
'thaginiensibus victis se et urbes, et agros concessisse; non
'ut in pace eriperent per iniuriam, quae iure belli non
'ademissent.' Ita regulus Carthaginiensesque dimissi. Munera ex instituto data utrisque, aliaque hospitalia comiter conservata.

Sub idem tempus Cn. Servilius Caepio, Ap. Claudius 25.
Centho, T. Annius Luscus legati, ad res repetendas in Ma- Legati ad res repetendas in Macedoniam missi redeunt.
6 cedoniam renuntiandamque amicitiam regi missi, redierunt: qui iam sua sponte infestum Persi senatum insuper accenderunt, relatis ordine, quae vidissent, quaeque audissent. 'Vidisse se per omnes urbes Macedonum summa vi parari 'bellum. Quum ad regem pervenissent, per multos dies 'conveniendi eius potestatem non factam: postremo, quum 'desperato iam colloquio profecti essent, tum demum se ex 'itinere revocatos, et ad eum introductos esse. Suae ora- 'tionis summam fuisse: Foedus, cum Philippo ictum, cum 'ipso eo post mortem patris renovatum: in quo diserte 'prohiberi eum, extra fines arma efferre; prohiberi, socios 'populi Romani lacessere bello. Exposita deinde ab se 'ordine, quae ipsi nuper in senatu Eumenem vera omnia 'et comperta referentem audissent. Samothracae prae- 'terea per multos dies occultum consilium cum legationi- 'bus civitatium Asiae regem habuisse. Pro his iniuriis 'satisfieri, senatum aequum censere, reddique sibi res so- 'ciisque suis, quas contra ius foederis habeat. Regem ad 'ea primo accensum ira inclementer locutum, avaritiam 'superbiamque Romanis obiicientem frequenter: quod alii 'super alios legati venirent speculatum dicta factaque sua, 'quod se ad nutum imperiumque eorum omnia dicere ac 'facere aequum censerent. Postremo, multum ac diu vo- 'ciferatum, reverti postero die iussisse: scriptum se respon- 'sum dare velle. Tum ita sibi scriptum traditum esse: 'Foedus, cum patre ictum, ad se nihil pertinere. Id se 'renovari, non quia probaret, sed quia in nova possessione 'regni patienda omnia essent, passum. Novum foedus si 'secum facere vellent, convenire prius de conditionibus de- 'bere: et, si in animum inducerent, ut ex aequo foedus 'fieret, et se visurum, quid sibi faciundum esset, et illos 'credere reipublicae consulturos. Atque ita se proripuisse,

4 *Ius gratiae non dare*] Se ius non violare in gratiam personarum; se ex iure, non ex gratia, statuere ac iudicare. Crev.

5 *Sed veteres observari*] *Observare* auctore Gronovio recepit Bekker.

6 *Amicitiam regi*] Olim *regis* legebatur. *Regi* emendavit Sigonius.

U. C. 580. 'et summoveri e regia omnes coeptos. Tum se amicitiam
A. C. 172. 'et societatem renuntiasse. Qua voce eum accensum re-
'stitisse, atque voce clara denuntiasse sibi, ut triduo regni
'sui decederent finibus. Ita se profectos: nec sibi, aut
'venientibus, aut manentibus, quicquam hospitaliter aut
'benigne factum.' Thessali deinde Aetolique legati auditi.
Senatui, ut scirent quam primum, quibus ducibus usura
respublica esset, literas mitti consulibus placuit, ut, uter
26. eorum posset, Romam ad magistratus creandos veniret.
Nihil magnopere, quod memorari attineat, rei publicae eo
anno consules gesserant. Magis e republica visum erat,
comprimi ac sedari exasperatos Ligures.

Gentius ab Issensibus Romae insimulatur.

Quum Macedonicum bellum exspectaretur, Gentium
quoque Illyriorum regem suspectum Issenses legati fece-
runt: simul questi, fines suos secundo populatum, simul
nuntiantes, 'uno animo vivere Macedonum atque Illyrio-
'rum regem: communi consilio parare Romanis bellum:
'et specie legatorum Illyrios speculatores Romae esse,
'Perse auctore missos, ut, quid agerètur, scirent.' Illyrii 7
vocati in senatum. Qui quum legatos se esse missos ab
rege dicerent ad purganda crimina, si qua de rege Issenses
deferrent; quaesitum, ecquid ita non adissent magistratum,
ut ex instituto loca, lautia, acciperent? sciretur denique 8
venisse eos, et super qua re venissent? Haesitantibus in
responso, ut curia excederent, dictum. Responsum tan-
quam legatis, ut qui adire senatum non postulassent, dari 9
non placuit: mittendosque ad regem legatos censuerunt,
qui nuntiarent, 'qui socii quererentur apud senatum, ex- 1
'ustum a rege agrum: non aequum eum facere, qui ab
'sociis suis non abstineret iniuriam.' In hanc legationem

Legati ex Asia reduces.

missi, A. Terentius Varro, C. Plaetorius, C. Cicereius. Ex
Asia, qui circa socios reges missi erant, redierunt legati,
qui renuntiarunt, 'Eumenem in ea, Antiochum in Syria, 2
'Ptolemaeum in Alexandria sese convenisse. Omnes sol-
'licitatos legationibus Persei, sed egregie in fide perma-
'nere, pollicitosque omnia, quae populus Romanus impe-
'rasset, praestaturos. Et civitates socias adisse: ceteras
'satis fidas; solos Rhodios fluctuantes et imbutos Persei
'consiliis invenisse.' Venerant Rhodii legati ad purganda
ea, quae vulgo iactari de civitate sciebant: ceterum sena-
tum iis dari, quum novi consules magistratum inissent,
placuit.

7 *Perse auctore*] Priscam scripturam *Perse* revocavit Gronovius pro *Perseo*, quod ex ed Curionis irrepserat.

8 *Loca, lautia*] cf. Supr. xxviii. 39.

9 *Ut qui*] Crevierius coniicit *iis, qui*.

1 *Qui socii quererentur*] *Quod*, sc. quoniam, *socii quererentur*, emendavit Gronov. et Bekkerus probat.

2 *Eumenem in ea*] sc. In Asia.

Belli apparatum non differendum censuerunt. C. Licinio praetori negotium datur, ut ex veteribus quinqueremibus, in navalibus Romae subductis, quae possent usui esse, reficeret, pararetque naves quinquaginta. Si quid ad eum numerum explendum deesset, C. Memmio collegae in Siciliam scriberet, ut eas, quae in Sicilia naves essent, reficeret, atque expediret, ut Brundisium primo quoque tempore
3 mitti possent. Socios navales libertini ordinis in viginti et quinque naves ex civibus Romanis C. Licinius praetor scribere iussus: in quinque et viginti parem numerum Cn. Sicinius sociis imperaret: idem praetor peditum octo millia, quadringentos equites ab sociis Latini nominis exigeret. Hunc militem qui Brundisii acciperet, atque in Macedoniam mitteret, A. Atilius Serranus, qui priore anno praetor fuerat,
4 deligitur. Cn. Sicinius praetor ut exercitum paratum ad traiiciendum haberet, C. Popillio consuli ex auctoritate senatus C. Licinius praetor scribit, ut et legionem secun-
5 dam, quae maxime veterana in Liguribus erat, et socios Latini nominis quattuor millia peditum, ducentos equites Idibus Februariis Brundisii adesse iuberet. Hac classe et hoc exercitu Cn. Sicinius provinciam Macedoniam obtinere, donec successor veniret, iussus, prorogato in annum imperio. Ea omnia, quae senatus censuit, impigre facta sunt. Duodequadraginta quinqueremes ex navalibus deductae: qui deduceret eas Brundisium, L. Porcius Licinius praepositus: duodecim ex Sicilia missae. Ad frumentum classi exercituique coemendum in Apuliam Calabriamque tres legati missi, Sex. Digitius, T. Iuventius, M. Caecilius. Ad omnia praeparata Cn. Sicinius praetor, paludatus ex urbe profectus, Brundisium venit.

U. C. 580. A. C. 172. 27. Apparatus in Persea.

Exitu prope anni C. Popillius consul Romam rediit aliquanto serius, quam senatus censuerat: cui primo quoque 28.
6 tempore magistratus creari, quum tantum bellum immine-
7 ret, e republica visum erat. Itaque non secundis auribus Patrum auditus est consul, quum in aede Bellonae de rebus

3 *Socios navales*] cf. Supr. ix. 38. xxi. 49.

4 *Cn. Sicinius praetor ut exercitum*] *Qui exercitum* vulgo legitur. *Quo exercitum* ex emendatione Gronov. reposuit Bekkerus.

5 *Et socios Latini nominis*] Pro *socios* legendum *sociûm* monet Gronovius; sed mutatione nihil opus esse censent Crevier. et Drakenb. Haud scio an *socios* per appositionem respondeat sequenti membro *quattuor millia peditum*, et *Latini nominis* potius, quam *Latinum nomen* scriptum fuisse, ut quod idem atque *ex Latino nomine*, sc. *Latinos* significet. cf. supr. xxxiv. 56.

6 *Immineret, e republica*] In stereotypa, quam paravit Kreyssigius, editione legitur *immineret reipublicae*, sed quum ipse postea emendationem Bekkerianam *immineret, e republica* probaverit, haud dubitanter hanc lectionem in textum reposui.

7 *Visum erat*] Olim *iussum erat* hic legebatur, quod Crevierio et Drakenborchio mendosum esse videtur. Voces *iussum* et *visum* in membranis saepius commutantur.

U. C. 580. A. C. 172. in Liguribus gestis dissereret. Succlamationes frequentes erant interrogationesque, cur scelere fratris oppressos Ligures in libertatem non restituisset? Comitia consularia, in quam edicta erant diem, ante diem duodecimum Kalendas Martias sunt habita. Creati consules, P. Licinius Crassus, C. Cassius Longinus. Postero die praetores facti, C. Sulpicius Galba, L. Furius Philus, L. Canuleius Dives, C. Lucretius Gallus, C. Caninius Rebilus, L. Villius Annalis. His praetoribus provinciae decretae: duae iuri Romae dicendo, Hispania, et Sicilia, et Sardinia; ut uni sors integra esset, quo senatus censuisset. Consulibus designatis 9 imperavit senatus, ut, qua die magistratum inissent, hostiis maioribus rite mactatis, precarentur, ut, quod bellum populus Romanus in animo haberet gerere, ut id prosperum eveniret. Eodem die decrevit senatus, C. Popillius consul ludos per dies decem Iovi Optimo Maximo voveret, donaque circa omnia pulvinaria dari, si respublica decem annos in eodem statu fuisset. Ita ut censuerant, in Capitolio vovit consul ludos fieri, donariaque dari, quanta ex pecunia decresset senatus, quum centum et quinquaginta non minus adessent. Praeeunte verba Lepido pontifice maximo, id votum susceptum est.

Comitia.

Vota a Pop. suscepta.

Eo anno sacerdotes publici mortui, L. Aemilius Papus decemvir sacrorum, et Q. Fulvius Flaccus pontifex, qui priore anno fuerat censor. Hic foeda morte periit. Ex duobus filiis eius, qui tum in Illyrico militabant, nuntiatum alterum decessisse, alterum gravi et periculoso morbo aegrum esse. Obruit animum simul luctus metusque: mane ingressi cubiculum servi laqueo dependentem invenere. Erat opinio, post censuram minus compotem fuisse sui: 1 vulgo Iunonis Laciniae iram ob spoliatum templum alienasse mentem ferebant. Suffectus in Aemilii locum decemvir M. Valerius Messalla: in Fulvii pontifex Cn. Domitius Ahenobarbus, oppido adolescens sacerdos, est lectus. 2

Fulvius laqueo gulam sibi frangit.

29. U. C. 581. A. C. 171. P. Licinio, C. Cassio Coss. Exponitur quis esset regum ani-

P. Licinio, C. Cassio consulibus, non urbs tantum Roma, nec terra Italia, sed omnes reges civitatesque, quae in Europa, quaeque in Asia erant, converterant animos in curam Macedonici ac Romani belli. Eumenem quum vetus odium stimulabat, tum recens ira, quod scelere eius prope ut victima mactatus Delphis esset. Prusias, Bithyniae rex, statuerat abstinere armis, eventumque exspectare. Nam

9 *Quo senatus censuisset*] sc. Quo loco. cf. supr. xxvii. 22.

1 *Minus compotem fuisse*] In stereotypa editione *non compotem* Kreyssigius auctore Kopitario emendaverat ex incuriosa cod. Vindob. enotatione, sed quum postea certior factus sit vocabulum *minus* in codice reperiri, ipso probante *minus compotem* in textum revocavi.

2 *Pontifex .... oppido adolescens sacerdos*] Manifestum est vacare τὸ *sacerdos*, ac proinde delendum esse. Crev.

U. C. 581. A. C. 171.

mus erga Romanos et Persea.

neque Romanos posse aequum censere adversus fratrem uxoris arma ferre; et apud Persea victorem veniam per sororem impetrabilem fore. Ariarathes, Cappadocum rex, praeterquam quod Romanis suo nomine auxilia pollicitus erat,
3 ex quo est iunctus Eumeni affinitate, in omnia belli pacisque se consociaverat consilia. Antiochus imminebat
4 quidem Aegypti regno, et pueritiam regis, et inertiam tutorum spernens; et ambigendo de Coele Syria causam belli se habiturum existimabat, gesturumque sine ullo impedimento, occupatis Romanis in Macedonico bello, id bellum: tamen omnia et per suos legatos senatui, et ipse legatis eorum enixe pollicitus erat. Ptolemaeus propter aetatem alieni etiam tum arbitrii erat. Tutores et bellum
5 adversus Antiochum parabant, quo vindicarent Coelen Syriam, et Romanis omnia pollicebantur ad Macedonicum bellum. Masinissa et frumento iuvabat Romanos, et auxilia cum elephantis Misagenemque filium mittere ad bellum parabat. Consilia autem in omnem fortunam ita disposita habebat: si penes Romanos victoria esset, suas quoque in eodem statu mansuras res esse, neque ultra quicquam movendum: non enim passuros Romanos, vim Carthaginiensibus afferri: si fractae essent opes Romanorum, quae tum protegerent Carthaginienses, suam omnem Africam fore. Gentius, rex Illyriorum, fecerat potius, cur suspectus esset Romanis, quam satis statuerat, utram foveret partem; impetuque magis, quam consilio, his aut illis se adiuncturus videbatur. Cotys Thrax, Odrysarum rex, evidenter Macedonum partis erat.

30. Quis liberarum civitatium.

Haec sententia regibus quum esset de bello, in liberis
6 gentibus populisque plebs ubique omnis ferme *, ut solet,
7 deterioribus, erat ad regem Macedonasque inclinata: principum diversa cerneres studia. Pars ita in Romanos effusi erant, ut auctoritatem immodico favore corrumperent; pauci ex iis iustitia imperii Romani capti; plures ita, si praecipuam operam navassent, potentes sese in civitatibus suis futuros rati. Pars altera regiae adulationis erat, quos aes alienum et desperatio rerum suarum, eodem manente statu,

3 *Ex quo est iunctus Eumeni affinitate*] Eumenes uxorem duxerat Ariarathis filiam, ut colligitur supr. xxxviii. 39. Ei nomen fuisse *Stratonicen* docet Plutarchus in libro de Frat. Amore. Ceterum mallemus *ex quo erat iunctus*. Crev.

4 *Pueritiam regis*] Is erat Ptolemaeus Philometor, filius Ptolemaei Epiphanis, de quo mentio facta est supr. xxxi. 2. et alibi saepius. Crev.

5 *Coelen Syriam*] Sic edendum censuit Gronovius, quum in scripto legatur *Coelemsyriam*. *Graece* κοίλην Συρίαν. Vulgati *Coelesyriam*. Crev.

6 *Plebs ubique omnis*] Emendationem Gruteri *plebs utique omnis* praefert Crevier.

7 *Ferme* *, *ut solet*, *deterioribus*] Excidisse verbum aliquod, quale esset *favens*, Crevier. existimat. Vulgo *ob regem* legitur, quod Gronovio displicet.

U. C. 581. A. C. 171. praecipites ad novanda omnia agebat; quosdam ventosum 8
ingenium, quia Perseus magis aurae popularis erat. Ter- 9
tia pars, optima eadem et prudentissima, si utique optio domini potioris daretur, sub Romanis, quam sub rege, malebat esse: si liberum inde arbitrium fortunae esset, neutram partem volebant potentiorem altera oppressa fieri; sed, illibatis potius viribus utriusque partis, pacem ex eo 1
manere. Ita inter utrosque optimam conditionem civitatium fore; protegente altero semper inopem ab alterius iniuria. Haec sentientes, certamina fautorum utriusque partis taciti ex tuto spectabant.

Consules, quo die magistratum inierunt, ex senatusconsulto quum circa omnia fana, in quibus lectisternium maiorem partem anni esse solet, maioribus hostiis immolassent, inde preces suas acceptas ab diis immortalibus ominati, senatui, rite sacrificatum, precationemque de bello factam, renuntiarunt. Haruspices ita responderunt: 'Si quid rei 'novae inciperetur, id maturandum esse: victoriam, tri- 'umphum, propagationem imperii portendi.' Patres, 'quod 2
'faustum felixque populo Romano esset, centuriatis comi- 'tiis primo quoque die ferre ad populum consules,' iusserunt, 'ut, quod Perseus, Philippi filius, Macedonum rex, 'adversus foedus cum patre Philippo ictum, et secum post 'mortem eius renovatum, sociis populi Romani arma intu- 'lisset, agros vastasset, urbesque occupasset; quodque belli 'parandi adversus populum Romanum consilia inisset, ar- 'ma, milites, classem eius rei causa comparasset; ut, nisi 'de iis rebus satisfecisset, bellum cum eo iniretur.' Haec
31. rogatio ad populum lata est. Senatusconsultum inde factum est, 'Ut consules inter se provincias Italiam et Mace- 'doniam compararent, sortirenturve. Cui Macedonia ob- 'venisset, ut is regem Persea, quique eius sectam secuti 'essent, nisi populo Romano satisfecissent, bello persequetur.' Legiones quattuor novas scribi placuit, binas singulis consulibus. Id praecipue provinciae Macedoniae da- 3
tum, quod, quum alterius consulis legionibus quina millia et duceni pedites ex vetere instituto darentur in singulas legiones, in Macedoniam sena millia peditum scribi iussa; 4

S. C. de bello in Persea.

Exercitus. Legiones Macedonicae auctiores.

8 *Quosdam ventosum ingenium*] Supple, *agebat*.

9 *Aurae popularis erat*] Aura populari movebatur, aurae populari vela dabat.

1 *Ex eo manere*] Crevierio placet Gronovii coniectura, *ex aequo*, quam Bekkerus amplexus est.

2 *Propagationem imperii*] Ita emendavit Perizonius pro vulg. *prorogationem*, quod haud dubie mendosum erat.

3 *Id praecipue*] *Id praecipui* reposuit Bekker.

4 *Sena millia peditum*] sc. Decem fortasse cohortes, singulas sexcentos milites habentes. Moris erat apud Romanos quando legionibus auctioribus opus esset, numerum *hastatorum* et *principum*, necnon *velitum*

equites treceni aequaliter in singulas legiones. Et in so- U. C. 581.
ciali exercitu consuli alteri auctus numerus: sexdecim mil- A. C. 171.
lia peditum, octingentos equites, praeter eos, quos Cn. Sicinius duxisset, sexcentos equites, in Macedoniam traiiceret. Italiae satis visa duodecim millia sociorum peditum, sexcenti equites. Illud quoque praecipuum datum sorti Macedoniae, ut centuriones militesque veteres scriberet, quos vellet, consul usque ad quinquaginta annos. In tribunis Tribuni
5 militum novatum eo anno propter Macedonicum bellum, Mil. a Coss. lecti.
quod consules ex senatusconsulto ad populum tulerunt, ne
6 tribuni militum eo anno suffragiis crearentur, sed consulum praetorumque in iis faciendis iudicium arbitriumque esset. Inter praetores ita partita imperia. Praetorem, cuius sors Praetorum provinciae.
fuisset, ut iret, quo senatus censuisset, Brundisium ad classem ire placuit; utque ibi recognosceret socios navales, dimissisque, si qui parum idonei essent, supplementum legeret ex libertinis, et daret operam, ut duae partes civium Romanorum, tertia sociorum esset. Commeatus classi legionibusque ut ex Sicilia Sardiniaque subveherentur, praetoribus, qui eas provincias sortiti essent, mandari placuit, ut alteras decumas Siculis Sardisque imperarent, utque id frumentum ad exercitum in Macedoniam portaretur. Siciliam C. Caninius Rebilius est sortitus, L. Furius Philus Sardiniam, L. Canuleius Hispaniam, C. Sulpicius Galba urbanam iurisdictionem, L. Villius Annalis inter peregrinos. C. Lucretio Gallo, quo senatus censuisset, sors obvenit.

Inter consules magis cavillatio, quam magna contentio, 32.
7 de provincia fuit. Cassius, 'sine sorte se Macedoniam op-
'taturum,' dicebat, 'nec posse collegam, salvo iureiurando,
8 'secum sortiri. Praetorem eum, ne in provinciam iret, in
'concione iurasse, se stato loco statisque diebus sacrificia
'habere, quae, absente se, recte fieri non possent: quae non
'magis consule, quam praetore, absente recte fieri possent.
9 'Si senatus, non quid vellet in consulatu potius, quam quid
'in praetura iuraverit P. Licinius, animadvertendum esse
'censeat, se tamen futurum in senatus potestate.' Consulti Patres, cui consulatum populus Romanus non negasset, ab se provinciam negari, superbum rati, sortiri consules iusse-

augere, *triarios* autem semper sexcentos in subsidiis instruere. Itaque hastati, principes, et velites singuli mille et octingentos pedites efficiebant. Hic *numerus auctior* haud dubie contra phalangem illam Macedonicam instructus est.

5 *Novatum*] Nova instituta est ratio.

6 *Suffragiis*] sc. Populi. cf. supr. vii. 6. ix. 30.

7 *Macedoniam optaturum*] Ita Rubenius emendavit pro vulg. *oppugnaturum*. *Optare* pro *eligere* supr. vi. 25. exstat.

8 *Praetorem eum*] Hoc supr. xli. 15. memoratum est.

9 *Non quid vellet*] Particulam negativam delendam censet Gronovius, probante Crevierio. Bekkerus eam uncis inclusit.

U. C. 581. A. C. 171. Sortiuntur Coss.

runt. P. Licinio Macedonia, C. Cassio Italia obvenit. Legiones inde sortiti sunt. Prima et tertia in Macedoniam traiicerentur, secunda et quarta ut in Italia remanerent.

Delectus intentior cura.

Delectus consules multo intentiorem, quam alias, curam habebant. Licinius veteres quoque scribebat milites centurionesque: et multi voluntate nomina dabant, quia locupletes videbant, qui priore Macedonico bello, aut adversus Antiochum in Asia, stipendia fecerant. Quum tribuni militum centuriones, sed primum quemque, citarent, tres 1 et viginti centuriones, qui primos pilos duxerant, citati tribunos plebis appellarunt. Duo ex collegio, M. Fulvius Nobilior et M. Claudius Marcellus, ad consules reiiciebant: 'Eorum cognitionem esse debere, quibus delectus, quibus- 3 'que bellum mandatum esset.' Ceteri, 'cognituros se, de 'quo appellati essent,' aiebant; 'et, si iniuria fieret, auxi-
33. 'lium civibus laturos.' Ad subsellia tribunorum res agebatur. Eo M. Popillius consularis, centuriones, et consul venerunt. Consule inde postulante, ut in concione ea res ageretur, populus in concionem advocatus. Pro centurionibus M. Popillius, qui biennio ante consul fuerat, ita verba fecit: 'Militares homines et stipendia iusta, et corpora, 4 'et aetate, et assiduis laboribus, confecta habere: nihil re- 'cusare tamen, quo minus operam reipublicae dent. Id 5 'tantum deprecari, ne inferiores iis ordines, quam quos, 'quum militassent, habuissent, attribuerentur.' P. Licinius consul senatusconsulta recitari iussit: primum, quod bellum senatus Perseo iussisset: deinde, quod veteres centuriones quam plurimum ad id bellum scribi censuisset, nec ulli, qui non maior annis quinquaginta esset, vacationem militiae 6 esse. Deprecatus est deinde, 'ne novo bello, tam propin- 'quo Italiae, adversus regem potentissimum, aut tribunos 'militum, delectum habentes, impedirent; aut prohiberent 'consulem, quem cuique ordinem assignari e republica 'esset, eum assignare. Si quid in ea re dubium esset, ad
34. 'senatum reiicerent.' Postquam consul, quae voluerat,

23. centuriones citati a tribunis mil. appellant tribunos pl.

1 *Sed primum quemque*] Vocula *sed* Crevierio suspecta est, qui pro *sed primum* legendum *vetustissimum* vult. Iacobius *veterrimum* emendat.

2 *Citarent*] Ut nomina darent, quo in legiones non pro primi pili centurionibus, sed pro centurionibus inferioris ordinis, vel pro militibus gregariis conscriberentur, quod nescio an lege antiqua vetitum esset. cf. supr. vii. 41.

3 *Eorum cognitionem esse debere*] De postulatis centurionum cognoscere et statuere debere eos quibus .... Crev.

4 *Stipendia iusta*] Iustum ac legitimum stipendiorum numerum, sc. viginti octo, quando *emeriti* fiebant.

5 *Reipublicae*] Hoc debetur Sigonio, quum prius legeretur *populo Romano*. Nempe ille putat traiectione literarum peccatum esse a librariis, qui scripserint *P. R.* pro *R. P.* Crev.

6 *Maior annis quinquaginta*] Quadragesimo quinto anno vacatio militiae civibus Romanis dari solebat.

dixit, Sp. Ligustinus ex eo numero, qui tribunos plebis ap- U. C. 581.
pellaverant, a consule et ab tribunis petiit, ut sibi paucis ad A. C. 171.
populum agere liceret. Permissu omnium ita locutus fertur: Sp. Ligustini oratio ad populum.
'Sp. Ligustinus tribus Crustuminae ex Sabinis sum oriun-
'dus, Quirites. Pater mihi iugerum agri reliquit et par-
'vum tugurium, in quo natus educatusque sum: hodieque
7 'ibi habito. Quum primum in aetatem veni, pater mihi
'uxorem fratris sui filiam dedit: quae secum nihil attulit,
'praeter libertatem pudicitiamque, et cum his fecunditatem,
'quanta vel in diti domo satis esset. Sex filii nobis, duae
'filiae sunt: utraeque iam nuptae. Filii quattuor togas
8 'viriles habent, duo praetextati sunt. Miles sum factus, P.
'Sulpicio, C. Aurelio consulibus. In eo exercitu, qui in
'Macedoniam est transportatus, biennium miles gregarius
'fui adversus Philippum regem: tertio anno virtutis causa
9 'mihi T. Quinctius Flamininus decumum ordinem hasta-
'tum assignavit. Devicto Philippo Macedonibusque, quum
'in Italiam reportati ac dimissi essemus, continuo miles vo-
'luntarius cum M. Porcio consule in Hispaniam sum pro-
'fectus. Neminem omnium imperatorum, qui vivant, acri-
'orem virtutis spectatorem ac iudicem fuisse sciunt, qui et
'illum et alios duces longa militia experti sunt. Hic me
1 'imperator dignum iudicavit, cui primum hastatum prioris
'centuriae assignaret. Tertio iterum voluntarius miles
'factus sum in eum exercitum, qui adversus Aetolos et
2 'Antiochum regem est missus. A M'. Acilio mihi primus
'princeps prioris centuriae est assignatus. Expulso rege
3 'Antiocho, subactis Aetolis, reportati sumus in Italiam: et
4 'deinceps bis, quae annua merebant legiones, stipendia

7 *Quum primum in aetatem veni*] De eo dicitur qui adolevit iuvenisque est: quod adolescentia et pubertas *prima aetas* videatur esse, perinde quasi in aetatibus pueritia non sit habenda. Hinc *ab ineunte aetate* est a principio adolescentiae. TURNEBUS.

8 *Duo praetextati*] sc. Adhuc pueri, infra militarem aetatem.

9 *Mihi . . . decumum ordinem hastatum assignavit*] Me iussit esse centurionem decimi ordinis hastatorum. CREV.

1 *Primum hastatum*] Centurionem prioris centuriae in primo hastatorum manipulo.

2 *Mihi primus princeps prioris centuriae est assignatus*] Factus sum centurio prioris centuriae in primo manipulo principum. De his gradibus Romanae militiae vide fusius disserentem Lipsium de Mil. Rom. ii. 8. CREV.

3 *Reportati*] Ita Bekkerus quoque reposuit, coniecturam Perizonii amplexus, pro vulg. *portati*.

4 *Quae annua merebant legiones*] Hunc locum Duker. Crevier. et Drakenborch. insanabilem esse putant. Equidem medicam manum vulneri conclamato adhibere vix ausus fuerim, sed coniecturam, quae in mentem venit, pace lectoris proferam. Quum M. Acilius ann. 562 U. C. de Antiocho triumphaverit, neque Q. Fulvius Flaccus ante ann. 570 U. C. bellum in Hispania gesserit, vel *in Asia* Cn. Manlio duce contra Gallos, vel *in Italia* contra Ligures M. Aemilio duce, Ligustinus stipendia facere potuisset. Equidem *in Asia* pro *annua*, quae vox haud dubie otiosior est, leviori mutatione reponendum coniecerim, nisi malis *in Italia*, quod fortasse melius fuerit.

U. C. 581. 'feci. Bis deinde in Hispania militavi, semel Q. Fulvio
A. C. 171. 'Flacco, iterum Ti. Sempronio Graccho praetore. A Flacco
'inter ceteros, quos virtutis causa secum ex provincia ad
'triumphum deducebat, deductus sum. A Ti. Graccho
'rogatus, in provinciam ii. Quater intra paucos annos
'primum pilum duxi: quater et tricies virtutis causa dona-
'tus ab imperatoribus sum: sex civicas coronas accepi.
'Viginti duo stipendia annua in exercitu emerita habeo, et
'maior annis sum quinquaginta. Quod si mihi nec stipen-
'dia omnia emerita essent, necdum aetas vacationem daret,
'tamen, quum quattuor milites pro me uno vobis dare, P.
'Licini, possem, aequum erat me dimitti. Sed haec pro
'causa mea dicta accipiatis velim: ipse me, quoad quisquam,
'qui exercitus scribit, idoneum militem iudicabit, nunquam
'sum excusaturus. Ordine quo me dignum iudicent tri-
'buni militum, ipsorum est potestatis: ne quis me virtute 5
'in exercitu praestet, dabo operam; ut semper ita fecisse 6
'me et imperatores mei, et qui una stipendia fecerunt,
'testes sunt. Vos quoque aequum est, commilitones, etsi
'appellationis vobis usurpatis ius, quum adolescentes nihil
'adversus magistratuum senatusque auctoritatem usquam
'feceritis, nunc quoque in potestate senatus ac consulum
'esse, et omnia honesta loca ducere, quibus rempublicam
35. 'defensuri sitis.' Haec ubi dixit, collaudatum multis ver-
Parent centuriones Cos. bis consul ex concione in senatum duxit. Ibi quoque ei ex
auctoritate senatus gratiae actae, tribunique militares in le-
gione prima primum pilum virtutis causa ei assignarunt.
Ceteri centuriones, remissa appellatione, ad delectum obe-
dienter responderunt.

Quo maturius in provincias magistratus proficiscerentur, Latinae Kalendis Iuniis fuere: eoque sollenni perfecto, C. Lucretius praetor, omnibus, quae ad classem opus erant, praemissis, Brundisium est profectus. Praeter eos exercitus, quos consules comparabant, C. Sulpicio Galbae praetori negotium datum, ut quattuor legiones scriberet urbanas, iusto numero peditum equitumque; iisque quattuor tribu- 7
nos militum ex senatu legeret, qui praeessent: sociis Latini nominis imperaret quindecim millia peditum, mille et ducentos equites. Is exercitus uti paratus esset, quo senatus

5 *Ipsorum est potestatis*] sc. Statuere, quum senatusconsulto iis id muneris iniungeretur.

6 *Ut semper*] *Et semper* Gronovius emendat. Crevierius voculam *ita* redundare censet.

7 *Iisque quattuor tribunos militum ex senatu legeret, qui praeessent*] Hoc notandum. Nam ex more solito tribuni alternis imperitabant, ut observatum est supr. xl. 41. Sed his, qui ex senatu leguntur, datur nimirum ob ampliorem dignitatis gradum extraordinaria potestas. Nisi forte mendum est in numero, legendumque *quattuor et viginti tribunos*, sex enim tribuni creabantur in singulas legiones. Ca.

censuisset. P. Licinio consuli ad exercitum civilem socia- U. C. 581.
lemque petenti addita auxilia, Ligurum duo millia, Cre- A. C. 171.
8 tenses sagittarii, (incertus numerus, quantum rogati auxilia Cretenses misissent) Numidae item equites elephantique. In eam rem legati ad Masinissam Carthaginiensesque missi, L. Postumius Albinus, Q. Terentius Culleo, C. Aburius. In Cretam item legatos tres ire placuit, A. Postumium Albinum, C. Decimium, A. Licinium Nervam.

Per idem tempus legati ab rege Perseo venerunt. Eos 36.
9 in oppidum intromitti non placuit, quum iam bellum regi eorum et Macedonibus et senatus decresset, et populus iussisset. In aedem Bellonae in senatum introducti ita verba Legati a Perseo.
fecerunt: 'Mirari Persea regem, quid in Macedoniam ex-
'ercitus transportati essent. Si impetrari a senatu posset,
'ut ii revocentur, regem de iniuriis, si quas sociis factas
'quererentur, arbitratu senatus satisfacturum esse.' Sp. Carvilius, ad eam ipsam rem ex Graecia remissus ab Cn. Sicinio, in senatu erat. Is Perrhaebiam expugnatam armis, Thessaliae aliquot urbes captas, cetera, quae aut ageret, aut pararet rex, quum argueret, respondere ad ea legati iussi. Postquam haesitabant, negantes sibi ultra quicquam mandatum esse, iussi renuntiare regi, 'Consulem P. Licinium
'brevi cum exercitu futurum in Macedonia esse: ad eum,
'si satisfacere in animo esset, mitteret legatos. Romam
'quod praeterea mitteret, non esse: neminem eorum per
1 'Italiam ire liciturum.' Ita dimissis, P. Licinio consuli mandatum, intra undecimum diem iuberet eos Italia excedere, et Sp. Carvilium mitteret, qui, donec navem conscendissent, custodiret. Haec Romae acta, nondum profectis in provinciam consulibus.

Iam Cn. Sicinius, qui, priusquam magistratu abiret, Brundisium ad classem et ad exercitum praemissus erat, traiectis in Epirum quinque millibus peditum, trecentis equitibus, ad Nymphaeum in agro Apolloniati castra habebat. Inde tribunos cum duobus millibus militum ad occupanda Dassaretiorum et Illyriorum castella, ipsis arcessentibus praesidia, ut tutiores a finitimorum impetu Macedonum essent, misit. Paucis post diebus Q. Marcius, A. Atilius, 37.
et P. et Ser. Cornelii Lentuli, et L. Decimius, legati in Graeciam missi, Corcyram peditum mille secum advexerunt: ibi inter se et regiones, quas obirent, et milites diviserunt. Decimius missus est ad Gentium, regem Illyrio-

8 *Rogati auxilia*] Vocem *auxilia*, ut supervacaneam, expungit Gronovius.

9 *In oppidum*] sc. In urbem. cf. supr. 20.

1 *Ire liciturum*] cf. Supr. xxxii. 21. Ceterum *liciturum* absolute hic positum est, quum *nemini* . . . *liciturum* usitatior constructio esset.

U. C. 581. A. C. 171. Legati in Graeciam, et in Illyricum.

rum, quem, si aliquem respectum amicitiae eum habere cerneret, tentare, aut etiam ad belli societatem pellicere iussus. Lentuli in Cephalleniam missi, ut in Peloponnesum traiicerent, oramque maris, in occidentem versi, ante hiemem circumirent. Marcio et Atilio Epirus, Aetolia, et Thessalia circumeundae assignantur. Inde Boeotiam atque Euboeam aspicere iussi; tum in Peloponnesum traiicere. Ibi congressuros se cum Lentulis constituunt. Priusquam digrederentur a Corcyra, literae a Perseo allatae sunt, quibus quaerebat, quae causa Romanis aut in Graeciam traiiciendi copias, aut urbes occupandi, esset? Cui rescribi non placuit; nuntio ipsius, qui literas attulerat, dici, 'Praesidii causa ipsarum urbium Romanos facere.' Lentuli, 2 circumeuntes Peloponnesi oppida, quum sine discrimine omnes civitates adhortarentur, ut, quo animo, qua fide adiuvissent Romanos, Philippi primum, deinde Antiochi bello, eodem adversus Persea iuvarent, fremitum in concionibus audiebant: Achaeis indignantibus, eodem se loco esse, qui omnia a principiis Macedonici belli praestitissent Romanis, et Macedonum Philippi bello hostes fuissent, quo Messenii atque Elii, qui pro Antiocho hoste arma adversus populum Romanum tulissent; ac, nuper in Achaicum contributi concilium, velut praemium belli se victoribus Achaeis tradi quererentur. Marcius et Atilius ad Gitanas, Epiri 3 oppidum decem millia a mari, quum escenderent, concilio Epirotarum habito, cum magno omnium assensu auditi sunt: et quadringentos iuventutis eorum in Orestas, ut praesidio essent liberatis ab se Macedonibus, miserunt. 4 Inde in Aetoliam progressi, ac paucos ibi morati dies, dum in praetoris mortui locum alius sufficeretur, et Lycisco praetore facto, quem Romanorum favere rebus satis compertum erat, transierunt in Thessaliam. Eo legati Acarnanum, et Boeotorum exsules venerunt. Acarnanes nuntiare iussi, 5 'Quae Philippi primum, Antiochi deinde bello, decepti 'pollicitationibus regiis, adversus populum Romanum com-'misissent, ea corrigendi occasionem illis oblatam. Si 'male meriti clementiam populi Romani experti essent, 'bene merendo liberalitatem experirentur.' Boeotis exprobratum, societatem eos cum Perseo iunxisse. Quum culpam in Ismeniam, principem alterius partis, conferrent, et 6 quasdam civitates dissentientes in causam deductas, 'Appa-

Achaeorum querelae.

38.

2 *Facere*] Intelligendum est *id*, sc. occupationem urbium. RASCH.

3 *Ad Gitanas*] Nomen incognitum. Pro his duabus vocibus legendum censet Iac. Gronovius *Aegilipa*, oppidum memoratum Straboni et Stephano ex Homero. Sed de mendo constare non potest, nisi constet nos omnia scire debere. CREV.

4 *Ab se*] sc. A Romanis, quorum nomine legati verba faciunt.

5 *Nuntiare iussi*] Civibus suis, quum domum redissent.

6 *Et quasdam civitates*] sc. Dice-

'riturum id esse,' Marcius respondit: 'singulis enim civita- U. C. 581.
'tibus de se ipsis consulendi potestatem facturos.' Thessa- A. C. 171.
lorum Larissae fuit concilium. Ibi et Thessalis benigna materia gratias agendi Romanis pro libertatis munere fuit; et legatis, quod, et Philippi prius et post Antiochi bello, enixe adiuti a gente Thessalorum essent. Hac mutua commemoratione meritorum accensi animi multitudinis ad omnia decernenda, quae Romani vellent.

Legati a Perseo ad Marcium.

Secundum hoc concilium legati a Perseo rege venerunt, privati maxime hospitii fiducia, quod ei paternum cum Marcio erat. Ab huius necessitudinis commemoratione orsi, petierunt legati, in colloquium veniendi regi potestatem faceret. Marcius, 'Et se ita a patre suo accepisse,' dixit, 'amicitiam hospitiumque cum Philippo fuisse: minime 'immemorem necessitudinis eius legationem eam suscepisse. 'Colloquium, si satis commode valeret, non fuisse se dila- 'turum: nunc, ubi primum posset, ad Peneum flumen, 'qua transitus ab Homolio Dium esset, praemissis, qui 'nuntiarent regi, venturos.' Et tum quidem ab Dio Per- 39.
seus in interiora regni recipit se, levi aura spei obiecta, quod Marcius ipsius causa suscepisse se legationem dixisset.

Colloquium inter regem et legatos Rom.

Post dies paucos ad constitutum locum venerunt. Magnus comitatus fuit regius, quum amicorum, tum satellitum turba stipante. Non minore agmine legati venerunt, et ab Larissa multis prosequentibus, et legationibus civitatium, quae convenerant Larissam, et renuntiare domum certa, quae audissent, volebant. Inerat cura insita mortalibus videndi congredientes nobilem regem, et populi principis terrarum omnium legatos. Postquam in conspectu steterunt, dirimente amne, paullisper internuntiando cunctatio fuit, utri transgrederentur. Aliquid illi regiae maiestati, aliquid hi populi Romani nomini, quum praesertim Perseus petisset colloquium, existimabant deberi. Ioco etiam Marcius
7 cunctantes movit. 'Minor,' inquit, 'ad maiorem, et' (quod Philippo ipsi cognomen erat) 'filius ad patrem transeat.' Facile persuasum id regi est. Aliud deinde ambigebatur, cum quam multis transiret. Rex, cum omni comitatu transire, aequum censebat: legati vel cum tribus venire iubebant, vel, si tantum agmen traduceret, obsides daret, nihil fraudis fore in colloquio. Hippiam et Pantauchum, quos et legatos miserat, principes amicorum, obsides dedit. Nec tam in pignus fidei obsides desiderati erant, quam ut appareret sociis, nequaquam ex dignitate pari congredi

rent quasdam civitates, quae dissentirent, ab Ismenia et Persei fautoribus deductas esse in illam causam, coactas esse illam partem sequi.

7 *Quod Philippo ipsi cognomen erat*] Quia Marcio cognomen erat Philippus, quod patri Persei nomen fuerat. Crev.

U. C. 581. A. C. 171. regem cum legatis. Salutatio non tanquam hostium, sed hospitalis ac benigna fuit: positisque sedibus consederunt.

40. Quum paullisper silentium fuisset: 'Exspectari, nos,' inquit Marcius, 'arbitror, ut respondeamus literis tuis, quas Cortcyram misisti; in quibus quaeris, quid ita legati cum militibus venerimus, et praesidia in singulas urbes dimittamus? Ad hanc interrogationem tuam et non respondere vereor, ne superbum sit, et vera respondere, ne nimis acerbum audienti tibi videatur. Sed quum aut verbis castigandus, aut armis sit, qui foedus rumpit; sicut bellum adversus te alii, quam mihi, mandatum malim, ita orationis acerbitatem adversus hospitem, utcunque est, subibo:[8] sicut medici, quum salutis causa tristiora remedia adhibent.[9] Ex quo regnum adeptus es, unam rem te, quae facienda fuerit, senatus fecisse censet; quod legatos Romam ad renovandum * * * iudicat potius, quam, quum renovatum esset, violandum. Abrupolim, socium atque amicum populi Romani, regno expulisti. Arthetauri interfectores, ut caede (ne quid ultra dicam) laetatum appareret, recepisti, qui omnium Illyriorum fidissimum Romano nomini regulum occiderant. Per Thessaliam et Maliensem agrum cum exercitu contra foedus Delphos isti: Byzantiis item contra foedus misisti auxilia. Cum Boeotis, sociis nostris, secretam tibi ipsi societatem, quam non licebat, iureiurando[1] pepigisti. Thebanos legatos, Euersam et Callicritum, venientes a nobis, quaerere malo, quis interfecerit, quam arguere. In Aetolia bellum intestinum et caedes principum per quos, nisi per tuos, factae videri possunt? Dolopes a te ipso evastati sunt. Eumenes rex, ab Roma quum in regnum rediret, prope ut victima Delphis in sacrato loco ante aras mactatus, quem insimulet, piget referre. Quae hospes Brundisinus occulta facinora indicet, certum habeo, et scripta tibi omnia ab Roma esse, et legatos tuos renuntiasse. Haec ne dicerentur a me, uno modo vitare potuisti, non quaerendo, quam ob causam exercitus in Macedoniam traiicerentur, aut praesidia in sociorum urbes mitteremus. Quaerenti tibi superbius tacuissemus, quam vera respondimus. Equidem pro paterno nostro hospitio faveo orationi tuae, et opto, ut aliquam mihi materiem[2] praebeas agendae tuae apud senatum causae.'

Marcii oratio.

8 *Utcunque est*] Supple, res. Quantumvis grave sit acerbitatem orationis adversus hospitem expromere. Magis placeret tamen, *quaecunque est*. CREV.

9 *Sicut medici, quum*] Potest abesse vocula *quum* sine sensu dispendio. CREV.

1 *Secretam tibi ipsi*] Peculiarem et propriam tibi ipsi, separatim a nobis.

2 *Orationi tuae*] Qua Perseus accusationi Marcii responsurus erat. DRAKENB.

Ad ea rex: 'Bonam causam, si apud iudices aequos 'ageretur, apud eosdem et accusatores et iudices agam. 4 'Eorum autem, quae obiecta sunt mihi, partim ea sunt, 'quibus nescio an gloriari debeam; partim, quae fateri non 5 'erubescam; partim, quae verbo obiecta verbo negare sit. 5 'Quid enim, si legibus vestris hodie reus sim, aut index 'Brundisinus, aut Eumenes mihi obiiciat, ut accusare potius 'vere, quam conviciari, videantur? Scilicet, nec Eumenes, 'quum tam multis gravis publice ac privatim sit, alium, 'quam me, inimicum habuit: neque ego potiorem quem- 'quam ad ministeria facinorum, quam Rammium, quem 'neque unquam ante videram, nec eram postea visurus, 'invenire potui. Et Thebanorum, quos naufragio perisse 'constat, et Arthetauri caedis mihi reddenda ratio est: in 'qua tamen nihil ultra obiicitur, quam interfectores eius in 'regno exsulasse meo. Cuius conditionis iniquitatem ita 'non sum recusaturus, si vos quoque accipitis, ut, quicun- 'que exsules in Italiam aut Romam se contulerunt, his fa- 'cinorum, propter quae damnati sunt, auctores vos fuisse 'fateamini. Si hoc et vos recusabitis, et omnes aliae gentes, 'ego quoque inter ceteros ero. Et, hercule, quid attinet 'cuiquam exsilium patere, si nusquam exsuli futurus locus 'est? Ego tamen istos, ut primum in Macedonia esse, ad- 'monitus a vobis, comperi, requisitos abire ex regno iussi, 'et in perpetuum interdixi finibus meis. Et haec quidem 'mihi, tanquam causam dicenti reo, obiecta sunt: illa, tan- 'quam regi, et quae de foedere, quod mihi est vobiscum, 'disceptationem habeant. Nam, si est in foedere ita scrip- 'tum, ut ne, si bellum quidem quis inferat, tueri me reg- 'numque meum liceat, mihi fatendum est, quod me armis 'adversus Abrupolim, socium populi Romani, defenderim, 'foedus violatum esse. Sin autem hoc et ex foedere licuit, 'et iure gentium ita comparatum est, ut arma armis propul- 'sentur, quid tandem me facere decuit, quum Abrupolis 'fines mei regni usque ad Amphipolim pervastasset, multa 'libera capita, magnam vim mancipiorum, multa millia pe- 'corum abegisset? Quiescerem et paterer, donec Pellam et 'in regiam meam armatus pervenisset? At enim bello qui- 'dem iusto sum persecutus; sed vinci non oportuit eum, 'neque ea, quae victis accidunt, pati: quorum casum quum

U. C. 581. A. C. 171.

41. Perseus se purgat.

3 *Bonam causam*] sc. Causam, quae bona esset, si apud iudices aequos ageretur.

4 *Partim ea sunt*] *Partim eorum sunt ea*, i. e. pars eorum, sive quaedam eorum, sunt ea, ut exponit A. Gell. x. 13. Drak.

5 *Verbo negare sit*] h. e. Negare liceat.

6 *Index Brundisinus*] sc. L. Rammius, qui supr. 17. memoratur. Apud Appian. Exc. Leg. p. 367. Herrenius vocatur.

U. C. 581. 'ego subierim, qui sum armis lacessitus, quid potest queri;
A. C. 171. 'sibi accidisse, qui causa belli fuit? Non sum eodem modo
'defensurus, Romani, quod Dolopas armis coercuerim:
'quia, etsi non merito eorum, iure feci meo; quum mei 8
'regni, meae ditionis essent, vestro decreto patri attributi
'meo. Nec, si causa reddenda sit, non vobis, nec foede-
'ratis, sed iis, qui ne in servos quidem saeva atque iniusta
'imperia probant, plus aequo et bono saevisse in eos videri
'possum. Quippe Euphranorem, praefectum a me impo-
'situm, ita occiderunt, ut mors poenarum eius levissima
42. 'fuerit. At, quum processissem inde ad visendas Larissam,
'et Antrona, et Pteleum, quo in propinquo multo ante de- 9
'bita vota persolverem, Delphos sacrificandi causa escendi.
'Et his, criminis augendi causa, cum exercitu me isse adii-
'citur. Scilicet, ut, quod nunc vos facere queror, urbes
'occuparem, arcibus imponerem praesidia. Vocate in con-
'cilium Graeciae civitates, per quas iter feci; queratur
'unusquilibet militis mei iniuriam; non recusabo, quin,
'simulato sacrificio, aliud petisse videar. Aetolis et By-
'zantiis praesidia misimus, et cum Boeotis amicitiam feci-
'mus. Haec, qualiacunque sunt, per legatos meos non
'solum indicata, sed etiam excusata sunt saepe in senatu
'vestro: ubi aliquos ego disceptatores, non tam aequos,
'quam te, Q. Marci, paternum amicum et hospitem, habe-
'bam. Sed nondum Romam accusator Eumenes venerat;
'qui calumniando omnia detorquendoque suspecta et invisa
'efficeret, et persuadere vobis conaretur, non posse Grae-
'ciam in libertate esse, et vestro munere frui, quoad regnum
'Macedoniae incolume esset. Circumagetur hic orbis: 1
'erit mox, qui arguat, nequicquam Antiochum ultra iuga
'Tauri emotum: graviorem multo Asiae, quam Antiochus
'fuerit, Eumenem esse: nec conquiescere socios vestros
'posse, quoad regia Pergami sit: eam arcem supra capita
'finitimarum civitatium impositam. Ego haec, Q. Marci 2
'et A. Atili, quae aut a vobis obiecta, aut purgata a me
'sunt, talia esse scio, ut aures, ut animi audientium sint: 3
'nec tam referre, quid ego, aut qua mente fecerim, quam
'quomodo id vos factum accipiatis. Conscius mihi sum,

7 *Quid potest queri*] Cur potest queri ea sibi accidisse, quae victis accidunt.

8 *Etsi non merito eorum*] Etiamsi concederem illos non meruisse ea quae passi sunt. Crev.

9 *Pteleum*] Ita correxit Turnebus ex Homeri catalogo Il. ii. 697. pro vulg. *Pylleon*.

1 *Circumagetur hic orbis*] Translata est haec locutio ab orbe rotarum, quae, dum circumaguntur, modo hanc, modo illam partem ostendunt. cf. supr. iii. 10. Doer.

2 *Ego haec*] cf. Demosth. de Fals. Legat. p. 450. 14.

3 *Ut aures*] Prouti aut aequis, aut iniquis auribus audiuntur.

'nihil me scientem deliquisse: et, si quid fecerim impru- U. C. 581.
'dentia lapsus, corrigi me et emendari castigatione hac A. C. 171.
'posse. Nihil certe insanabile, nec quod bello et armis
'persequendum esse censeatis, commisi: aut frustra cle-
'mentiae gravitatisque vestrae fama vulgata per gentes
'est, si talibus de causis, quae vix querela et expostulatione
'dignae sunt, arma capitis, et regibus sociis bella infertis.'

Haec dicenti cum assensu Marcius auctor fuit mittendi 43.
Romam legatos, quum experienda omnia ad ultimum, nec praetermittendam spem ullam censuisset. Reliqua consultatio erat, quonam modo tutum iter legatis esset. Ad id Indutiae.
quum necessaria petitio indutiarum videretur, cuperetque
4 Marcius, neque aliud colloquio petisset, gravate et in magnam gratiam petentis concessit. Nihil enim satis paratum ad bellum in praesentia habebant Romani, non exercitum, non ducem: quum Perseus, ni spes vana pacis occaecasset consilia, omnia praeparata atque instructa haberet, et suo maxime tempore atque alieno hostibus incipere bellum posset.

Ab hoc colloquio, fide indutiarum interposita, legati Ro- Boeotiae motus.
mani in Boeotiam comparati sunt. Ibi iam motus coeperat esse, discedentibus a societate communis concilii Boeotorum quibusdam populis, ex quo renuntiatum erat, respondisse legatos, appariturum, quibus populis proprie societatem cum rege iungi displicuisset. Primi a Chaeronea legati, deinde a Thebis, in ipso itinere occurrerunt, affirmantes non interfuisse se, quo societas ea decreta esset, concilio: quos legati, nullo in praesentia responso dato, Chalcidem se sequi iusserunt. Thebis magna contentio orta erat ex alio certamine. Comitiis praetoriis Boeoto-
5 rum victa pars, iniuriam persequens, coacta multitudine decretum fecit Thebis, ne Boeotarchae urbibus reciperentur. Exsules Thespias universi concesserunt: inde (recepti enim sine cunctatione erant) Thebas, iam mutatis animis, revocati decretum faciunt, ut duodecim, qui privati coetum et concilium habuissent, exsilio multarentur. Novus deinde praetor (Ismenias is erat, vir nobilis ac potens) capitalis poenae absentes eos decreto damnat. Chalcidem
6 fugerant: inde ad Romanos Larissam profecti, causam
7 cum Perseo societatis in Ismeniam contulerant: 'ex con-

4 *In magnam gratiam petentis*] Ita ut rex, qui petebat indutias, magnam gratiam pro iis concessis debere videretur. Crev.

5 *Victa pars*] Ii scilicet, quibus refragantibus praetores creati sunt. Doer.

6 *Causam cum Perseo societatis*] Verbum aliquod excidisse, ac legendum esse *causam initae cum Perseo societatis* existimat Crevierius.

7 *Ex contentione ortum certamen*] Tanquam dicta ab exsulibus Boeotis. Ii nempe significant ex contentione, quae fuerat inter ipsos et Ismeniam de societate cum Perseo, ortum certamen, quod eo eruperat, ut ipsis in exsilium abire necesse foret. Crev.

U. C. 581. A. C. 171.

'tentione ortum certamen.' Utriusque tamen partis legati ad Romanos venerunt, et exsules accusatoresque Ismeniae, et Ismenias ipse. Chalcidem ut ventum est, aliarum civitatium principes, id quod maxime gratum erat Romanis, suo quique proprio decreto regiam societatem aspernati, Romanis se adiungebant: Ismenias gentem Boeotorum in fidem Romanorum permitti aequum censebat. Inde certamine orto, nisi in tribunal legatorum perfugisset, haud multum abfuit, quin ab exsulibus fautoribusque eorum interficeretur. Thebae quoque ipsae, quod Boeotiae caput est, in magno tumultu erant, aliis ad regem trahentibus civitatem, aliis ad Romanos. Et turba Coronaeorum Haliartiorumque convenerat ad defendendum decretum regiae societatis. Sed constantia principum, docentium cladibus Philippi Antiochique, quanta esset vis et fortuna imperii Romani, victa eadem multitudo et, ut tolleretur regia societas, decrevit, et eos, qui auctores paciscendae amicitiae fuerant, ad satisfaciendum legatis Chalcidem misit, fideique legatorum commendari civitatem iussit. Thebanos Marcius et Atilius laeti audierunt, auctoresque et his, et sepa- 8
ratim singulis fuerunt ad renovandam amicitiam mittendi Romam legatos. Ante omnia exsules restitui iusserunt, et auctores regiae societatis decreto suo damnarunt. Ita, quod 9
maxime volebant, discusso Boeotico concilio, Peloponnesum proficiscuntur, Ser. Cornelio Chalcidem arcessito. Argis praebitum est iis concilium: ubi nihil aliud a gente Achaeorum petierunt, quam ut mille milites darent. Id praesidium ad Chalcidem tuendam, dum Romanus exercitus in Graeciam traiiceretur, missum est. Marcius et Atilius, peractis, quae agenda in Graecia erant, principio hiemis Romam redierunt.

44.

Boeoticum concilium discussum.

45. Inde legatio sub idem tempus in Asiam et circum insulas missa. Tres erant legati, Ti. Claudius, Sp. Postumius, M. Iunius. Ii circumeuntes hortabantur socios ad suscipiendum adversus Persea pro Romanis bellum: et, quo quacque opulentior civitas erat, eo accuratius agebant, quia minores securitate maiorum auctoritatem erant. Rhodii maximi ad omnia momenti habebantur, quia non fovere tantum, sed adiuvare etiam viribus suis bellum poterant, quadraginta navibus auctore Hegesilocho praeparatis. Qui, 1

Legati Rom. in Asiae insulas.

8 *Auctoresque et his, et separatim singulis*] Ita recte Gronovius. *auctoresque et his*, nempe Thebanis, *et separatim singulis* Boeotiae civitatibus. Id et postulat sensus, et firmat Polybii auctoritas, xxvii. 2.

9 *Auctores regiae societatis decreto suo damnarunt*] Ismenias cum Niceta quodam in carcerem coniectus, non multo post mortem sibi conscivit. Testis est Polybius ibidem. Cr.

1 *Hegesilocho*] Olim *Hegesilo* legebatur, sed *Hegesilocho* ex Polyb. xxvii. 2. xxviii. 14. Ursinus recte restituit.

quum in summo magistratu esset, (Prytanin ipsi vocant) multis orationibus pervicerat Rhodios, ut, omissa, quam saepe vanam experti essent, regum fovendorum spe, Romanam societatem (unam tum in terris vel viribus, vel fide stabilem) retinerent. 'Bellum imminere cum Perseo: desideraturos 'Romanos eundem navalem apparatum, quem nuper An-'tiochi, quem Philippi ante bello vidissent. Trepidaturos 'tum repente paranda classe, quum mittenda esset; nisi 'reficere naves, nisi instruere navalibus sociis coepissent. 'Id eo magis enixe faciundum esse, ut crimina delata ab 'Eumene fide rerum refellerent.' His incitati, quadraginta navium classem instructam ornatamque legatis Romanis advenientibus, ut non exspectatam adhortationem esse appareret, ostenderunt. Et haec legatio magnum ad conciliandos animos civitatium Asiae momentum fuit. Decimius unus sine ullo effectu, captarum etiam pecuniarum ab regibus Illyriorum suspicione infamis, Romam rediit. U. C. 581. A. C. 171.

46. Perseus legatos Byzantium et Rhodum mittit.

Perseus, quum ab colloquio Romanorum in Macedoniam recepisset sese, legatos Romam de inchoatis cum Marcio
2 conditionibus pacis misit: et Byzantium et Rhodum literas legatis ferendas dedit. In literis eadem sententia ad omnes erat: 'collocutum se cum Romanorum legatis.' Quae audisset, quaeque dixisset, ita disposita, ut superior fuisse in disceptatione videri posset. Apud Rhodios legati addiderunt, 'Confidere pacem futuram: auctoribus enim Mar-'cio atque Atilio missos Romam legatos. Si pergerent 'Romani contra foedus movere bellum, tum omni gratia, 'omni ope enitendum fore Rhodiis, ut reconcilient pacem. 'Si nihil deprecando proficiant, id agendum, ne omnium 'rerum ius ac potestas ad unum populum perveniat. Quum
3 'ceterorum id interesse, tum praecipue Rhodiorum, qui 'plus inter alias civitates dignitate atque opibus excellant: 'quae serva atque obnoxia fore, si nullus alio sit, quam ad 'Romanos, respectus.' Magis et literae et verba legatorum benigne sunt audita, quam momentum ad mutandos animos habuerunt: potentior esse partis melioris auctoritas coeperat. Responsum ex decreto est: 'Optare pacem Rhodios: si 'bellum esset, ne quid ab Rhodiis speraret aut peteret rex, 'quod veterem amicitiam, multis magnisque meritis pace
4 'belloque partam, disiungeret sibi ab Romanis.' Ab Rhodo redeuntes, Boeotiae quoque civitates, et Thebas, et Coro-

2 *Et Byzantium et Rhodum*] Hic aliquid excidisse putat Crevierius, quia ex Polyb. xxvii. 4. patet literas ad plures populos missas esse, et vox *omnes* latius aliquid sonat, quam ut de duabus tantum civitatibus dici potuerit.

3 *Qui plus*] *Quo plus* legendum mavult Crevier.

4 *Ab Rhodo redeuntes*] In hac re discedit Livius a Polybio, qui alios legatos Romam, alios in Boeotiam missos esse tradit, xxvii. 4 et 5.

U. C. 581. A. C. 171. neam, et Haliartum, adierunt: quibus expressum invitis existimabatur, ut, relicta regia societate, Romanis adiungerentur. Thebani nihil moti sunt: quanquam nonnihil, et damnatis principibus, et restitutis exsulibus, succensebant Romanis. Coronaei et Haliartii, favore quodam insito in reges, legatos in Macedoniam miserunt, praesidium petentes, quo se adversus impotentem superbiam Thebanorum tueri possint. Cui legationi responsum ab rege est: 'Praesidium se propter indutias cum Romanis factas mittere non posse: tamen suadere, ita ab Thebanorum iniuriis, qua possent, ut se vindicarent, ne Romanis praeberent causam in se saeviendi.'

47. Marcius et Atilius Romam quum venissent, legationem in Capitolio ita renuntiarunt, ut nulla re magis gloriarentur, quam decepto per indutias et spem pacis rege. 'Adeo enim apparatibus belli fuisse instructum, ipsis nulla parata re, ut omnia opportuna loca praeoccupari ante ab eo potuerint, quam exercitus in Graeciam traiiceretur. Spatio autem indutiarum sumpto, venturum illum nihilo paratiorem; Romanos omnibus instructiores rebus coepturos bellum. Boeotorum quoque se concilium arte distraxisse, ne coniungi amplius ullo consensu Macedonibus possent.' Haec, ut summa ratione acta, magna pars senatus approbabat: veteres et moris antiqui memores negabant, 'se in ea legatione Romanas agnoscere artes. Non per insidias et nocturna proelia, nec simulatam fugam improvisosque ad incautum hostem reditus, nec ut astu magis, quam vera virtute, gloriarentur, bella maiores gessisse. Indicere 5 prius, quam gerere, solitos bella; denuntiare etiam interdum pugnam, et locum finire, in quo dimicaturi essent. Eadem fide indicatum Pyrrho regi medicum, vitae eius insidiantem: eadem Faliscis vinctum traditum proditorem 6 liberorum. Legis haec Romanae esse, non versutiarum Punicarum, neque calliditatis Graecae: apud quos fallere hostem, quam vi superare, gloriosius fuerit. Interdum in praesens tempus plus profici dolo, quam virtute: sed eius demum animum in perpetuum vinci, cui confessio expressa sit, se neque arte, neque casu, sed collatis cominus viribus, iusto ac pio bello esse superatum.' Haec seniores, quibus nova haec minus placebat sapientia. Vicit tamen ea pars senatus, cui potior utilis, quam honesti, cura erat, ut com-

Marcius legationem renuntiat.

Senibus improbatus.

In Graeciam remittitur.

5 *Indicere ... solitos bella; denuntiare etiam*] Bellum indicebatur senatus decreto ac populi iussu: tum denuntiabatur vel ipsi utique regi aut populo, cui indictum fuerat, vel saltem ad proximum in finibus praesidium. cf. supr. xxi. 8. Crev.

6 *Proditorem liberorum. Legis haec Romanae esse*] Elegantior haec emendatio est pro vulgata lectione, *proditorem liberorum regis. Haec Romana esse*, quae quum narrationi ipsius Livii supr. v. 27. discreparet, interpretes multum torsit.

7 probaretur prior legatio Marcii, et eodem rursus in Graeciam cum quinqueremibus remitteretur, iubereturque cetera, uti e republica maxime visum esset, agere. A. quoque Atilium miserunt ad occupandam Larissam in Thessalia, timentes, ne, si indutiarum dies exisset, Perseus, praesidio eo misso, caput Thessaliae in potestate haberet. Duo millia peditum Atilius ab Cn. Sicinio accipere ad eam rem agendam iussus: et P. Lentulo, qui ex Achaia redierat, 8 trecenti milites Italici generis dati, ut Thebis daret operam, ut in potestate Boeotia esset. U. C. 581. A. C. 171.

His praeparatis, quanquam ad bellum consilia erant destinata, senatum tamen praeberi legatis placuit. Eadem fere, quae in colloquio ab rege dicta erant, relata ab legatis. Insidiarum Eumeni factarum crimen, et maxima cura, et minime tamen probabiliter, (manifesta enim res erat) defensum. Cetera deprecatio erat: sed non iis animis audiebantur, qui aut doceri, aut flecti possent. Denuntiatum, extemplo moenibus urbis Romae, Italia intra trigesimum diem excederent. P. Licinio deinde consuli, cui Macedonia provincia obvenerat, denuntiatum, ut exercitui diem primam quamque diceret ad conveniendum. C. Lucretius 9 praetor, cui classis provincia erat, cum quadraginta quinqueremibus ab urbe profectus: nam ex refectis navibus alias in alium usum retineri ad urbem placuit. Praemissus a praetore est frater M. Lucretius cum quinquereme una: iussusque, ab sociis ex foedere acceptis navibus, ad Cephal- 1 leniam classi occurrere. Ab Rheginis triremi una, ab Locris duabus, ab Uritibus quattuor, praeter oram Italiae supervectus Calabriae extremum promontorium in Ionio mari, Dyrrhachium traiicit. Ibi decem ipsorum Dyrrhachinorum, duodecim Issaeorum, quinquaginta quattuor Gentii regis lembos nactus, simulans se credere, eos in usum Romanorum comparatos esse, omnibus abductis, die tertio Corcyram, inde protinus in Cephalleniam traiicit. C. Lucretius praetor ab Neapoli profectus, superato freto, die quinto in Cephalleniam transmisit. Ibi stetit classis, simul opperiens, ut terrestres copiae traiicerentur, simul, ut onerariae, ex agmine suo per altum dissipatae, consequerentur.

48. Legati Persei auditi. Excedere Italia iussi. Lucretius Pr. in Graeciam navigat.

Per hos forte dies P. Licinius consul, votis in Capitolio nuncupatis, paludatus ab urbe profectus est. Semper quidem ea res cum magna dignitate ac maiestate geritur: 49. Licinius Cos. profi-

7 *In Graeciam*] Has voces a mala manu additas esse, et numerum quinqueremium excidisse existimat Crevierius.

8 *Ut Thebis*] Thebis manens, Thebas tenens. Crev.

9 *Cui classis provincia erat*] cf. Supr. xxx. 43. Etenim *provincia* omnino pro quovis mandato belli munere dicitur.

1 *Ab Rheginis triremi*] sc. Rheginorum triremi. Ita *ab sociis naves* sunt naves sociorum, infr. 56.

U. C. 581. A. C. 171. ciscitur in Macedoniam.

praecipue tamen convertit oculos animosque, quum ad magnum nobilemque, aut virtute aut fortuna, hostem, euntem consulem prosequuntur. Contrahit enim non officii[2] modo cura, sed etiam studium spectaculi, ut videant ducem suum, cuius imperio consilioque summam rempublicam[3] tuendam permiserunt. Subit deinde cogitatio animum, qui belli casus, quam incertus fortunae eventus, communisque Mars belli sit: adversa, secunda, quaeque inscitia et temeritate ducum clades saepe acciderint; quae contra bona prudentia et virtus attulerit. Quem scire mortalium, utrius mentis, utrius fortunae consulem ad bellum mittant? triumphantemne mox cum exercitu victore scandentem in Capitolium ad eosdem deos, a quibus proficiscatur, visuri, an hostibus eam praebituri laetitiam sint? Persi autem regi, adversus quem ibatur, famam et bello clara Macedonum gens, et Philippus pater, inter multa prospere gesta Romano etiam nobilitatus bello, praebebat; tum ipsius Persei nunquam, ex quo regnum accepisset, desitum belli exspectatione celebrari nomen. Cum his cogitationibus omnium ordinum homines proficiscentem consulem prosecuti sunt. Duo consulares tribuni militum cum eo missi, C. Claudius, Q. Mucius; et tres illustres iuvenes, P. Lentulus, et duo Manlii Acidini: alter M. Manlii, alter L.[4] Manlii filius erat. Cum iis consul Brundisium ad exercitum, atque inde, cum omnibus copiis transvectus, ad Nymphaeum in Apolloniatium agro posuit castra.

50. Perseus consilium habet.

Paucos ante dies Perseus, postquam legati, ab Roma regressi, praeciderant spem pacis, consilium habuit. Ibi aliquamdiu diversis sententiis certatum est. Erant, quibus vel stipendium pendendum, si iniungeretur, vel agri parte cedendum, si multarent; quicquid denique aliud pacis causa patiendum esset, non recusandum videretur, nec committendum, ut in aleam tanti casus se regnumque daret. 'Si possessio haud ambigua regni maneret, multa diem 'tempusque afferre posse, quibus non amissa modo recupe-'rare, sed timendus ultro iis esse, quos nunc timeret, posset.' Ceterum multo maior pars ferocioris sententiae erat: 'Quicquid cessisset, cum eo simul regno protinus cedendum 'esse,' affirmabant. 'Neque enim Romanos pecunia aut

2 *Officii*] Privati: ut cuique cum eo qui proficiscitur privatim aut amicitia, aut cognatio, aut alia aliqua necessitudo est. Crev.

3 *Summam rempublicam*] Et hic, quemadmodum supr. 33. inversae erant literae *P. R.* pro *R. P.* Crev.

4 *M. Manlii*] Atqui supr. vi. 20. memoravit Livius gentis Manliae decreto cautum esse, ne quis deinde *M. Manlius* vocaretur. Itaque hic vitium est in praenomine. Crev. Pro *M.* scribendum *Cn.* Drakenborchius censet, quia notae illorum praenominum saepissime commutantur, ut supr. vii. 12. ubi compendium *M.* perperam pro *Cn.* in pluribus cod. scriptum exstat.

'agro egere: sed hoc scire, quum omnia humana, tum U. C. 581.
'maxima quaeque et regna et imperia sub casibus multis A. C. 171.
5 'esse. Carthaginiensium opes fregisse sese, et cervicibus
'eorum praepotentem finitimum regem imposuisse: Antio-
'chum progeniemque eius ultra iuga Tauri emotum.
'Unum esse Macedoniae regnum, et regione propinquum,
'et quod, sicubi populo Romano sua fortuna labet, antiquos
6 'animos regibus suis videatur posse facere. Dum integrae
'res [sint, statuere] apud animum suum Persea debere,
'utrum, singula concedendo, nudatus ad extremum opibus
'extorrisque regno, Samothraciam aliamve quam insulam
'petere ab Romanis, ubi privatus superstes regno suo in
'contemptu atque inopia consenescat, malit: an, armatus
'vindex fortunae dignitatisque suae, aut, ut viro forti dig-
'num sit, patiatur, quodcunque casus belli tulerit; aut vi-
'ctor liberet orbem terrarum ab imperio Romano. Non
'esse admirabilius Romanos Graecia pelli, quam Hanniba-
'lem Italia pulsum esse: neque, hercule, videre, qui con-
'veniat, fratri, affectanti per iniuriam regnum, summa vi
7 'restitisse; alienigenis bene parto eo cedere. Postremo ita
'bello et pace quaeri, ut inter omnes conveniat, nec turpius
'quicquam esse, quam sine certamine cessisse regno: nec
'praeclarius quicquam, quam pro dignitate ac maiestate
'omnem fortunam expertum esse.'

Pellae, in vetere regia Macedonum, hoc consilium erat. 51.
'Geramus ergo,' inquit, 'diis bene iuvantibus, quando ita
'videtur, bellum:' literisque circa praefectos dimissis, Ci-
tium (Macedoniae oppidum est) copias omnes contrahit.
Ipse centum hostiis sacrificio regaliter Minervae, quam vo-
8 cant Alcidemon, facto, cum purpuratorum et satellitum
9 manu profectus Citium est. Eo iam omnes Macedonum Copiae Persei.
externorumque auxiliorum convenerant copiae. Castra
1 ante urbem ponit, omnesque armatos in campo struxit.
Summa omnium quadraginta tria millia armata fuere:
quorum pars ferme dimidia phalangitae erant. Hippias
Beroeaeus praeerat. Delecta deinde et viribus et robore
aetatis, ex omni caetratorum numero, duo millia erant:

5 *Fregisse sese*] Vocem *sese* redundare censet Crevier. sed Drakenborchius illam a praecedentibus hoc modo pendere, sc. Romanos scire, sese opes Carthaginiensium fregisse monet.

6 *Dum integrae res* [*sint, statuere*] *Dum integrae* . . . . . lacuna non expleta, scribit Bekkerus. Drakenborchius *dum integrae res sunt, statuere* probat, neque subiunctivum *sint* hoc loco requiri putat.

7 *Ita bello et pace quaeri*] Locum corruptum esse Crevierius existimat. Drakenborchius coniicit, *ita bello pacem praeferri*.

8 *Alcidemon*] Ita Turnebus emendavit pro vulg. *Aloidem*. Vox Graeca est, quae *robur populi* vel tale quid significat.

9 *Purpuratorum*] cf. Supr. xxx. 42.

1 *In campo struxit*] Gronovius *instruxit* mavult, sed *struere aciem* pro *instruere*, supr. viii. 8. ix. 31. adhibetur.

U. C. 581. A. C. 171. agema hanc ipsi legionem vocabant. Praefectos habebant Leonnatum et Thrasippum Eulyestas. Ceterorum caetratorum, trium ferme millium hominum, dux erat Antiphilus Edessaeus. Paeones, et ex Parorea et Parstrymonia (sunt: autem ea loca subiecta Thraciae) et Agrianes, admixtis etiam Thracibus incolis, trium millium ferme et ipsi exple- 3 verunt numerum. Armaverat contraxeratque eos Didas Paeon, qui adolescentem Demetrium occiderat. Et armatorum duo millia Gallorum erant, praefecto Asclepiodoto. Ab Heraclea ex Sintis tria millia Thracum liberorum suum ducem habebant. Cretensium par paene numerus suos duces sequebatur: Susum Phalasarneum et Syllum Gnossium. Et Leonides Lacedaemonius quingentis ex Graecia, mixto generi hominum, praeerat. Regii is generis ferebatur; exsul, damnatus frequenti concilio Achaeorum, literis ad Persea deprensis. Aetolorum et Boeotorum, qui non explebant plus quam quingentorum omnes numerum, Lyco Achaeus praefectus erat. Ex his mixtis tot populorum, tot gentium auxiliis, duodecim millia armatorum ferme efficiebantur. Equitum ex tota Macedonia contraxerat tria millia. Venerat eodem Cotys, Seuthae filius, rex gentis Odrysarum, cum mille delectis equitibus, pari ferme peditum numero. Ita summa totius exercitus triginta novem millia peditum erant, quattuor equitum. Satis constabat, secundum eum exercitum, quem Magnus Alexander in 4 Asiam traiecit, nunquam ullius Macedonum regis copias
52. tantas fuisse. Sextus et vicesimus annus agebatur, ex quo petenti Philippo data pax erat. Per id omne tempus quieta Macedonia et progeniem ediderat, cuius magna pars matura militiae esset, et levibus bellis Thracum accolarum, quae exercerent magis, quam fatigarent, sub assidua tamen militia fuerat: et diu meditatum Philippo primo, deinde et Persi, Romanum bellum, omnia ut instructa parataque essent, effecerat. Mota parumper acies, (non iusto decursu tamen) ne stetisse tantum in armis viderentur: armatosque, 5

2 *Ex Parorea*] Regione montibus propinqua. cf. supr. xxxix. 27.

3 *Thracibus incolis*] Thracibus, qui in Agrianum regionem transierant, ibique habitabant. Crev.

4 *Secundum eum exercitum, quem Magnus Alexander*] Ita loquitur Livius, quasi Alexandri exercitus Persei copias vel superasset numero, vel certe aequasset. Constat tamen ex scriptorum omnium consensu, ipsum illum exercitum orbis domitorem minus militum habuisse, quam quot secum Perseus ducebat. Plutarcho auctore in Alexandro, copiarum eius numerum qui maximum edidere, tradunt fuisse quattuor et triginta millia peditum, equitum quattuor. Iustin. xi. 6. triginta duo ei peditum millia tribuit, quattuor millia et quingentos equites: quam sententiam videtur ipse secutus esse Livius supr. ix. 19. cf. Freinshem. Suppl. ad Q. Curtium ii. 3. Crev.

5 *Ne stetisse tantum*] *Tantum ne stetisse* Muretus legendum vult, sc. id tantum edidere motus, quod necesse erat, ut non stetisse in armis omnino quieti viderentur.

sicut erant, ad concionem vocavit. Ipse constitit in tribu- U. C. 581.
5 nali, circa se habens filios duos: quorum maior Philippus, A. C. 171.
natura frater, adoptione filius; minor, quem Alexandrum vocabant, naturalis erat. Cohortatus est milites ad bellum:
7 iniuriam populi Romani in patrem seque commemoravit:
'Illum, omnibus indignitatibus compulsum ad rebellandum, Oratio Persei ad milites.
'inter apparatum belli fato oppressum: ad se simul legatos,
'simul milites ad occupandas Graeciae urbes missos. Fal-
'laci deinde colloquio per speciem reconciliandae pacis ex-
'tractam hiemem, ut tempus ad comparandum haberent.
'Consulem nunc venire cum duabus legionibus Romanis,
8 'quae * * trecenos equites habeant, et pari ferme numero
'sociorum peditum equitumque. Eo ut accedant regum
9 'auxilia Eumenis et Masinissae, non plus septem millia pe-
'ditum, duo equitum futura. Auditis hostium copiis, respi-
'cerent suum ipsi exercitum: quantum numero, quantum
'genere militum praestarent tironibus, raptim ad id bellum
'conscriptis, ipsi, a pueris eruditi artibus militiae, tot subacti
'atque durati bellis. Auxilia Romanis Lydos, et Phrygas,
'et Numidas esse: sibi Thracas, Gallosque, ferocissimas
'gentium. Arma illos habere ea, quae sibi quisque para-
'verit pauper miles: Macedonas prompta ex regio apparatu,
'per tot annos patris sui cura et impensa facta. Commea-
'tum illis quum procul, tum omnibus sub casibus maritimis
'fore: se et pecuniam et frumentum, praeter reditus metal-
'lorum, in decem annos seposuisse. Omnia, quae deorum
1 'indulgentia, quae regia cura praeparanda fuerant, plena
'cumulataque habere Macedonas: animum habendum esse,
'quem habuerint maiores eorum; qui, Europa omni domita,
'transgressi in Asiam, incognitum famae aperuerint armis
2 'orbem terrarum: nec ante vincere desierint, quam Rubro
'mari inclusis, quod vincerent, defuerit. At, hercule,
'nunc non de ultimis Indiae oris, sed de ipsius Macedoniae
'possessione certamen fortunam indixisse. Cum patre suo
'gerentes bellum Romanos speciosum Graeciae liberandae
'tulisse titulum: nunc propalam Macedoniam in servitutem

6 *Maior Philippus*] cf. Polyb. Excerpt. Vatican. xxxvii. 6.

7 *Iniuriam populi Romani*] Magis placeret Crevierio *iniurias*, laudato simili loco supr. ii. 38.

8 *Quae * * trecenos equites*] In hanc lacunam Gronovius voces *singulae sena millia peditum et* inserendas censet.

9 *Non plus septem millia*] Aut numerum corruptum esse cum Dukero consentiamus, aut cum Drakenborchio particulam *ut* delendam esse.

1 *Praeparanda fuerant*] *Fuerint*, Dukero auctore, reposuit Bekker. sed nihil ea mutatione opus est. cf. supr. xxxvi. 39.

2 *Rubro mari*] Id est, Indico. Veteres Rubri maris nomine non intelligebant solummodo Arabicum sinum, cui nunc soli haec appellatio remansit, sed et Persicum sinum, teste Plinio H. N. vi. 24. atque etiam Indicum mare: ut patet ex hoc loco, et ex Curtio viii. 9. in descriptione Indiae. CREV. cf. supr. xxxvi. 17.

U. C. 581. A. C. 571. 'petere, ne rex vicinus imperio sit Romano, ne gens bello 'nobilis arma habeat. Haec enim tradenda superbis domi-'nis esse cum rege regnoque, si absistere bello, et facere 'imperata velint.'

53. Quum per omnem orationem satis frequenti assensu succlamatum esset; tum vero ea vociferatio, simul indignantium minitantiumque, partim iubentium bonum animum habere regem, exorta est, ut finem dicendi faceret. Tantum iussis ad iter parare, (iam enim dici movere castra ab Nymphaeo Romanos) concione dimissa, ad audiendas legationes civitatium Macedoniae se contulit. Venerant autem ad pecunias, pro facultatibus quaeque suis, et frumentum pollicendum ad bellum. Omnibus gratiae actae, remissum omnibus; satis regios apparatus ad ea dictum sufficere: vehicula tantum imperata, ut tormenta, telorumque missilium ingentem vim praeparatam, bellicumque aliud instrumentum veherent.

Macedoniae civitates pecuniam offerunt.

Profectus inde toto exercitu, Eordaeam petens, ad Begorritem, quem vocant, lacum positis castris, postero die in Elimeam ad Haliacmona fluvium processit. Deinde saltu angusto superatis montibus, quos Cambunios vocant, descendit ad (Tripolim vocant) Azorum, Pythium, et Dolichen incolentes. Haec tria oppida paullisper cunctata, quia obsides Larissaeis dederant, victa tamen praesenti metu, in deditionem concesserunt. Benigne his appellatis, haud dubius Perrhaebos quoque idem facturos, urbem, nihil cunctatis, qui incolebant, primo adventu recipit. Cyretias oppugnare coactus, primo etiam die acri concursu ad portas armatorum est repulsus: postero die omnibus copiis adortus, in deditionem omnes ante noctem accepit. Mylae, proximum oppidum, ita munitum, ut inexsuperabilis munimenti spes incolas ferociores faceret, non portas claudere regi satis habuerunt, sed probris quoque in ipsum Macedonasque

It in Thessaliam.

3 *Ad iter parare*] Sub. *sese*, sed Sigonius *parari* praefert.

4 *Ad (Tripolim vocant) Azorum... incolentes*] Ad incolentes Azorum, Pythium, et Dolichen, quam quidem regionem Tripolim vocant. *Tripolis* vox Graeca est, indicans regiunculam tribus oppidis habitatam. Crev.

5 *Pythium*] Vulgo *Pythoum*. Mutavit Sigonius ex Plutarcho in Paullo, et Stephano. Crev.

6 *Urbem, nihil cunctatis*] Recte monet Crevierius, excidisse hic nomen urbis, quam primo adventu Perseus recepit. Drak.

7 *Cyretias oppugnare coactus*] Sic habuit vetus exemplar. Sigonius iussit legi *conatus*, quae infelix emendatio plerosque editos occupavit. Perspicuum tamen est primo nihil minus convenire huic loco, quam verbum *conatus*. Non enim Cyretias Perseus oppugnare conatus est, sed et oppugnavit revera, et cepit. Deinde non minus clarum est, verbum *coactus* hic apprime quadrare. Urbem in Perrhaebis Perseus primo adventu receperat. At non eadem facilitate Cyretiis potitus est. Eas oppugnare est coactus, atque etiam primo die repulsus est. Crev.

8 *Probris quoque . . . . iaculati*] *Probra* legendum vult Gronovius, quum *probris in aliquem iaculari* inusitatior constructio sit. Drakenborchius aut praepositionem *in* de-

procacibus iaculati sunt. Quae res, quum infestiorem hostem ad oppugnandum fecisset, ipsos desperatione veniae ad tuendos sese acrius accendit. Itaque per triduum ingentibus utrimque animis et oppugnatae sunt, et defensae. Multitudo Macedonum ad subeundum in vicem proelium haud difficulter succedebat: oppidanos, diem, noctem eosdem tuentes moenia, non vulnera modo, sed etiam vigiliae et continens labor conficiebat. Quarto die, quum scalae undiquè ad muros erigerentur, et porta vi maiore oppugnaretur, oppidani depulsi muris ad portam tuendam concurrunt, eruptionemque repentinam in hostes faciunt. Quae quum irae magis inconsultae, quam verae fiduciae virium esset, pauci et fessi ab integris pulsi terga dederunt; fugientesque per patentem portam hostes acceperunt. Ita capta urbs ac direpta est: libera quoque corpora, quae caedibus superfuerunt, venundata. Diruto magna ex parte et incenso oppido profectus, ad Phalannam castra movit: inde postero die Gyrtonem pervenit. Quo quum T. Minucium Rufum et Hippiam, Thessalorum praetorem, cum praesidio intrasse accepisset, ne tentata quidem oppugnatione, praetergressus, Elatiam et Gonnum, perculsis inopinato adventu
9 oppidanis, recepit. Utraque oppida in faucibus sunt, qua Tempe adeunt; magis Gonnus. Itaque et firmiore id praesidio tutum equitum peditumque, ad hoc fossa triplici ac vallo munitum, reliquit. Ipse, ad Sycurium progressus, opperiri ibi hostium adventum statuit: simul et frumentari passim exercitum iubet in subiecto hostium agro. Namque Sycurium est sub radicibus Ossae montis. Qua in meridiem vergit, subiectos habet Thessaliae campos: ab tergo Macedoniam atque Magnesiam. Ad has opportunitates accedit summa salubritas et copia, pluribus circumiectis fontibus, perennium aquarum.

U. C. 581. A. C. 171.

55. Cos. ad regem vadit.

Consul Romanus, per eosdem dies Thessaliam cum exercitu petens, iter expeditum primo per Epirum habuit: deinde, postquam in Athamaniam est transgressus, asperi ac prope invii soli, cum ingenti difficultate parvis itineribus aegre Gomphos pervenit: cui si, vexatis hominibus equisque, tironem exercitum ducenti acie instructa et loco suo et tempore obstitisset rex, ne Romani quidem abnuunt, magna sua cum clade fuisse pugnaturos. Postquam Gomphos sine certamine ventum est, praeter gaudium periculosi saltus superati, contemptus quoque hostium, adeo ignorantium opportunitates suas, accessit. Sacrificio rite perfecto, consul, et frumento dato militibus, paucos ad requiem

lendam, aut in eius locum *inde* reponendam coniicit. Muretus *iocati* emendat.

9 *Qua Tempe adeunt*] *Adeuntur* ex emendatione Gronovii reposuit Bekker.

U. C. 581. A. C. 171. iumentorum hominumque moratus dies, quum audiret vagari Macedonas effusos per Thessaliam, vastarique sociorum agros, satis iam refectum militem ad Larissam ducit. Inde, quum tria millia ferme abesset a Tripoli, (Scaeam vocant) super Peneum amnem posuit castra. Per idem tempus Eumenes ad Chalcidem navibus accessit cum Attalo atque Athenaeo fratribus, Philetaero fratre relicto Pergami ad tutelam regni. Inde cum Attalo et quattuor millibus peditum, mille equitum, ad consulem venit. Chalcide relicta duo millia peditum, quibus Athenaeus praepositus. Et alia eodem auxilia Romanis ex omnibus undique Graeciae populis convenerunt, quorum pleraque (adeo parva erant) in oblivionem adducta. Apolloniatae trecentos equites, centum pedites miserunt. Aetolorum alae unius instar,[1] quantum ab tota gente equitum erat, venerant: et Thessalorum (omnis equitatus separatus erat[2]) non plus quam trecenti erant equites in castris Romanis. Achaei iuventutis suae, Cretico maxime armatu, ad mille quingentos dederunt.

Eumenis adventus.

Alia auxilia.

56. Sub idem tempus et C. Lucretius praetor, qui navibus praeerat ad Cephalleniam, M. Lucretio fratre cum classe super Maleam[3] Chalcidem iusso petere, ipse triremem conscendit, sinum Corinthium petens ad praeoccupandas in Boeotia res. Tardior ei navigatio propter infirmitatem corporis fuit. M. Lucretius, Chalcidem adveniens, quum a P. Lentulo Haliartum oppugnari audisset, nuntium, praetoris verbis, qui abscedere eum inde iuberet, misit. Boeotorum iuventute, quae pars cum Romanis stabat, eam rem aggressus legatus, a moenibus abscessit. Haec soluta obsidio locum alteri novae obsidioni dedit. Namque extemplo M. Lucretius cum exercitu navali, decem millibus armatorum, ad hoc duobus millibus regiorum, qui sub Athenaeo erant, Haliartum circumsedit: parantibusque iam oppugnare, supervenit a Creusa praetor. Ad idem fere tempus et ab sociis naves Chalcidem convenerunt: duae Punicae quinqueremes, duae ab Heraclea ex Ponto triremes, quattuor Chalcedone, totidem Samo, tum quinque Rhodiae quadriremes. Has praetor, quia nusquam erat maritimum bellum, remisit sociis. Et Q. Marcius Chalcidem navibus venit, Alope capta, Larissa, quae Cremaste dicitur, oppugnata.

Lucretius Pr. in Boeotia.

1 *Alae unius instar*] Ex vi verborum, imago ac species unius alae: id est, una propemodum ala. *Ala* apud Romanos trecentorum ferme equitum erat. Crev.

2 *Separatus erat*)] Huc illuc sparsus ad varias regionis partes tuendas. Ceterum *speratus* ex coniectura Drakenborchii reposuit Bekker.

3 *Super Maleam*] Superato Maleae promontorio.

Quum hic status in Boeotia esset, Perseus, quum ad Sycurium, sicut ante dictum est, stativa haberet, frumento undique circa ex agris convecto, ad vastandum agrum Pheraeorum misit; ratus ad iuvandas sociorum urbes longius a castris abstractos deprehendi Romanos posse. Quos quum
4 eo tumultu nihil motos animadvertisset, praedam quidem, praeterquam hominum, (pecora autem maxime omnis generis fuere) divisit ad epulandum militibus. Sub idem deinde tempus consilium et consul et rex habuerunt, unde
5 bellum ordirentur. Regis creverunt animi vastatione concessa sibi ab hoste Pheraei agri. Itaque eundum inde ad castra, nec dandum ultra spatium cunctandi, censebat. Et Romani censebant, cunctationem suam infamem apud socios esse, maximopere indigne ferentes, non latam Pheraeis opem. Consultantibus, quid agerent, (aderant autem Eumenes et Attalus in consilio) trepidus nuntius affert, hostem magno agmine adesse. Consilio dimisso, signum extemplo datur, ut arma capiant. Interim placet, ex regiis auxiliis centum equites et parem numerum iaculatorum peditum exire. Perseus hora ferme diei quarta, quum paullo plus mille passus abesset a castris Romanis, consistere signa peditum iussit. Praegressus ipse cum equitibus ac levi armatura, et Cotys cum eo ducesque aliorum auxili-
6 orum praecesserunt. Minus quingentos passus ab castris aberant, quum in conspectu fuere hostium equites: duae alae erant magna ex parte Gallorum, (Cassignatus praeerat) et levis armaturae centum fere et quinquaginta Mysi aut Cretenses. Constitit rex, incertus quantum esset hostium. Duas inde ex agmine turmas Thracum, duas Macedonum, cum binis Cretensium cohortibus et Thracum, misit. Proelium, quum pares numero essent, neque ab hac aut illa parte nova auxilia subvenirent, incerta victoria finitum est. Eumenis ferme triginta interfecti; inter quos Cassignatus dux Gallorum cecidit. Et tunc quidem Perseus ad Sycurium copias reduxit. Postero die circa eandem horam in eundem locum rex copias admovit, plaustris cum aqua sequentibus. Nam duodecim millium passuum via omnis sine aqua, et plurimi pulveris erat: affectosque
7 siti, si primo in conspectu dimicassent, pugnaturos fuisse

U. C. 581.
A. C. 171.

57.

Perseus in Romanos ducit.

Equestre proelium.

4 *Praedam quidem*] Gronovius *praedae quod erat* legendum suspicatur.

5 *Regis creverunt animi*] *Regi creverant animi* Crevierio magis placeret.

6 *Praecesserunt*] Manifestum esse, hanc vocem vacare Crevierius recte monuit. Drak.

7 *Primo in conspectu*] Statim atque hostis conspectus erat. Ad pugnam die proxime praecedenti affecti siti venissent, si statim atque conspexerant hostem dimicassent. Ceterum non explicat Livius, cur aut unde sitim, intervallo facto, levarint. Crev.

U. C. 581. A. C. 171. apparebat. Quum Romani quiessent, stationibus etiam intra vallum reductis, regii quoque in castra redeunt. Hoc per aliquot dies fecerunt, sperantes fore, ut Romani equites abeuntium novissimum agmen aggrederentur. Inde certamine orto, quum longius a castris eos elicuissent, facile, ubiubi essent, se, qui equitatu et levi armatura plus
58. possent, conversuros aciem. Postquam inceptum non succedebat, castra propius hostem movit rex, et a quinque millibus passuum communiit. Inde, luce prima in eodem, quo solebat, loco peditum acie instructa, equitatum omnem 8 levemque armaturam ad castra hostium ducit. Visus et plurimus et propior solito pulvis trepidationem in castris Romanis fecit. Et primo vix creditum nuntianti est, quia prioribus continuis diebus nunquam ante horam quartam hostis apparuerat. Tum solis ortus erat. Deinde ut plurium clamore et cursu a portis dubitatio exempta est, tumultus ingens oboritur. Tribuni, praefectique, et centuriones in praetorium, miles ad sua quisque tentoria discurrit. Minus quingentos passus a vallo instruxerat Perseus suos circa tumulum, quem Callicinum vocant. Laevo cornu Cotys rex praeerat cum omnibus suae gentis: equitum ordines levis armatura interposita distinguebat. In dextro cornu Macedones erant equites: intermixti turmis eorum Cretenses. Huic armaturae Medon Beroeaeus, 9 equitibus et summae partis eius Meno Antigonensis praeerat. Proximi cornibus constiterant regii equites, et mix- 1 tum genus, delecta plurium gentium auxilia: Patrocles Antigonensis hic Paeoniae praefectus Didas erant prae- 2 positi. Medius omnium rex erat: circa eum agema, quod 3 vocant, equitumque sacrae alae. Ante se statuit fundi- 4 tores iaculatoresque: quadringentorum manus utraque numerum explebat. Ionem Thessalonicensem et Timanora Dolopem iis praefecit. Sic regii constiterant. Consul, intra vallum peditum acie instructa, et ipse equitatum omnem cum levi armatura misit: pro vallo instructi sunt. Dextro cornu praepositus C. Licinius Crassus, consulis frater, cum omni Italico equitatu, velitibus intermixtis: si-

Perseus equitatum omnem ad castra hostium ducit.

Consulis acies.

8 *Equitatum omnem*] De hac victoria Macedonum mentionem facit Polybius in Excerpt. Vatican. xxviii. 1.

9 *Huic armaturae*] Milo, sive Midon, sic enim olim hic legebatur, praeerat levi armaturae Cretensium. Equitibus praeerat Meno Antigonensis, et insuper summam imperii in hac parte, id est, in dextro cornu, habebat. Crev.

1 *Proximi cornibus*] Intellige hos locatos fuisse inter cornua et mediam aciem, in qua rex erat. Crev.

2 *Antigonensis hic*] *His* pro *hic* auctore Gronovio reposuerunt Crevier. et Bekker.

3 *Agema*] Sic vocavit Livius, supr. xxxvii. 40. alam mille equitum: supr. 51. pedestrem manum, cetratorum nempe legionem. Suidae *agema* est agmen antecedens regem, e selectis equitibus et peditibus. Crev.

4 *Sacrae alae*] cf. Infr. 66.

nistro M. Valerius Laevinus sociorum ex Graecis populis equites habebat, et eiusdem gentis levem armaturam. Me- U. C. 581. A. C. 171.
5 diam autem aciem cum delectis equitibus extraordinariis tenebat Q. Mucius. Ducenti equites Galli ante signa horum instructi, et de auxiliis Eumenis Cyrtiorum gentis trecenti. 'Thessali quadringenti equites parvo intervallo
6 super laevum cornu locati. Eumenes rex Attalusque cum omni manu sua ab tergo inter postremam aciem ac vallum steterunt.

In hunc modum maxime instructae acies, par ferme utrimque numerus equitum ac levis armaturae, concurrunt, a funditoribus iaculatoribusque, qui praecesserunt, proelio orto. Primi omnium Thraces, haud secus quam diu claustris retentae ferae, ira concitati cum ingenti clamore in dextrum cornu, Italicos equites, incurrerunt, ut usu belli et ingenio impavida gens turbaretur. * gladiis hastas petere pedites, * * nunc succidere crura equis, nunc ilia suf-
7 fodere. Perseus, in mediam invectus aciem, Graecos primo impetu avertit. Quibus quum gravis ab tergo instaret hostis, Thessalorum equitatus, qui a laevo cornu brevi spatio disiunctus in subsidiis fuerat extra concursum, primo spectator certaminis, deinde, inclinata re, maximo usui fuit. Cedentes enim sensim integris ordinibus, postquam se Eumenis auxiliis adiunxerunt, et cum eo tutum inter ordines suos receptum sociis fuga dissipatis dabant, et, quum minus conferti hostes instarent, progredi etiam ausi,
8 multos fugientium obvios exceperunt. Nec regii, sparsi iam ipsi passim sequendo, cum ordinatis et certo incedentibus gradu manus conserere audebant. Quum victor eque-
9 stri proelio rex, 'Parvo momento si adiuvissent, debel-'latum esse;' opportune adhortanti supervenit phalanx, quam sua sponte, ne audaci coepto deessent, Hippias et Leonnatus raptim adduxerant, postquam prospere pugnasse equitem acceperunt. Fluctuante rege inter spem metumque tantae rei conandae, Cretensis Euander, quo ministro

59. Proelium.

Rex equestri proelio victor.

5 *Equitibus extraordinariis*] cf. Supr. xxvii. 12. Vox *delectis* Crevierio suspecta est, qui aut illam eradendam censet, aut particulam coniunctivam addendam post *equitibus*, ita ut ex equitibus extraordinariis delecti rursum aliqui fuissent, qui seorsum agerent. cf. Polyb. vi. 31.

6 *Super laevum cornu*] Ultra laevum cornu, in subsidiis. CREV.

7 *In mediam invectus aciem, Graecos ... avertit*] Quum Graeci non mediam consulis aciem, sed laevum cornu tenerent, necesse est intelligatur Perseus, post tentatam mediam hostium aciem, in laevum cornu invectus esse. Ita nodum explicat Crevierius.

8 *Regii, sparsi iam ipsi*] Macedones, qui et ipsi, dum sequuntur fugientes, ordines solverant. Nihil in hunc locum, utpote clari admodum sensus, annotassemus, nisi Douiatius *regios* intellexisset Eumenis milites. CREV.

9 *Si adiuvissent, debellatum esse*] Vulgo *si adiuvisset, debellatum esset* legitur. *Adiuvissent* Walchius emendavit. Bekkerus lectionem Kreysigianam probat.

U. C. 581. A. C. 171. Delphis ad insidias Eumenis regis usus erat, postquam agmen peditum venientium sub signis vidit, ad regem accurrit, et monere institit, 'ne elatus felicitate summam re-'rum temere in non necessariam aleam daret. Si contentus 'bene re gesta quiesset eo die, vel pacis honestae conditio-'nem habiturum, vel plurimos belli socios, qui fortunam 'sequerentur, si bellare mallet.' In hoc consilium pronior erat animus regis. Itaque, collaudato Euandro, signa referri, peditumque agmen redire in castra iubet, equitibus receptui canere.

Receptui canit.

60. Cecidere eo die ab Romanis ducenti equites, duo millia, haud minus, peditum; capti sexcenti ferme equites. Ex regiis autem viginti equites, quadraginta pedites interfecti. Postquam rediere in castra victores, omnes quidem laeti, ante alios Thracum insolens laetitia eminebat: cum cantu enim superfixa capita hostium portantes redierunt. Apud Romanos non maestitia tantum ex male gesta re, sed pavor etiam erat, ne extemplo castra hostis aggrederetur. Eumenes suadere, ut trans Peneum transferret castra; ut pro munimento amnem haberet, dum perculsi milites animos colligerent. Consul moveri flagitio timoris fatendi: victus tamen ratione, silentio noctis traductis copiis, castra in ulteriore ripa communit. Rex, postero die ad lacessendos proelio hostes progressus, postquam trans amnem in tuto posita castra animadvertit, fatebatur quidem peccatum, quod pridie non institisset victis; sed aliquanto maiorem culpam esse, quod nocte foret cessatum. Nam, ut neminem alium suorum moveret, levi armatura immissa, trepidantium in transitu fluminis hostium deleri magna ex parte copias potuisse. Romanis quidem praesens pavor demptus erat, in tuto castra habentibus: damnum inter cetera praecipue famae movebat. Et in consilio apud consulem pro se quisque in Aetolos conferebant causam: 'Ab iis fugae 'terrorisque principium ortum: secutos pavorem Aetolo-'rum et ceteros socios Graecorum populorum.' Quinque principes Aetolorum, qui primi terga vertentes conspecti dicebantur, Romam missi. Thessali pro concione laudati, ducesque eorum etiam virtutis causa donati.

Cos. trans Peneum castra transfert.

61. Ad regem spolia caesorum hostium referebantur. Donat ex his, aliis arma insignia, aliis equos; quibusdam captivos dono dabat. Scuta erant supra mille quingenta;

Perseus suos donat.

1 *Agmen peditum*] Ita Perizonius emendavit pro vulg. *agmen impeditum*, quod nullo modo dici potuit, quum supr. 58. phalanx illa dicitur stetisse eo loco instructa quo solebat, ad pugnam parata.

2 *Superfixa*] Vocem *hastis* aut aliud teli nomen h. l. excidisse Gronovio videtur. Drakenborchius *romphaeis* vel *rumpiis* coniicit, utpote vocem, quam, ut minus notam, librarii incuriose omiserint. *Romphaea* erat genus teli Thracicum. cf. supr. xxxi. 39. A. Gell. x. 25.

3 loricae thoracesque mille amplius summam explebant; U. C. 581.
galearum gladiorumque et missilium omnis generis maior A. C. 171.
aliquanto numerus. Haec, per se ampla, pleraque multiplicata verbis regis, quae ad concionem vocato exercitu habuit: 'Praeiudicatum eventum belli habetis. Meliorem 'partem hostium, equitatum Romanum, quo invictos se 'esse gloriabantur, fudistis. Equites enim illis principes 'iuventutis, equites seminarium senatus: inde lectos in 'Patrum numerum consules, inde imperatores creant. Ho-'rum spolia paullo ante divisimus inter vos. Nec minorem 'de legionibus peditum victoriam habetis: quae, nocturna 'fuga vobis subtractae, naufragorum trepidatione passim 'natantium flumen compleverunt. Sed facilius nobis se-'quentibus victos Peneum superare erit, quam illis trepi-'dantibus fuit; transgressique extemplo castra oppugnabi-'mus, quae hodie cepissemus, ni fugissent. Aut, si acie 'decernere volent, eundem pugnae pedestris eventum ex-'spectate, qui equitum in certamine fuerit.' Et qui vicerant alacres, spolia caesorum hostium humeris gerentes,
4 facinora sua audivere, ex eo, quod acciderat, spem futuri praecipientes: et pedites, aliena gloria accensi, praecipue qui Macedonum phalangis erant, sibi quoque et navandae regi operae, et similem gloriam ex hoste pariendi, occasionem optabant. Concione dimissa, postero die profectus
5 inde ad Mopselum posuit castra. Tumulus hic ante Tempe est et eminet Larissae medius * *.

Romani, non abscedentes ab ripa Penei, transtulerunt 62.
in locum tutiorem castra. Eo Misagenes Numida venit cum mille equitibus, pari peditum numero, ad hoc elephantis duobus et viginti. Per eos dies consilium habenti
6 regi de summa belli, quum iam consedisset ferocia ab re bene gesta, ausi sunt quidam amicorum consilium dare, ut
7 secunda fortuna in conditionem honestae pacis uteretur potius, quam, spe vana evectus, in casum irrevocabilem se daret. 'Modum imponere secundis rebus, nec nimis cre-'dere serenitati praesentis fortunae, prudentis hominis et 'merito felicis esse. Mitteret ad consulem, qui foedus in 'easdem leges renovarent, quibus Philippus pater eius pa-'cem ab T. Quinctio victore accepisset. Neque finiri bel-

3 *Mille amplius summam*] Amplius quam summam mille partim loricarum, partim thoracum. DRAK.

4 *Facinora sua*] Ita correxit Gronovius vulgatam lectionem *ante ora sua*, quae merito Crevierio aliisque displicet.

5 *Ad Mopselum*] *Mopsium* nomen urbis, quod apud Stephanum exstat, auctore Sigonio, Crevier. et Drakenb. probant.

6 *De summa belli*] Vocem *belli* addidit Drakenborchius, probante Bekkero.

7 *In conditionem*] Ita emendavit Gronovius pro *conditione*, sc. ut honestae pacis conditio impetraretur.

U. C. 581. A. C. 171. 'lum magnificentius, quam ab tam memorabili pugna; 'neque spem firmiorem pacis perpetuae dari, quam quae 'perculsos adverso proelio Romanos molliores factura sit ad 'paciscendum. Quod si Romani tum quoque insita per- 'tinacia aequa aspernarentur, deos hominesque et modera- 'tionis Persei, et illorum pervicacis superbiae, futuros testes.' Nunquam ab talibus consiliis abhorrebat regis animus. Itaque plurium assensu comprobata est sententia. Legati, ad consulem missi, adhibito frequenti consilio, auditi sunt.

Perseus pacem petit.

Pacem petiere, 'vectigal, quantum Philippus pactus esset, 8 'daturum Persea Romanis' pollicentes; 'urbibus, agris, 'locisque, quibus Philippus cessisset, cessurum primum.' Haec legati. Summotis his, quum consultarent, Romana constantia vicit in consilio. Ita tum mos erat, in adversis vultum secundae fortunae gerere, moderari animos in secundis. Responderi placuit, 'Ita pacem dari, si de summa 'rerum liberum senatui permittat rex de se deque universa

Frustra.

'Macedonia statuendi ius.' Haec quum renuntiassent legati, miraculo ignaris moris pertinacia Romanorum esse; 9 et plerique vetare, amplius mentionem pacis facere: ultro mox quaesituros, quod oblatum fastidiant. Perseus hanc ipsam superbiam, quippe ex fiducia virium esse, timere: et, summam pecuniae augens, si pretio pacem emere posset, non destitit animum consulis tentare. Postquam nihil ex eo, quod primo responderat, mutabat, desperata pace, ad Sycurium, unde profectus erat, rediit, belli casum de integro tentaturus.

63. Fama equestris pugnae, vulgata per Graeciam, nudavit voluntates hominum. Non enim solum, qui partis Macedonum erant, sed plerique, ingentibus Romanorum obligati beneficiis, quidam vim superbiamque experti, laeti 1 eam famam accepere: non ob aliam causam, quam pravo studio, quo etiam in certaminibus ludicris vulgus utitur, deteriori atque infirmiori favendo. Eodem tempore in 2 Boeotia summa vi Haliartum Lucretius praetor oppugnabat: et, quanquam nec habebant externa auxilia obsessi, praeter Coronaeorum iuniores, qui prima obsidione moenia intraverant, neque sperabant, tamen ipsi animis magis, quam viribus, resistebant. Nam et eruptiones in opera crebro faciebant: et arietem admotum, libramento plumbi

Graeci favent Perseo.

Haliarti oppugnatio.

8 *Pacem petiere*] *Petiere* a manu Perizonii est. *Petere* Crevierius tuetur, qui tamen vocem *pollicentes* eiiciendam censet.

9 *Miraculo ignaris*] sc. Pertinacia Romanorum miraculo erat Macedonibus, ignaris moris Romani.

1 *Vim superbiamque experti*] Recte Gronovius existimat excidisse vocem *Macedonum*, vel si malueris, *Persei*, aut *regis*. Hic enim Livius loquitur de iis quos Perseo favisse mirum videri debeat. Nec vero ille in Romanos tam asperis verbis uteretur. Crev.

2 *Favendo*] *Favendi* mavult Gronovius.

3 gravatum, ad terram urgebant: et, si qua declinarent, qui agebant, ictum, pro diruto muro novum tumultuario opere, raptim ex ipsa ruinae strage congestis saxis, exstruebant. Quum operibus oppugnatio lentior esset, scalas per manipulos dividi praetor iussit, ut corona undique moenia aggressurus; eo magis suffecturam ad id multitudinem ratus, quod, qua parte palus urbem cingit, nec attinebat oppugnari, nec poterat. Ipse ab ea parte, qua duae turres, quodque inter eas muri erat, ruerant, duo millia militum delectorum admovit; ut eodem tempore, quo ipse transcendere ruinas conaretur, concursu adversus se oppidanorum facto, scalis vacua defensoribus moenia capi parte aliqua possent. Haud segniter oppidani vim eius arcere parant. Nam super stratum ruinis locum, fascibus aridis sarmentorum iniectis, stantes cum ardentibus facibus accensuros ea se saepe minabantur, ut, incendio intersaepti ab hoste, spatium ad obiiciendum interiorem murum haberent. Quod inceptum eorum fors impediit. Nam tantus repente effusus est imber, ut nec accendi facile pateretur, et exstingueret accensa. Itaque et transitus per distracta fumantia virgulta patuit; et, in unius loci praesidium omnibus versis, moenia quoque pluribus simul partibus scalis capiuntur. In primo tumultu captae urbis seniores impubesque, quos casus obvios obtulit, passim caesi: armati in arcem confugerunt: et postero die, quum spei nihil superesset, 4 deditione facta, sub corona venierunt. Fuerunt autem duo millia ferme et quingenti. Ornamenta urbis, statuae et tabulae pictae, et quicquid pretiosae praedae fuit, ad naves 5 delatum: urbs diruta a fundamentis. Inde Thebas ductus exercitus: quibus sine certamine receptis, urbem tradidit exsulibus, et qui Romanorum partis erant: adversae factio- 6 nis hominum, fautorumque regis ac Macedonum familias sub corona vendidit. His gestis in Boeotia, ad mare ac naves rediit.

U. C. 581. A. C. 171.

64. Perseus frustra castra Romana incendere vult.

Quum haec in Boeotia gererentur, Perseus ad Sycurium stativa dierum aliquot habuit. Ubi quum audisset, raptim Romanos circa ex agris demessum frumentum convehere,

3 *Et, si qua declinarent*] sc. Et, si qua declinarent ictum molis illius plumbeae, qui agebant arietem, ac proinde aliquam muri partem proruerent. Crev. cf. supr. xxxviii. 5.

4 *Sub corona venierunt*] cf. Supr. ii. 17. ix. 42.

5 *Inde Thebas ductus exercitus*] Atqui supr. 44. Thebani memorantur decrevisse ut tolleretur regia societas, et fidei legatorum Romanorum civitatem commendavisse: et supr. 46. tentati a Perseo, nihil moti sunt. Vel igitur hic alicuius alterius civitatis nomen posuerat Livius, vel aliquid omisit de Thebanis, unde nosse possemus, cur adversus eos Romanus exercitus ducatur. Crev.

6 *Familias*] Servos et bona. cf. supr. iii. 55.

U. C. 581. A. C. 171. deinde ante sua quemque tentoria spicas fascibus desecan-
tem, quo purius frumentum tereret, ingentes acervos per tota castra stramentorum fecisse: ratus incendio opportuna esse, faces, taedamque, et malleolos stuppae illitos pice parari iubet: atque ita media nocte profectus, ut prima luce aggressus falleret. Nequicquam. Primae stationes oppressae tumultu ac terrore suo ceteros excitaverunt: signumque datum est arma extemplo capiendi; simulque in vallo, ad portas, miles instructus erat, et intentus propugnationi castrorum. Perseus et extemplo circumegit aciem, et prima impedimenta ire, deinde peditum signa ferri iussit. Ipse cum equitatu et levi armatura substitit ad agmen cogendum; ratus, id quod accidit, insecuturos ad extrema ab tergo carpenda hostes. Breve certamen levis armaturae maxime cum procursatoribus fuit. Equites peditesque sine tumultu in castra redierunt.

Demessis circa segetibus, Romani ad Cranonium intactum agrum castra movent. Ibi quum securi, et propter castrorum longinquitatem, et viae inopis aquarum difficultatem, quae inter Sycurium et Cranona est, stativa haberent; repente prima luce in imminentibus tumulis equitatus regius cum levi armatura visus ingentem tumultum fecit. Pridie per meridiem profecti ab Sycurio erant: peditum agmen sub luce reliquerant in proxima planitie. Stetit paullisper in tumulis, elici posse ratus ad equestre certamen Romanos. Qui postquam nihil movebant, equitem mittit, qui pedites referre ad Sycurium signa iuberet: ipse mox insecutus. Romani equites, modico intervallo sequentes, sicubi sparsos ac dissipatos invadere possent, postquam confertos abire, signa atque ordines servantes, viderunt, et ipsi in castra redeunt.

65. Inde, offensus longinquitate itineris, rex ad Mopselum castra movit: et Romani, demessis Cranonis segetibus, in Phalannaeum agrum transeunt. Ibi quum ex transfuga cognosset rex, sine ullo armato praesidio passim vagantes per agros Romanos metere, cum mille equitibus, duobus millibus Thracum et Cretensium profectus, quum, quantum accelerare poterat, effuso agmine isset, improviso aggressus est Romanos. Iuncta vehicula, pleraque onusta, mille admodum capiuntur, sexcenti ferme homines. Praedam custodiendam ducendamque in castra trecentis Cretensium dedit. Ipse, revocato ab effusa caede equite et reliquis peditum, ducit ad proximum praesidium, ratus

7 *Fascibus desecantem*] sc. De fascibus, in quos compactum fuit demessum frumentum. Quippe spicas multo leviore opera de fascibus, quam si singulae colligendae fuissent, desecari potuisse facile apparet. Doer.

laud magno certamine opprimi posse. L. Pompeius tribunus militum praeerat, qui perculsos milites repentino hostium adventu in propinquum tumulum recepit, loci se praesidio, quia numero et viribus impar erat, defensurus. Ibi quum in orbem milites coegisset, ut densatis scutis ab ictu sagittarum et iaculorum sese tuerentur, Perseus, circumdato armatis tumulo, alios ascensum undique tentare iubet, et cominus proelium conserere, alios eminus tela ingerere. Anceps Romanos terror circumstabat: nam neque conferti pugnare propter eos, qui ascendere in tumulum conabantur, poterant: et, ubi ordines procursando solvissent, patebant iaculis sagittisque. Maxime cestrosphendonis vulnerabantur. Hoc illo bello novum genus teli inventum est. Bipalme spiculum hastili semicubitali infixum erat, crassitudine digiti. Huic abiegnae breves pinnae tres, velut sagittis solent, circumdabantur: funda media duo funalia imparia habebat. Quum maiori nisu libratum funditor habena rotaret, excussum, velut glans, emicabat. Quum et hoc, et alio omni genere telorum, pars vulnerata militum esset, nec facile iam arma fessi sustinerent, instare rex, ut dederent se, fidem dare, praemia interdum polliceri: nec cuiusquam ad deditionem flectebatur animus; quum ex insperato iam obstinatis mori spes affulsit. Nam quum ex frumentatoribus refugientes quidam in castra nuntiassent consuli, circumsideri praesidium; motus periculo tot civium (nam octingenti ferme, et omnes Romani erant) cum equitatu ac levi armatura (accesserant nova auxilia, Numidae pedites equitesque et elephanti) castris egreditur: et tribunis militum imperat, ut legionum signa sequantur. Ipse, velitibus ad firmanda levium armorum auxilia adiectis, ad tumulum praecedit. Consulis latera tegunt Eumenes, Attalus, et Misagenes, regulus Numidarum. Quum in conspectu prima signa suorum circumsessis fuerunt, Romanis quidem ab ultima desperatione recreatus est animus: Perseus, cui primum omnium fuerat, ut, contentus fortuito successu, captis aliquot frumentatoribus occisisque, non

U. C. 581. A. C. 171.

Cestrosphendonae descriptio.

66.

8 *Cestrosphendonis*] Descriptionem huius teli cum illa, quam Suidas in voce Κέστρος verbis, ut creditur, Polybii dedit, contulit, et utramque pluribus illustravit Lipsius Poliorcet. iv. 3. Drak.

9 *Huic abiegnae ... pinnae tres*] Ita correxit Kreyssigius pro vulg. *huic ad libramen pinnae tres.*

1 *Funda media*] sc. Medio hastili inhaerebat funda, sed ea duplex, ut latior eius sinus telum melius libraret, nam *funalia duō* interpretor fundam duplicem, alteram alteri continentem.

2 *Habena rotaret*] Funalia duo illa, alterum longius, alterum brevius, erant. Longius circumagebat et retinebat manu funditor, et haec fuit, ut hoc loco dicitur, *habena:* brevius vero, cum telum libratum emitteretur, e manu funditoris dimittebatur, sive solvebatur. Haec a Polybii verbis inferenda Doeringius monet. Ceterum *sinus* dicitur *maior*, quia, ut Lipsius observat, *amplior* fuit, quam in aliis fundis.

U. C. 581. A. C. 171. tereret tempus in obsidione praesidii; secundum, ea quoque tentata utcunque, quum sciret nihil roboris secum esse, dum liceret intacto, abire; et ipse hostium adventum, elatus successu, mansit, et, qui phalangem arcesserent, propere misit. Qua et serius, quam res postulabat, et raptim acta, turbati cursu adversus instructos et praeparatos erant adventuri. Consul anteveniens extemplo proelium conseruit. Primo resistere Macedones; deinde, ut nulla re pares erant, amissis trecentis peditibus, viginti quattuor primoribus equitum ex ala, quam Sacram vocant, inter quos Antimachus etiam praefectus alae cecidit, abire conantur. Ceterum iter prope ipso proelio tumultuosius fuit. Phalanx, abs trepido nuntio accita, quum raptim duceretur, primo in angustiis captivorum agmini oblata vehiculisque frumento onustis: iis caesis, ingens ibi vexatio partis utriusque fuit, nullo exspectante, ut utcunque explicaretur agmen, sed armatis detrudentibus per praeceps impedimenta, (neque enim aliter via aperiri poterat) iumentis, quum stimularentur, in turba saevientibus. Vix ab incondito agmine captivorum expedierant sese, quum regio agmini perculsisque equitibus occurrunt. Ibi vero clamor iubentium referre signa ruinae quoque prope similem trepidationem fecit: ut, si hostes, introire angustias ausi, longius insecuti essent, magna clades accipi potuerit. Consul, recepto ex tumulo praesidio, contentus modico successu, in castra copias reduxit. Sunt, qui eo die magno proelio pugnatum auctores sint: octo millia hostium caesa, in his Sopatrum et Antipatrum regios duces: vivos captos circiter duo millia octingentos, signa militaria capta viginti septem. Nec incruentam victoriam fuisse: supra quattuor millia et trecentos de exercitu consulis cecidisse: signa sinistrae alae quinque amissa.

67. Perseus in Macedoniam redit. Hic dies et Romanis refecit animos, et Persea perculit, ut, dies paucos ad Mopselum moratus, sepulturae maxime militum amissorum cura, praesidio satis valido ad Gonnum relicto, in Macedoniam reciperet copias. Timotheum quendam ex regiis praefectis cum modica manu relinquit

3 *Ex ala, quam Sacram vocant*] Iam mentio facta est Sacrarum alarum supr. 58. rursusque fiet infr. xliv. 42. Suspicamur illas equitum alas circa ipsum regem solitas esse pugnare, ei tuendo speciatim addictas, unde et ipsis fortasse *Sacrarum* nomen inditum. Nec aliam esse ducimus *regiam alam*, memoratam Livio supr. xxxvii. 40. Crev.

4 *Frumento onustis*] Verbum *haesit* post *onustis* inseruit Bekker. emendationem Heusingeri secutus, qui *iis caesis* delet. Aliquid mendi in voce *caesis* latere iam monuerat Crevier.

5 *Ingens ibi vexatio partis utriusque*] Tum phalangis, tum Cretensium, qui deducebant captivos et praedam. Crev.

6 *Ut utcunque explicaretur*] *Dum* pro *ut* reposuit Bekker. auctore Gronovio.

7 *Sinistrae alae*] Sinistri sociorum peditum corporis.

ad Philam, iussum Magnetas ex propinquo tentare. Quum Pellam venisset, exercitu in hiberna dimisso, ipse cum Cotye Thessalonicam est profectus. Eo fama affertur, Atlesbim regulum Thracum, et Corragum Eumenis praefectum, in Cotyis fines impetum fecisse, et regionem, Marenen quam vocant, cepisse. Itaque, dimittendum Cotyn ad sua tuenda ratus, magnis proficiscentem donis prosequitur. Ducenta talenta, semestre stipendium, equitatui nu-
8 merat, quum primo annuum dare constituisset. U. C. 581. A. C. 171.

Consul, postquam profectum Persea audivit, ad Gonnum castra movet, si potiri oppido posset. Ante ipsa Tempe in faucibus situm, Macedoniae claustra tutissima praebet, et in Thessaliam opportunum Macedonibus decursum. Quum et loco et praesidio valido inexpugnabilis restitisset,
9 abstitit incepto. In Perrhaebiam flexis itineribus, Malloea primo impetu capta ac direpta, Tripoli aliaque Perrhaebia recepta, Larissam rediit. Inde Eumene atque Attalo domum remissis, Misagenem Numidasque in hiberna in proximis Thessalis urbibus distribuit: et partem exercitus ita per totam Thessaliam divisit, ut et hiberna commoda omnes haberent, et praesidio urbibus essent. Q. Mucium legatum cum duobus millibus ad obtinendam Ambraciam misit. Graecarum civitatium socios omnes praeter Achaeos dimisit. Cum exercitus parte profectus in Achaiam Phthiotim, Pteleum desertum fuga oppidanorum diruit a fundamentis, Antrona voluntate colentium recepit. Ad Larissam deinde exercitum admovit. Urbs deserta erat; in arcem omnis multitudo concesserat: eam oppugnare aggreditur. Primi omnium Macedones, regium praesidium, metu excesserant. A quibus relicti oppidani in deditionem extemplo veniunt. Dubitari inde, utrum Demetrias prius aggredienda foret, an in Boeotia aspiciendae res. Thebani, vexantibus eos Coronaeis, in Boeotiam arcessebant. Ad horum preces, quia hibernis aptior regio, quam Magnesia erat, in Boeotiam duxit.

Cos. in hiberna se confert.

8 *Quum primo annuum dare constituisset*] Semestre tantum stipendium numeravit, quamvis primo pollicitus esset solidum iis totius anni stipendium persolutum iri. Hac re notatur Persei *avaritia*. Crev.

9 *Inexpugnabilis restitisset*] Vulg. *res esset* legitur, pro quo *urbs esset* reponendum coniicit Gronovius.

EPITOME LIBRI XLIII.

PRAETORES aliquot, eo quod avare et crudeliter provincias administrassent, damnati sunt. P. Licinius Crassus proconsul complures in Graecia urbes expugnavit, et crudeliter diripuit. Ob id captivi, qui ab eo sub corona venierant, ex senatusconsulto postea restituti sunt. Item a praefectis classium Romanarum multa impotenter in socios facta. Res praeterea a Perseo rege in Thracia prospere gestas continet, victis Dardanis et Illyrico, cuius rex erat Gentius. Motus, qui in Hispania ab Olonico factus erat, ipso interempto consedit. M. Aemilius Lepidus a censoribus princeps in senatu lectus.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLIII.

1 EADEM aestate, qua in Thessalia equestri pugna vi-
2 cere Romani, legatus, in Illyricum a consule missus, opulenta duo oppida vi atque armis coegit in deditionem; omniaque iis sua concessit, ut opinione clementiae eos, qui Carnuntem munitam urbem incolebant, alliceret. Postquam nec, ut dederent se, compellere, neque capere obsidendo poterat; ne duabus oppugnationibus nequicquam fatigatus miles esset, quas prius intactas urbes reliquerat, diripuit. U. C. 581. A. C. 171. Gesta in Illyrico.

3 Alter consul C. Cassius nec in Gallia, quam sortitus erat, memorabile quicquam gessit: et per Illyricum ducere legiones in Macedoniam vano incepto est conatus. Ingressum hoc iter consulem senatus ex Aquileiensium legatis cognovit: qui, querentes coloniam suam novam et infirmam, necdum satis munitam, inter infestas nationes Istrorum et Illyriorum esse, quum peterent, ut senatus curae haberet, quomodo ea colonia muniretur, interrogati, vellentne eam rem C. Cassio consuli mandari? responderunt, Cassium, Aquileiam indicto exercitu, profectum per Illyricum in Macedoniam esse. Ea res primo incredibilis visa: et pro se quisque credere, Carnis forsitan aut Istris bellum illatum. Tum Aquileienses, nihil se ultra scire, nec audere affirmare, quam triginta dierum frumentum militi datum; et duces, qui ex Italia itinera in Macedoniam nossent, conquisitos abductosque. Enimvero senatus indignari, tan-
4 tum consulem ausum, ut suam provinciam relinqueret, in alienam transiret; exercitum novo periculoso itinere inter exteras gentes duceret, viam tot nationibus in Italiam ape- Cassii Cos. res gestae.

1 *Vicere Romani*] sc. Eo proelio, quod supr. xlii. 66. narratur. Ceterum Livius, civibus suis favens, clariorem illam pugnam ibid. 59. qua victi fuerant Romani, hoc loco dissimulasse videtur.

2 *Legatus*] Cuius nomen excidit. Verum Sigonius Q. Mucium fuisse suspicatur, cuius in ultimo capite libri praecedentis mentio facta est.

3 *In Gallia, quam sortitus erat*] Ceterum supr. xlii. 32. Cassio provincia *Italia* evenisse dicitur, quo nomine Liguria et Gallia designabantur, ut Dukerus animadvertit.

4 *Ut suam provinciam relinqueret*] cf. Supr. xxvii. 43. Hinc legem nondum latam fuisse patet, qua cautum fuit, ne quis sponte de provincia, quam sortitus erat, exiret.

U. C. 581. A. C. 171. riret. Decernunt frequentes, ut C. Sulpicius praetor tres ex senatu nominet legatos, qui eo die proficiscantur ex urbe; et, quantum accelerare possent, Cassium consulem, ubicunque sit, persequantur; nuntient, ne bellum cum ulla gente moveat, nisi cum qua senatus gerendum censuerat. Legati hi profecti, M. Cornelius Cethegus, M. Fulvius, P. Marcius Rex. Metus de consule atque exercitu distulit: eo tempore muniendae Aquileiae curam.

2. Hispanorum querelae de Magistr. Rom.

Hispaniae deinde utriusque legati aliquot populorum in senatum introducti. Ii, de magistratuum Romanorum avaritia superbiaque conquesti, nisi genibus ab senatu petierunt, ne se socios foedius spoliari vexarique, quam hostes, patiantur. Quum et alia indigna quererentur, manifestum autem esset, pecunias captas; L. Canuleio praetori, qui Hispaniam sortitus erat, negotium datum est, ut in singulos, a quibus Hispani pecunias repeterent, quinos recuperatores ex ordine senatorio daret, patronosque, quos vellent, sumendi potestatem faceret. Vocatis in curiam legatis recitatum est senatusconsultum, iussique nominare patronos. Quattuor nominaverunt, M. Porcium Catonem, P. Cornelium Cn. F. Scipionem, L. Aemilium L. F. Paullum, C. Sulpicium Gallum. Cum M. Titinio primum, qui praetor A. Manlio, M. Iunio consulibus in citeriore Hispania fuerat, recuperatores sumpserunt. Bis ampliatus, tertio absolutus est reus. Dissensio inter duarum provinciarum legatos est orta: citerioris Hispaniae populi M. Catonem et Scipionem; ulterioris L. Paullum et Gallum Sulpicium patronos sumpserunt. Ad recuperatores adducti a citerioribus populis P. Furius Philus, ab ulterioribus M. Matienus. Ille Sp. Postumio, Q. Mucio consulibus triennio ante, hic biennio prius, L. Postumio, M. Popillio consulibus, praetor fuerat. Gravissimis criminibus accusati ambo ampliatique: quum dicenda de integro causa esset, excusati exsilii causa solum vertisse. Furius Praeneste, Matienus Tibur exsulatum abierunt. Fama erat, prohiberi a patronis nobiles ac potentes compellare; auxitque eam suspicionem Canuleius praetor, quod, omissa ea re, delectum habere instituit. Dein repente in provinciam abiit, ne plures ab Hispanis vexarentur. Ita, praeteritis silentio obliteratis, in futurum consultum tamen ab senatu Hispanis, quod impetrarunt, ne frumenti aestimationem magistratus Romanus

5 *Censuerat*] *Censuerit*, quod legendum ad marginem notavit Perizonius, reposuit Bekker.

6 *Quinos recuperatores*] Qui a praetore ad privatas controversias dirimendas iudices delegati sunt. cf. supr. xxvi. 48.

7 *Cum M. Titinio*] Litem apud recuperatores contra Titinium intenderunt.

8 *Bis ampliatus*] Bis causa Titinii, ut *amplius* de ea disceptaretur, dilata est. De voce *ampliare* cf. supr. iv. 44.

9 *Ne frumenti aestimationem*] Ma-

haberet; neve cogeret vicesimas vendere Hispanos, quanti ipse vellet; et ne praefecti in oppida sua ad pecunias cogendas imponerentur. U. C. 581. A. C. 171.

Et alia novi generis hominum ex Hispania legatio venit. Ex militibus Romanis et ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, supra quattuor millia hominum, orabant, ut sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decrevit, 'uti nomina sua 'apud L. Canuleium profiterentur: eorumque si quos ma-'numisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere. 'Qui Carteiensium domi manere vellent, potestatem fore, 'uti numero colonorum essent, agro assignato. Latinam 'eam coloniam esse, libertinorumque appellari.' 3. Carteia colonia.

Eodem tempore ex Africa et Gulussa regulus, Masinissae filius, legatus patris, et Carthaginienses venerunt. Gulussa prior in senatum introductus, et, quae missa erant ad bellum Macedonicum a patre suo, exposuit; et, si qua praeterea vellent imperare, praestaturum merito populi Romani est pollicitus: et monuit Patres conscriptos, ut a fraude Carthaginiensium caverent. 'Classis eos magnae 'parandae consilium cepisse; specie pro Romanis, et ad-'versus Macedonas: ubi ea parata instructaque esset, ip-'sorum fore potestatis, quem hostem aut socium habeant.' Hanc iniec * * [Egit deinde Masinissae causam de agro, de oppidis, quae ablata sibi ab eo Carthaginienses quererentur, magnaque contentione inter regulum et legatos Carthaginienses disceptatum. Quae ultro citroque iactata sint, quid a senatu responsum fuerit, in incerto est. Quievit tamen velut sopita haec controversia per aliquot annos. Renovata postea in acre bellum exarsit, quod adversus Ma- Gulussa et legati Carthaginienses Romae.

gistratibus Romanis frumentum in domesticum usum a provincialibus sumere licebat, sed, quum usu invaluisset, ut pecuniam sibi pro frumento numerari iuberent, praedabantur in eo quod frumentum pretio nimis aucto aestimarent. cf. Cic. in Verr. iii. 70. Unde videntur Hispani hic impetravisse, ut si vellent magistratus Romani sibi pro frumento pecuniam numerari, aestimatione publica uterentur.

1 *Vicesimas vendere*] Alterum frumenti genus erat, quod vendere Romanis provinciales iubebantur. Scilicet vicesimas frumenti publica pecunia emere magistratus Romani debebant, sed ut ex ea aliquid in suum quaestum averterent, frumentum vilissimo pretio aestimabant. Hinc Hispanos impetrasse putat Donatus, ne arbitrio Romani magistratûs vicesimas vendere cogerentur.

2 *Eorumque si quos manumisisset*] Ex his verbis, et appellatione coloniae infra, cui nomen imponitur *Libertinorum colonia*, inferri debet hos servos fuisse, ac proinde natos ex ancillis. Qui enim non ex legitimo matrimonio nascitur, matrem sequitur ex communi gentium iure. Crev. cf. Ulpian. v. § 9.

3 *Qui Carteiensium*] Simile decretum memoravit Livius de Antiatibus, supr. viii. 14. Crev.

4 *Latinam eam coloniam*] cf. Gaii Inst. i. § 17. ubi conditiones enumerantur, unde manumissus modo quis civis Romanus, modo Latinus factus sit.

5 *Merito populi Romani*] sc. Prout merita Romanorum in Masinissam postularent.

U. C. 581. A. C. 171. sinissam a Poenis susceptum, cum Romanis gerendum fuit, nec nisi Carthaginis interitu finitum est. Hoc anno invenimus in annalibus puerum factum ex virgine sub parentibus, iussuque haruspicum deportatum in insulam desertam.

[Habita sunt a C. Cassio consule comitia, quibus creati consules sunt A. Hostilius Mancinus, A. Atilius Serranus. Praetores inde facti, M. Raecius, Q. Maenius, L. Hortensius, Q. Aelius Paetus, T. Manlius Torquatus, C. Hostilius. Decretae consulibus provinciae Italia et Macedonia. Italia Atilio, Hostilio Macedonia obvenit. Praetores, Raecius urbanam iurisdictionem, peregrinam Maenius sortitus est. Classis cum ora maritima Graeciae Hortensio obtigit. Reliquae praetoriae provinciae fuere procul dubio, quemadmodum anno priore, Hispania, Sicilia, et Sardinia. Sed singulas quinam praetores obtinuerint, silentibus veterum monumentis, certo sciri non potest. Interim P. Licinius, quasi ad bellum non cum Perseo, sed cum Graecis gerendum missus esset, inanes adversus iustum hostem iras in miseros et viribus impares vertit, compluresque in Boeotia, ubi hibernabat, urbes expugnavit, et crudeliter diripuit. Coronaei maxime vexati quum ad senatum confugissent, Patres decreverunt, ut captivi, qui sub corona venissent, in libertatem restituerentur. Consulis crudelitatem et avaritiam imitatus est, aut etiam superavit Lucretius praetor, qui classi praeerat, adversus socios ferox, hosti spernendus. Siquidem classem ad Oreum stantem adortus repente Perseus, naves onerarias frumentum portantes viginti cepit, reliquas depressit, et quattuor etiam quinqueremibus potitus est. Res etiam prospere gestae in Thracia a Perseo, quum eo ad Cotyn defendendum adversus Atlesbis et Corragi copias devertisset. Nec vero ipse sibi Cotys defuit, vir bello strenuus, consilio praestans, Thrax genere solo, non moribus: nam et unicae sobrietatis ac temperantiae fuit, idemque clementia et moderatione animi plane amabilis.

[Cuncta Perseo ex voto fluebant. Nam et tunc Epirotarum gens in eius partes transiit, auctore Cephalo, quem tamen ad defectionem necessitas magis compulit, quam voluntas. Is, singulari prudentia et constantia praeditus, tum quoque optima mente erat. Deos enim immortales precatus fuerat, ut bellum inter Romanos et Persea ne conflaretur, neve de summa rerum decernerentur. At exorto bello, statuerat ex foederis praescripto Romanos iuvare: praeter foederis autem leges nihil ultro facere, neque ob-

6 *Hoc anno*] cf. Plin. H. N. vii. 4.
7 *Siquidem classem*] cf. Plut. in Paulo.
8 *Thrax genere solo*] cf. Polyb. et Diodor. apud Valesium.

sequi indecore et turpiter. Turbavit haec consilia Charopus quidam, eius Charopi, qui saltum ad Aoum amnem T. Quinctio contra Philippum bellanti aperuerat, nepos, vilis potentiorum assentator, et mirus calumniarum in optimum quemque artifex. Romae educatus fuerat, missus ab avo in urbem, ut linguam Romanam literasque perdisceret. Hinc notus carusque plurimis Romanorum, quum revertisset domum, natura levis, et ingenio pravus, quum et Romana ei amicitia faceret animos, principes viros usque allatrabat. Sed primo despiciebatur ab omnibus, nec ulla eius ratio habebatur. Postquam autem bellum Persicum conflatum est, quum plena omnia suspicionum in Graecia essent, multis palam, pluribus occulte Perseo studentibus, non destitit Charopus, eos, qui auctoritate inter Epirotas praestabant, apud Romanos criminari. Et speciem quandam coloremque dabat eius calumniis ea necessitudo, quae olim Cephalo ceterisque eandem sectam sequentibus cum regibus Macedonum fuerat. Iam vero omnia illorum dicta factaque maligne explorans, et in peius semper detorquens, veritatemque adiectis detractisque, quae voluerat, adulterans, fidem criminibus faciebat. Neque his tamen commovebantur Cephalus et ii, qui eorundem in republica consiliorum socii erant, freti egregia conscientia illibatae erga Romanos fidei. Verum ubi illis criminationibus aurem praebere Romanos senserunt, et principes quosdam Aetolorum, quos pariter suspectos fecerant obtrectatorum calumniae, Romam abductos, tum demum opus esse crediderunt, ut sibi ipsi suisque rebus consulerent. Quum autem nihil succurreret praeter regiam amicitiam, cum Perseo societatem inire coacti sunt, eique gentem suam tradere. Romae A. Hostilius, A. Atilius consules, inito magistratu, et peractis, quae divina humanaque in urbe et circa urbem fieri a consulibus mos est, in provincias profecti sunt. Hostilius, cui Macedonia obtigerat, quum in Thessaliam ad exercitum properaret, Epirum, quae nondum aperte defecerat, ingressus, haud multum abfuit, quin incideret in Persei manus. Theodotus enim quidam et Philostratus, rati sese, si eum regi traderent, magnam gratiam apud Persea inituros, et gravissimum in praesentia Romanis damnum illaturos, ad regem literas dedere, ut, quanta maxima posset celeritate, accurreret. Quod nisi et Perseum obiecta a Molossis ad Loum amnem mora retardasset, et consul, de imminenti periculo monitus, ab instituto itinere deflexisset, vix videtur effugere potuisse.

U. C. 581.
A. C. 171.

9 *Turbavit haec consilia*] Haec, et quae in hoc capite inveniuntur, e Polybio et Diodoro depromuntur.

U. C. 581. A. C. 171. Igitur relicta Epiro navigavit Anticyram, unde in Thessaliam contendit. Ibi accepto exercitu ad hostem perrexit. Sed nihilo felicius bellum administravit, quam priore anno gestum fuerat. Nam et proelio commisso cum rege pulsus est, et quum primo per Elimeam vim facere tentasset, deinde per Thessaliam occulte moliri iter, ubique occurrente Perseo, vano conatu absistere coactus est. Nec Hortensius praetor, cui classis obtigerat, quicquam satis scite aut fortunate egit, cuius ex rebus gestis nihil ad memoriam insignius est, quam crudelis et perfida urbis Abderitarum direptio, quum intoleranda sibi imposita onera deprecarentur. Igitur Perseus Romanos iam despiciens, ac velut 9 otiosus plane et vacuus, corollarii vicem in Dardanos excursionem fecit, et, decem millibus barbarorum interfectis, ingentem praedam abduxit.

[Movere hoc anno Celtiberi in Hispania bellum, instigante novo duce Olonico; Salondicum quidam vocant. Is, summa calliditate et audacia, hastam argenteam quatiens, velut coelo missam, vaticinanti similis, omnium in se mentes converterat. Sed quum pari temeritate castra praetoris Romani, uno furiosi consilii socio assumpto, sub noctem adiisset, praetorem videlicet obtruncaturus, iuxta tentorium ipsum pilo vigilis exceptus est: socius pares stolidi incepti poenas luit. Amborum capita praecidi statim iussit praetor, atque hastis suffixa delectis e numero captivorum tradi

4. ad suos perferenda. Hi] * * tis tantum pavorem ingressi 1

U. C. 582. A. C. 170. castra, ostentantes capita, fecerunt, ut, si admotus extemplo exercitus foret, capi castra potuerint. Tum quoque fuga ingens facta est: et erant, qui legatos mittendos ad pacem precibus petendam censerent: civitatesque complures, eo nuntio audito, in deditionem venerunt. Quibus purgantibus sese, culpamque in duorum amentiam conferentibus, qui se ultro ad poenam ipsi obtulissent, quum veniam dedisset praetor; profectus extemplo ad alias civitates, omnibus imperata facientibus, quieto exercitu pacatum agrum, qui paullo ante ingenti tumultu arserat, peragravit. Haec lenitas praetoris, qua sine sanguine ferocissimam gentem domuerat, eo gratior plebi Patribusque fuit, quo crudelius avariusque in Graecia bellatum, et ab consule Licinio et ab Lucretio praetore, erat. Lucretium tribuni plebis absentem concionibus assiduis lacerabant, quum reipublicae causa abesse excusaretur: sed tum adeo vicina etiam inex-

In Lucretium invehuntur Tr. Pl.

1 ... *tis tantum pavorem*] Hoc loco desiderantur comitia consularia, quibus A. Hostilius Mancinus et A. Atilius Serranus consules facti sunt. Hostilio Macedonia evenit, Atilio Italia. Item comitia praetoria cum sortitione provinciarum. Ad haec vero desunt res a P. Licinio proconsule in Macedonia gestae. SIGONIUS.

2 *Igitur Perseus*] cf. Plut. in Paulo.

plorata erant, ut is eo tempore in agro suo Antiati esset, aquamque ex manubiis Antium ex flumine Loracinae duceret. Id opus centum triginta millibus aeris locasse dicitur. Tabulis quoque pictis ex praeda fanum Aesculapii exornavit. Invidiam infamiamque ab Lucretio averterunt U. C. 582. A. C. 170.

Abderitarum querelae de Hortensio.

2 in Hortensium, successorem eius, Abderitae legati, flentes ante curiam, querentesque, 'oppidum suum ab Hortensio 'expugnatum ac direptum esse. Causam excidii fuisse 'urbi, quod, quum centum millia denarium et tritici quin-'quaginta millia modium imperaret, spatium petierint, quo 'de ea re et ad Hostilium consulem, et Romam mitterent 'legatos. Vixdum ad consulem se pervenisse, et audisse 'oppidum expugnatum, principes securi percussos, sub 3 'corona ceteros venisse.' Indigna res senatui visa: decreveruntque eadem de Abderitis, quae de Coronaeis decre-4 verant priore anno; eademque pro concione edicere Q. Maenium praetorem iusserunt. Et legati duo, C. Sempronius Blaesus, Sex. Iulius Caesar, ad restituendos in libertatem Abderitas missi. Iisdem mandatum, ut et Hostilio consuli et Hortensio praetori nuntiarent, senatum, Abderitis iniustum bellum illatum, conquirique omnes, qui in servitute sint, et restitui in libertatem, aequum censere.

5. Querelae de Cassio.

Eodem tempore de C. Cassio, qui consul priore anno fuerat, tum tribunus militum in Macedonia cum A. Hostilio erat, querelae ad senatum delatae sunt, et legati regis Gallorum Cincibili venerunt. Frater eius verba in senatu fecit, questus, Alpinorum populorum agros sociorum suorum depopulatum C. Cassium esse, et inde multa millia hominum in servitutem abripuisse. Sub idem tempus Car-6 norum Istrorumque et Iapydum legati venerunt: 'Duces 'sibi ab consule Cassio primum imperatos, qui in Macedo-'niam ducenti exercitum iter monstrarent: pacatum ab se, 'tanquam ad aliud bellum gerendum, abisse: inde ex me-'dio regressum itinere hostiliter peragrasse fines suos: pas-'sim rapinasque et incendia facta: nec se ad id locorum 'scire, propter quam causam consuli pro hostibus fuerint.' Et regulo Gallorum absenti, et his populis responsum est, 'Senatum ea, quae facta querantur, neque scisse futura,

2 *In Hortensium, successorem*] Hinc apparet Hortensium hoc anno praetorem fuisse, et classem cum ora Graeciae maritima sortitum esse. Crev.

3 *Indigna res senatui visa*] Vox *res* a Gronov. manu in textum venit.

4 *Q. Maenium praetorem*] Hic habemus alterius adhuc praetoris nomen: cui iurisdictionem obtigisse patet ex eo quod nunc quoque in urbe sit; peregrinam, ex eo quod collega eius M. Retius, infr. 11. ea agat, quae ad praetoris urbani officium pertinebant. Crev.

5 *Regis Gallorum*] sc. Populi cuiusdam Transalpini, ut ex sequentibus apparet.

6 *Iapydum*] Qui inter Illyricos populos erant.

U. C. 582. A. C. 170. 'neque, si sint facta, probare. Sed indicta causa damnari 'absentem consularem virum, iniurium esse, quum is rei-'publicae causa absit. Ubi ex Macedonia redisset C. Cas-'sius, tum, si coram eum arguere vellent, cognita re sena-'tum daturum operam, uti satisfiat.' Nec responderi tantum iis gentibus, sed legatos mitti, duos ad regulum trans Alpes, tres circa eos populos placuit, qui indicarent, quae Patrum sententia esset. Munera mitti legatis ex binis 7 millibus aeris censuerunt. Duobus fratribus regulis haec praecipua, torques duo ex quinque pondo auri facti, et vasa argentea quinque ex viginti pondo, et duo equi phalerati cum agasonibus, et equestria arma ac sagula; et comitibus eorum vestimenta, liberis servisque. Haec missa: illa petentibus data, ut denorum equorum iis commercium esset, educendique ex Italia potestas fieret. Legati cum Gallis missi trans Alpes, C. Laelius, M. Aemilius Lepidus: ad ceteros populos C. Sicinius, P. Cornelius Blasio, T. Memmius.

6. Multarum simul Graeciae Asiaeque civitatium legati Romam convenerunt. Primi Athenienses introducti. Ii, 'Se, quod navium habuerint militumque, P. Licinio con-'suli et C. Lucretio praetori misisse' exposuerunt, 'quibus 'eos non usos frumenti sibi centum millia imperasse: quod, 8 'quanquam sterilem terram arent, ipsosque etiam agrestes 'peregrino frumento alerent, tamen, ne deessent officio, 'confecisse; et alia, quae imperarentur, praestare paratos 'esse.' Milesii, nihil praestitisse memorantes, si quid imperare ad bellum senatus vellet, praestare se paratos esse, polliciti sunt. Alabandenses templum Urbis Romae se fecisse commemoraverunt, ludosque anniversarios ei divae instituisse: et coronam auream quinquaginta pondo, quam in Capitolio ponerent, donum Iovi Optimo Maximo, attulisse, et scuta equestria trecenta; ea, cui iussissent, tradituros. Donum ut in Capitolio ponere, et sacrificare liceret, petebant. Hoc et Lampsaceni, octoginta pondo coronam afferentes, petebant, commemorantes, 'Discessisse se 'a Perseo, postquam Romanus exercitus in Macedoniam 'venisset, quum sub ditione Persei, et ante Philippi fuis-'sent. Pro eo, et quod imperatoribus Romanis omnia 'praestitissent, id se tantum orare, ut in amicitiam populi 'Romani reciperentur: et, si pax cum Perseo fieret, exci-'perentur, ne in regiam potestatem reciderent.' Ceteris legatis comiter responsum; Lampsacenos in sociorum for-

Templum Urbis Romae.

7 *Ex binis millibus aeris*] *Asses*, qui iam ad semunciam aeris redacti erant, non *millia pondo aeris*, hic intelligi censet Drakenborchius. cf. supr. xlii. 19. ubi asses intelligendos esse addita vox *summa* indicare videtur.

8 *Centum millia*] sc. Modiorum.

mulam referre Q. Maenius praetor iussus. Munera omnibus in singulos binum millium aeris data. Alabandenses scuta reportare ad A. Hostilium consulem in Macedoniam iussi. U. C. 582. A. C. 170.

9 Et ex Africa legati simul Carthaginiensium, tritici decies centum millia et hordei quingenta indicantes se ad mare devecta habere, ut, quo senatus censuisset, deportarent. 'Id munus officiumque suum scire minus esse, quam 'pro meritis populi Romani et voluntate sua: sed saepe 'alias, bonis in rebus utriusque populi, se gratorum fide-'liumque socium muneribus functos esse.' Item Masinissae legati, tritici eandem summam polliciti, et mille et ducentos equites, duodecim elephantos: et, si quid aliud opus esset, uti imperaret senatus: aeque propenso animo, et quae ipse ultro pollicitus sit, praestaturum esse. Gratiae et Carthaginiensibus et regi actae; rogatique, ut ea, quae pollicerentur, ad Hostilium consulem in Macedoniam deportarent. Legatis in singulos binum millium aeris munera missa.

7. Cretensium legatis, commemorantibus, se, quantum sibi imperatum a P. Licinio consule esset sagittariorum, in Macedoniam misisse, quum interrogati non infitiarentur, 'apud 'Persea maiorem numerum sagittariorum, quam apud Ro-'manos, militare,' responsum est: 'Si Cretenses bene ac 'naviter destinarent potiorem populi Romani, quam regis 'Persei, amicitiam habere, senatum quoque Romanum iis, 'tanquam certis sociis, responsum daturum esse. Interea 'nuntiarent suis, placere senatui, dare operam Cretenses, 'ut, quos milites intra praesidia regis Persei haberent, eos 'primo quoque tempore domum revocarent.'

Cretensibus cum hoc responso dimissis, Chalcidenses vocati; quorum legatio ipso introitu, ob id quod Mictio princeps eorum pedibus captus lectica est introlatus, ultimae necessitatis extemplo visa res: in qua ita affecto excusatio valetudinis, aut ne ipsi quidem petenda visa foret, aut data petenti non esset. Quum sibi nihil vivi reliquum, praeterquam linguam ad deplorandas patriae suae calamitates, praefatus esset, exposuit civitatis primum suae benefacta, et vetera, et ea, quae Persei bello praestitissent ducibus exercitibusque Romanis: tum quae primo C. Lucre- Chalcidenses legati. Querelae de Magistr. Rom.

9 *Simul*] Superflua est haec vocula, vel quae potius indicet pluscula excidisse. Fortassis: *legati simul Carthaginiensium et Masinissae venerunt: Carthaginiensium, tritici etc.* Crev.

1 *Mictio princeps eorum*] *Micythion* pro *Mictio* Bekkerus reposuit, coniecturam Gronovii secutus.

2 *In qua*] Quoniam ita affectus tamque male se habens, aut ipse petendam non existimasset a civibus suis, aut petens non impetrasset, excusatione valetudinis, veniam huius tam longi tamque laboriosi Chalcide Romam itineris. Crev.

U. C. 582. A. C. 170. tius in populares suos praetor Romanus superbe, avare, crudeliter fecisset: deinde quae tum quum maxime L. Hortensius faceret. 'Quemadmodum omnia sibi, etiam iis, 'quae patiantur, tristiora, patienda esse ducant potius, 'quam fide decedant; sic, quod ad Lucretium Horten- 'siumque attineret, scire, tutius fuisse claudere portas, 'quam in urbem eos accipere. Qui exclusissent eos, Ema- 3 'thiam, Amphipolim, Maroneam, Aenum, incolumes esse: 'apud se templa omnibus ornamentis compilata; spoliaque 'sacrilegii C. Lucretium navibus Antium devexisse, libera 'corpora in servitutem abrepta, fortunas sociorum populi 'Romani direptas esse, et quotidie diripi. Nam, ex insti- 'tuto C. Lucretii, Hortensium quoque in tectis hieme pa- 'riter atque aestate navales socios habere, et domos suas 'plenas turba nautica esse; versari inter se, coniuges, libe- 'rosque suos, quibus nihil neque dicere pensi sit, neque 8 'facere.' Arcessere in senatum Lucretium placuit, ut disceptaret coram, purgaretque sese. Ceterum multo plura praesens audivit, quam in absentem iacta erant; et graviores potentioresque accessere accusatores duo tribuni plebis, M'. Iuventius Thalna et Cn. Aufidius. Ii non in senatu modo eum lacerarunt, sed in concionem etiam pertracto, multis obiectis probris, diem dixerunt. Senatus iussu Chalcidensibus Q. Maenius praetor respondit: 'Quae bene 'meritos sese, et ante, et in eo bello, quod geratur, de po- 'pulo Romano dicant, ea et scire vera eos referre senatum, 'et, perinde ac debeant, grata esse. Quae facta a C. Lu- 'cretio, fierique ab L. Hortensio praetoribus Romanis que- 'rantur; ea neque facta, neque fieri voluntate senatus, 'quem non posse existimare, qui sciat, bellum Persi, et 'ante Philippo patri eius, intulisse populum Romanum pro 'libertate Graeciae, non ut ea a magistratibus socii atque 'amici paterentur? Literas se ad L. Hortensium praetorem 'daturos esse; quae Chalcidenses querantur acta, ea sena- 'tui non placere: si qui in servitutem liberi venissent, ut 'eos conquirendos primo quoque tempore, restituendosque 'in libertatem curaret: sociorum navalium neminem, prae- 4 'ter magistros, in hospitia deduci aequum censere.' Haec Hortensio iussu senatus scripta. Munera binum millium aeris legatis missa, et vehicula Mictioni publice locata, quae 5 eum Brundisium commode perveherent. C. Lucretium, ubi dies, quae dicta erat, venit, tribuni ad populum accusarunt, multamque decies centum millium aeris dixerunt.

Senatus responsum.

Lucretius damnatur.

3 *Qui exclusissent eos*] sc. Incolae urbium, quae postea enumerantur.

4 *Praeter magistros*] sc. Navium. cf. supr. xxix. 25.

5 *Publice locata*] Publica populi Romani impensa praebita, certo pretio redemptoribus condicto. Crev.

Comitiis habitis, omnes quinque et triginta tribus eum condemnarunt. U. C. 582. A. C. 170.

9. In Liguria nihil gestum.

In Liguribus eo anno nihil memorabile gestum. Nam nec hostes moverunt arma, neque consul in agrum eorum legiones induxit: et, satis explorata pace eius anni, milites duarum legionum Romanarum intra dies sexaginta, quam in provinciam venit, dimisit. Sociorum nominis Latini exercitu mature in hiberna Lunam et Pisas deducto, ipse cum equitibus Galliae provinciae pleraque oppida adiit.

Res in Illyrico gestae.

Nusquam alibi, quam in Macedonia, bellum erat: suspectum tamen et Gentium Illyriorum regem habebant.
6 Itaque et octo naves ornatas a Brundisio senatus censuit mittendas ad C. Furium legatum Issam, qui cum praesidio duarum Issensium navium insulae praeerat. Duo millia militum in eas naves sunt imposita, quae M. Raecius praetor ex senatusconsulto in ea parte Italiae, quae obiecta Illyrico est, conscripsit: et consul Hostilius Ap. Claudium in Illyricum cum quattuor millibus peditum misit, ut accolas Illyrici tutaretur. Qui, non contentus iis, quas adduxerat, copiis, auxilia ab sociis corrogando, ad octo millia hominum
7 vario genere armavit: peragrataque omni ea regione, ad Lychnidum Dassaretiorum consedit. Haud procul inde

10. Ap. Claudius ab Uscanensibus caesus.

8 Uscana oppidum finium plerumque Persei erat. Decem millia civium habebat, et modicum, custodiae causa, Cretensium praesidium. Inde nuntii ad Claudium occulti veniebant: 'Si propius copias admovisset, paratos fore, qui 'proderent urbem. Et operae pretium esse: non se ami'cosque tantum, sed etiam milites praeda expleturum.' Spes cupiditati admota ita occaecavit animum, ut nec ex
9 1 iis, qui venerunt, quemquam retineret; nec obsides, pignus futuros furto et fraude agendae rei, posceret; nec mitteret
2 exploratum; nec fidem acciperet. Die tantum statuta profectus a Lychnido, duodecim millia ab urbe, ad quam tendebat, posuit castra. Quarta inde vigilia signa movit, mille ferme ad praesidium castrorum relictis: incompositi, longo agmine effusi, infrequentes, quum nocturnus error dissiparet, ad urbem pervenerunt. Crevit negligentia, postquam neminem armatum in muris viderunt. Ceterum, ubi pri-
3 mum sub ictu teli fuerunt, duabus simul portis erumpitur;

6 *Naves ornatas*] sc. Militibus et rebus necessariis instructas. cf. supr. xl. 26. Doer.

7 *Vario genere*] Intelligenda est vox *hominum*, non *armorum*. cf. supr. xl. 42.

8 *Oppidum finium plerumque*] sc. Quod vulgo ad fines regni Persei referebatur, in finibus Macedoniae et Illyrici positum.

9 *Qui venerunt*] *Venerant* ex emendatione Gronovii reposuit Bekker.

1 *Pignus futuros furto et fraude agendae rei*] *Pignus futuros afore fraudem agendae rei* Bekker. in textum recepit.

2 *Fidem acciperet*] sc. Iureiurando.

3 *Sub ictu teli*] *Ictu* ex emendatione Drakenborchii in locum vocis

U. C. 582. A. C. 170. et ad clamorem erumpentium ingens strepitus e muris ortus ululantium mulierum cum crepitu undique aeris: et incondita multitudo, turba immixta servili, variis vocibus personabat. Hic tam multiplex undique obiectus terror effecit, ne sustinere primam procellam eruptionis Romani possent. Itaque fugientes plures, quam pugnantes, interempti sunt: vix duo millia hominum cum ipso legato in castra perfugerunt. Quo longius iter in castra erat, eo plures fessos consectandi hostibus copia fuit. Ne moratus quidem in castris Appius, ut suos dissipatos fuga colligeret, (quae res palatis per agros saluti fuisset) ad Lychnidum protinus reliquias cladis reduxit.

11. Haec et alia, haud prospere in Macedonia gesta, ex Sex. Digitio tribuno militum, qui sacrificii causa Romam venerat, sunt audita. Propter quae veriti Patres, ne qua maior ignominia acciperetur, legatos in Macedoniam, M. Fulvium Flaccum, et M. Caninium Rebilum, miserunt, qui comperta, quae agerentur, referrent: et ut A. Hostilius consul comitia consulibus subrogandis ita ediceret, uti mense Ianuario comitia haberi possent, et ut primo quoque tempore in 4 urbem rediret. Interim M. Raecio praetori mandatum, ut 5 edicto senatores omnes ex tota Italia, nisi qui reipublicae causa abessent, Romam revocaret: qui Romae essent, ne quis ultra mille passuum ab Roma abesset. Ea, uti senatus censuit, sunt facta. Comitia consularia ante diem quintum Kalendas Februarias fuere. Creati consules sunt Q. Mar- 6 cius Philippus iterum et Cn. Servilius Caepio. Post diem tertium praetores sunt facti, C. Decimius, M. Claudius Marcellus, C. Sulpicius Gallus, C. Marcius Figulus, Ser. Cornelius Lentulus, P. Fonteius Capito. Designatis praetoribus praeter duas urbanas, quattuor provinciae sunt decretae; Hispania, et Sardinia, et Sicilia, et classis. Legati ex Macedonia, exacto admodum mense Februario, redierunt. Hi, quas res ea aestate prospere gessisset rex Perseus, referebant, quantusque timor socios populi Romani cepisset, tot urbibus in potestatem regis redactis. 'Exercitum consulis 'infrequentem commeatibus vulgo datis per ambitionem 7 'esse: culpam eius rei consulem in tribunos militum, con- 'tra illos in consulem conferre.' Ignominiam, Claudii temeritate acceptam, elevare eos Patres acceperunt, qui per-

Comitia.

Status rerum in Macedonia.

iactu provenit. Solent quidem voces *ictus* et *iactus* confundi. cf. supr. xxvi. 40.

4 *Comitia haberi*] Vocem *comitia* bis positam tollendam esse censet Gronovius.

5 *M. Raecio*] Hoc nomen per diphthongum scribendum monuit Pighius in Annal. p. 369. Verum *Retio* mavult Crevierius.

6 *Februarias*] Ita Pighius pro vulg. *Septembres* emendavit.

7 *Per ambitionem*] sc. Per pravam indulgentiam, captandae militum gratiae causa.

paucos Italici generis, et magna ex parte tumultuario delectu conscriptos ibi milites amissos referebant. Consules designati, ubi primum magistratum inissent, de Macedonia referre ad senatum iussi: destinataeque provinciae iis sunt Italia et Macedonia. U. C. 582. A. C. 170.

Hoc anno intercalatum est: tertio die post Terminalia Kalendae intercalares fuere. Sacerdotes intra eum annum mortui, L. Flamininus * * pontifices duo decesserunt, L. Furius Philus et C. Livius Salinator. In locum Furii T. Manlium Torquatum, in Livii M. Servilium pontifices legerunt. U. C. 583. A. C. 169.

Principio insequentis anni quum consules novi Q. Marcius et Cn. Servilius de provinciis retulissent, primo quoque tempore aut comparare eos inter se Italiam et Macedoniam, aut sortiri placuit: priusquam id sors cerneret, in incertum, ne quid gratia momenti faceret, in utramque provinciam, quod res desideraret supplementi, decerni. In Macedoniam peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos. Veteres milites dimitti, ita ut in singulas Romanas legiones ne plus sena millia peditum, treceni equites essent. Alteri consuli nullus certus finitus numerus civium Romanorum, quem in supplementum legeret. Id modo finitum, ut duas legiones scriberet, quae quina millia peditum et ducenos haberent, equites trecenos. Latinorum maior, quam collegae, decretus numerus: peditum decem millia et sexcenti equites. Quattuor praeterea legiones scribi iussae, quae, si quo opus
9 esset, educerentur. Tribunos his, non permissum, ut consules facerent: populus creavit. Sociis nominis Latini 12. Q. Marcio II. Cn. Servilio Coss. Exercitus.

8 *Tertio die post Terminalia*] *Terminalia*, festus dies dei Termini, celebrabantur septimo Kal. Martias. cf. supr. i. 35. *Kalendae Intercalares* sunt Kalendae mensis Intercalaris, cf. supr. i. 19. Ceterum hic aliqua est difficultas. Etenim intercalatum esse semper postridie Terminalia colligi videtur ex Varrone. de Ling. Lat. vi. 3. et ex Macrob. Saturn. i. 13. Itaque Puteaneus existimat, libro de Bissexto, c. 2. legendum hic esse *postridie Terminalia*. Sed si hic status et sollennis fuit dies Kalendis Intercalaribus, ita ut nulla unquam ea in re varietas fuerit, quid attinebat id a Livio notari? Dodwellus Dissert. de Cyclis Rom. x. § 19. et seq. suspicatur, praeeunte aliquatenus Macrobio, diem unum a pontificibus per hunc annum exemptum fuisse, qui dies nunc redditur, ut plenum sit annui orbis spatium, et interponitur inter Terminalia, et Kalendas Intercalares. Quia autem id non semper accidebat, imo hic praeter solitum intercalandi morem fiebat, ideo notatur a Livio. CREV.

9 *Tribunos his*] Sensus est: in has quattuor legiones non a consulibus tribuni, sed a populo dati sunt. Nempe initio belli Macedonici, tertio ante hunc anno, permissum fuerat consulibus praetoribusque, ut eo anno tribunos militum facerent. cf. supr. xlii. 31. Id et duobus annis qui secuti sunt, videtur esse servatum, nisi quod in hisce quattuor legionibus, de quibus modo actum est, ius suum populus usurpare voluit, et tribunos militum suffragiis creare. CREV. cf. supr. vii. 5. ix. 50.

U. C. 583. A. C. 169. sexdecim millia peditum, et mille equites imperati. Hunc exercitum parari tantum placuit, ut exiret, si quo res posceret. Macedonia maxime curam praebebat. In classem mille socii navales cives Romani libertini ordinis, ex Italia[1] quingenti scribi iussi; totidem ut ex Sicilia scriberentur: et, cui ea provincia evenisset, mandatum, ut eos in Macedoniam, ubicunque classis esset, deportandos curaret. In Hispaniam tria millia peditum Romanorum in supplementum, trecenti equites decreti. Finitus ibi quoque in legiones militum numerus, peditum quina millia duceni, et treceni equites. Et sociis imperare praetor, cui Hispania obvenisset, iussus quattuor millia peditum, et trecentos equites.

13. Non sum nescius, ab eadem negligentia, qua nihil deos portendere vulgo nunc credant, neque nuntiari admodum[2] nulla prodigia in publicum, neque in annales referri. Ceterum et mihi, vetustas res scribenti, nescio quo pacto, antiquus fit animus; et quaedam religio tenet, quae illi prudentissimi viri publice suscipienda censuerint, ea pro indignis habere, quae in meos annales referam. Anagnia duo prodigia eo anno sunt nuntiata; facem in coelo conspectam, et bovem feminam locutam publice ali. Minturnis quoque per eos dies coeli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noctes lacrimavit. In urbe Romana duo aeditui nuntiarunt, alter, in aede Fortunae anguem iubatum a compluribus visum esse: alter, in aede Primigeniae Fortunae, quae in colle est, duo diversa prodigia; palmam in area enatam, et sanguine interdiu pluisse. Duo non suscepta prodigia sunt, alterum, quod in privato loco factum esset, palmam enatam in impluvio suo T. Marcius Figulus nuntiabat: alterum, quod in loco peregrino, Fregellis in domo L. Atrei hasta, quam filio militi emerat, interdiu plus duas horas arsisse, ita ut nihil eius ambureret ignis, dicebatur. Publicorum prodigiorum causa libri a decemviris aditi. Quadraginta maioribus hostiis quibus diis consules sacrificarent, ediderunt, et ut supplicatio fieret, cunctique magistratus circa omnia pulvinaria victimis maioribus sacrificarent, populusque coronatus esset. Omnia, uti decemviri praeierunt,[3] facta.

Prodigia.

14. Censoribus deinde creandis comitia edicta sunt. Peti-

Censores.

1 *Ex Italia quingenti*] Notam numeri sociorum, quae in plerisque editionibus abest, apposuit Kreyssigius. Locum signo apposito notavit Bekkerus.

2 *Neque nuntiari admodum nulla*] Duplicem negationem more Graecorum hic usurpari animadvertit Raschig. ut supr. ii. 45. iii. 26. xxxiii. 44.

3 *Praeierunt*] sc. Praeceperunt.

erunt censuram principes civitatis, C. Valerius Laevinus, U. C. 583.
P. Postumius Albinus, P. Mucius Scaevola, M. Iunius Bru- A. C. 169.
tus, C. Claudius Pulcher, Ti. Sempronius Gracchus. Hos
duos censores creavit populus Romanus. Quum delectus Delectus a praetoribus habitus.
habendi maior, quam alias, propter Macedonicum bellum
cura esset, consules plebem apud senatum accusabant, quod
4 et iuniores non responderent. Adversus quos C. Sulpicius
5 et M. Claudius praetores plebis causam egerunt. 'Non
6 'consulibus, sed ambitiosis consulibus, delectum difficilem
7 'esse: neminem invitum militem ab iis fieri. Id ut ita
8 'esse scirent et Patres conscripti, praetores, quibus et vis
'imperii minor et auctoritas esset, delectum, si ita senatui
9 'videretur, perfecturos esse.' Id praetoribus magna Pa-
trum * non sine sugillatione consulum, mandatum est.
Censores, ut eam rem adiuvarent, ita in concione edixerunt:
'Legem censui censendo dicturos esse, ut, praeter commune
1 'omnium civium iusiurandum, haec adiurarent: Tu minor
'annis sex et quadraginta es, tuque ex edicto C. Claudii,
'Ti. Sempronii censorum ad delectum prodibis: et, quo-
'tiescunque delectus erit, quem his censoribus magistratus
'habebunt, si miles factus non eris, in delectum prodibis.'
Item, quia fama erat, multos ex Macedonicis legionibus,
incertis commeatibus per ambitionem imperatorum, ab ex-
ercitu abesse, edixerunt de militibus, P. Aelio, C. Popillio
consulibus, postve eos consules in Macedoniam scriptis,
'Ut, qui eorum in Italia essent, intra dies triginta, censi
'prius apud sese, in provinciam redirent: qui in patris aut
'avi potestate essent, eorum nomina ad se ederentur. Mis-
'sorum quoque causas sese cognituros esse: et, quorum
2 'ante emerita stipendia gratiosa missio sibi visa esset, eos
'milites fieri iussuros.' Hoc edicto literisque censorum per
fora et conciliabula dimissis, tanta multitudo iuniorum Ro-
mam convenit, ut gravis urbi turba insolita esset. Praeter 15.
delectum eorum, quos in supplementum mitti oportebat,
quattuor a C. Sulpicio praetore scriptae legiones sunt, in-

4 *Et iuniores*] sc. Etiam illi, qui ad bella foris gerenda praesto essent. cf. supr. i. 43.

5 *Praetores*] Ita Perizonius emendavit pro vulg. *tribuni*, quum literae duae PR. oscitantia librariorum in TR. perperam mutatae essent.

6 *Neminem invitum militem ab iis fieri*] Sic probant Sulpicius et Marcellus ambitiosos esse consules, qui metu offensionum neminem militare invitum cogerent.

7 *Id ut ita esse*] Ut Patres conscripti quoque scirent id ita esse.

8 *Quibus et vis imperii minor et auctoritas esset*] Quorum et minor potestas, et minor dignatio esset. In *imperio* est vis cogendi: *auctoritas* venerationem conciliat. cf. supr. i. 7. *Evander tum ea . . . . auctoritate magis quam imperio regebat loca.* CREV.

9 *Magna Patrum . . .*] Vocem *consensione* post *patrum* adiecit Sigonius, ut mancum locum expleret.

1 *Iusiurandum*] cf. Supr. xxii. 38.

2 *Gratiosa missio*] sc. Quae per ambitionem et gratiam impetrata est. TURNEB.

U. C. 583. A. C. 169. Provinciarum sortitio.

traque undecim dies delectus est perfectus. Consules deinde sortiti provincias sunt. Nam praetores propter iurisdictionem maturius sortiti erant. Urbana C. Sulpicio, peregrina C. Decimio obtigerat: Hispaniam M. Claudius Marcellus, Siciliam Ser. Cornelius Lentulus, Sardiniam P. Fonteius Capito, classem C. Marcius Figulus erat sortitus. Consulum Cn. Servilio Italia, Q. Marcio Macedonia obvenit: Latinisque actis, Marcius extemplo est profectus. Caepione deinde referente ad senatum, quas ex novis legionibus duas legiones secum in Galliam duceret, decrevere Patres, ut C. Sulpicius, M. Claudius praetores ex his, quas scripsissent, legionibus, quas videretur, consuli darent. Indigne patiens praetorum arbitrio consulem subiectum, dimisso senatu, ad tribunal praetorum stans postulavit, ex senatusconsulto destinarent sibi duas legiones. Praetores consulis in eligendo arbitrium fecerunt.

Censura.

Senatum deinde censores legerunt: M. Aemilius Lepidus princeps ab tertiis iam censoribus lectus. Septem e senatu eiecti sunt. In censu accipiendo populi milites ex Macedonico exercitu, qui quam multi abessent ab signis, census docuit, in provinciam cogebant: causas stipendiis missorum 3
cognoscebant: et, cuius nondum iusta missio visa esset, ita iusiurandum adigebant: 'Ex tui animi sententia, tu ex 'edicto C. Claudii, Ti. Sempronii censorum in provinciam 'Macedoniam redibis, quod sine dolo malo facere poteris?'

16. Censores offendunt ordinem equestrem.

In equitibus recensendis tristis admodum eorum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt. In ea re quum equestrem ordinem offendissent, flammam invidiae 4
adiecere edicto, quo edixerunt, 'Ne quis eorum, qui Q. 'Fulvio, A. Postumio censoribus publica vectigalia aut 5
'ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet, so- 6
'ciusve aut affinis eius conductionis esset.' Saepe id que- 7
rendo veteres publicani quum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriae imponerent, tandem tribunum plebis P. Rutilium, ex rei privatae contentione iratum censoribus, patronum causae nacti sunt. Clientem 8

3 *Causas stipendiis missorum*] Causationes eorum, qui stipendiis missi erant, vel causas, ob quas vacatione militiae donati essent.

4 *Flammam invidiae adiecere*] Odium in se equestris ordinis magis inflammaverunt. Videlicet publicani ex equestri ordine erant. Crev.

5 *Ultro tributa*] cf. Supr. xxxix. 44.

6 *Ad hastam suam*] Ad locationes suas publicorum operum. cf. supr. xxiv. 18.

7 *Sociusve aut affinis*] sc. Ut qui pro conducentibus sese obligaret. cf. Cornel. Nep. Vit. Attici. *Ad hastam publicam nunquam accessit. Nullius rei neque praes neque mancepe factus est*, i. e. neque opera publica conducebat, neque pro conducentibus sese obligabat.

8 *Clientem libertinum*] Merito iudicat Gronovius legendum esse *huius*, nempe Rutilii, *clientem*; vel *clientem eius*. Crev.

libertinum parietem in Sacra via adversus aedes publicas demoliri iusserant, quod publico inaedificatus esset. Appellati a privato tribuni. Quum praeter Rutilium nemo intercederet, censores ad pignora capienda miserunt, multamque pro concione privato dixerunt. Hinc contentione orta, quum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: 'Quae publica vectigalia aut ultro tributa C. Claudius et 'Ti. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset. Ab 'integro locarentur, et ut omnibus redimendi et conducendi 'promiscue ius esset.' Diem ad eius rogationem concilio tribunus plebis dixit. Qui postquam venit, ut censores ad dissuadendum processerunt, Graccho dicente, silentium fuit. Quum Claudio obstreperetur, audientiam facere prae-
3 conem iussit. Eo facto, avocatam a se concionem tribunus questus, et in ordinem se coactum, ex Capitolio, ubi erat concilium, abiit. Postero die ingentes tumultus ciere. Ti.
4 Gracchi primum bona consecravit, quod in multa pignoribusque eius, qui tribunum appellasset, intercessioni non
5 parendo, se in ordinem coegisset. C. Claudio diem dixit,
6 quod concionem ab se avocasset, et utrique censori perdu-
7 ellionem se iudicare pronuntiavit, diemque comitiis a C. Sulpicio praetore urbano petiit. Non recusantibus censori-
8 bus, qui minus primo quoque tempore iudicium de se populus faceret, in ante dies octavum et septimum Kalendas Octobres comitiis perduellionis dicta dies. Censores ex-
9 templo in atrium Libertatis escenderunt: et, ibi signatis

U. C. 583. A. C. 169.

Tr. Pl. diem iis dicit.

9 *Publico inaedificatus*] Ita aedificatus, ut in locum publicum procurreret. cf. supr. xxxix. 44.

1 *Ad pignora capienda*] cf. Supr. iii. 38. Ceterum apud Gaii Institut. iv. § 26. ubi de pignoris capione in re vectigali mentio facta est, haud scio an *lege quoque censoria* legendum sit, ut Dirksenius coniecit, pro eo quod Klenzius et Böckingius receperunt, sc. *lege quoque Thoria*.

2 *Diem ad eius rogationem*] sc. Aut vocem *legis*, aut *tribuni* post *eius* subaudiendam esse patet. Ceterum *promulgabatur* lex, quum in propatulo per trinundinum inspicienda proponebatur, *rogabatur*, quum in sententiam populus mittebatur.

3 *Eo facto, avocatam a se concionem*] Nimirum tribunus habebat illam concionem et concilio praeerat, non censores. Quum igitur pro potestate iussisset Claudius praeconem audientiam facere, videbatur avocasse concionem a tribuno, id est, concionis moderamen abstulisse a tribuno et sibi vindicasse. Crev.

4 *Bona consecravit*] Formulam consecrationis, qua ius bonorum possessori adimeretur, apud Cic. pro Dom. § 123. inveneris. Ceterum ad irritum cadebant scenicae illae bonorum consecrationes.

5 *Se in ordinem coegisset*] sc. Excedendo magistratus sui potestatem, ius magistratus sui infregisset. cf. supr. iii. 35.

6 *Perduellionem se iudicare*] *Iudicare* de accusatore antiquitus dici supr. i. 26. notatum est. Ceterum *perduellio* pro quovis crimine usurpatur, quod civium iuri aut libertati vehementer noceat.

7 *Comitiis*] sc. Centuriatis, quum lege quadam XII. Tab. sancitum est, *de capite civis nisi per maximum comitiatum ne ferunto*.

8 *Qui minus*] *Qui* hic more antiquo est casus sextus pro *quo*, ut supr. iii. 40. xxviii. 43.

9 *In atrium Libertatis*] Ubi tabulae publicae asservabantur.

U. C. 583. A. C. 169. tabellis publicis, clausoque tabulario, et dimissis servis publicis, negarunt, se prius quicquam publici negotii gesturos, quam iudicium populi de se factum esset. Prior Claudius causam dixit: et, quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi, annulis aureis positis, vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent. Maxime tamen sententiam vertisse dicitur T. Gracchus, quod, quum clamor undique plebis esset, periculum Graccho non esse, conceptis verbis iuravit, si collega damnatus esset, non exspectato de se iudicio, comitem exsilii eius futurum. Adeo tamen ad extremum spei venit reus, ut octo centuriae ad damnationem defuerint. Absoluto Claudio, tribunus plebis negavit se Gracchum morari.

Absolvuntur.

17. Eo anno, postulantibus Aquileiensium legatis, ut numerus colonorum augeretur, mille et quingentae familiae ex senatusconsulto scriptae, triumvirique, qui eas deducerent, missi sunt, T. Annius Luscus, P. Decius Subulo, M. Cornelius Cethegus. Eodem anno C. Popillius et Cn. Octavius legati, qui in Graeciam missi erant, senatusconsultum, Thebis primum recitatum, per omnes Peloponnesi urbes circumtulerunt, 'Ne quis ullam rem in bellum magistratibus Romanis conferret, praeterquam quod senatus censuisset.' Hoc fiduciam in posterum quoque praebuerat, levatos se oneribusque impensisque, quibus, alia aliis imperantibus, exhauriebantur. Achaico concilio Aegii agitato, benigne locuti auditique, egregia spe futuri status fidissima gente relicta, in Aetoliam traiecerunt. Ibi nondum quidem seditio erat, sed omnia suspecta, criminumque inter

Legati Rom. in Graecia.

9 *Servis publicis*] Qui ad ministeria tabularii censoribus praesto essent.

1 *Ex duodecim centuriis*] sc. Plebeiorum equitum, qui post *sex* illa *suffragia* patriciorum equitum a Servio conscripti erant, qui tamen in prima classe ante patricios equites in suffragium mittebantur. cf. supr. i. 43. *Octodecim* pro *duodecim* reponendum suadent Gronov. et Crevier.

2 *Primae classis*] sc. Quae ex centuriis urbanarum tribuum atque equitum plebeiorum constabat. cf. Niebhr. iii. n. 570. supr. ix. 46.

3 *Aegii agitato*] *Aegii* emendavit Ursinus pro vulg. *Argis*, quod Bekker. tuetur. *Aegii* Polybius Legat. 74. exhibet, et Livium ex Polybio emendandum esse Drakenborchius et Crevierius monent.

4 *Benigne locuti*] Sed magis ut servirent temporibus, quam ex animo. Etenim "dicebantur," inquit Polybius, "accusaturi Lycortam, et Archonem, et Polybium, tanquam alienos a populi Romani rebus. Id tamen facere non sunt ausi, quod nullam causam satis probabilem haberent, cur eos reos agerent." Crev.

5 *Egregia spe*] Id est, in egregia spe futuri status. Ceterum, si hoc durius videtur, lege cum Mureto: *Egregia spe . . . . fidissimae genti relicta.* Crev.

6 *Omnia suspecta, criminumque inter ipsos plena*] Rem fusius exponit Polybius, docetque criminationes illas inde ortas esse, quod hi ceteros contenderent haud sincera fide cum Romanis sentire; illi accusatores suos calumniis in se grassari dicerent, quo potentioribus adularentur. Crev.

ipsos plena. Ob quae obsidibus postulatis, neque exitu rei imposito, in Acarnaniam inde profecti legati sunt. Thyrii concilium legatis Acarnanes dederunt. Ibi quoque inter factiones erat certamen. Quidam principum postulare, ut praesidia in urbes suas inducerentur adversus amentiam eorum, qui ad Macedonas gentem trahebant: pars recusare, ne, quod bello captis et hostibus mos esset, id pacatae et sociae civitates ignominiae acciperent. Iusta deprecatio haec visa. Larissam ad Hostilium proconsulem (ab eo enim missi erant) legati redierunt. Octavium retinuit secum. Popillium cum mille ferme militibus in hiberna Ambraciam misit. U. C. 583. A. C. 169.

18. Perseus, principio hiemis egredi Macedoniae finibus non ausus, ne qua in regnum vacuum irrumperent Romani, sub tempus brumae, quum inexsuperabiles ab Thessalia montes nivis altitudo facit, occasionem esse ratus frangendi finitimorum spes animosque, ne quid, averso se in Romanum bellum, periculi subesset, quum a Thracia pacem Cotys, ab Epiro Cephalus repentina defectione ab Romanis praestarent, Dardanos recens domuisset bellum, solum infestum esse Macedoniae latus, quod ab Illyrico pateret, cernens, 8 neque ipsis quietis Illyriis, et aditum praebentibus Romanis, si domuisset proximos Illyriorum, Gentium quoque regem iam diu dubium in societatem pellici posse, cum decem millibus peditum, quorum pars phalangitae erant, et duobus millibus levium armorum, et quingentis equitibus profectus, Stuberam venit. Inde frumento complurium dierum sumpto, iussoque apparatu oppugnandarum urbium sequi, tertio 9 die ad Uscanam (Penestianae terrae ea maxima urbs est) posuit castra: prius tamen, quam vim admoveret, missis, qui tentarent nunc praefectorum praesidii, nunc oppidanorum animos. Erat autem ibi cum iuventute Illyriorum Romanum praesidium. Postquam nihil pacati referebant, oppugnare est adortus, et corona eam capere conatus est. Quum sine intermissione interdiu noctuque alii aliis succe- 1 dentes, pars scalas muris, ignem portis inferrent, sustinebant tamen eam tempestatem propugnatores urbis; quia spes erat, neque hiemis vim diutius pati Macedonas in aperto

Persei expeditio in Illyricum.

7 *Thyrii*] Nomen huius urbis varie scribitur, *Tyrrheum*, *Thyreum*, *Thurium*, *Thyrium*. cf. Cellar. Geogr. Ant. ii. 13. Crev.

8 *Aditum praebentibus Romanis*] Quum Illyrii praeberent aditum Romanis. Magis placeret quod Gronovius subiicit, *Romano*. Crev.

9 *Ad Uscanam*] Urbs haec in potestatem Romanorum nuper venisse videtur, quum supr. 10. frustra ab Appio Claudio tentata fuisse narretur.

1 *Pars scalas muris, ignem portis*] Magis placeret cum eodem Gronovio legere: *scalas muris, pars ignem portis inferrent*. In priore enim potius, quam in posteriore membro, omittere solet Livius vocem qua partitio significatur. *Virgis caedi, alii securi subiici*, supr. iii. 37. Crev.

U. C. 583. A. C. 169. posse, nec ab Romano bello tantum regi laxamenti fore, ut posset morari. Ceterum, postquam vineas agi, turresque excitari viderunt, victa pertinacia est. Nam, praeterquam quod adversus vim pares non erant, ne frumenti quidem aut ullius alterius rei copia intus erat, ut in necopinata obsidione. Itaque quum spei nihil ad resistendum esset, C. Carvilius Spoletinus et C. Afranius a praesidio Romano missi, qui a Perseo peterent, primo, ut armatos suaque secum ferentes abire sineret; dein, si id minus impetrarent, vitae tantum libertatisque fidem acciperent. Promissum id benignius est ab rege, quam praestitum. Exire enim sua secum efferentibus iussis primum arma ademit. His urbe egressis, et Illyriorum cohors, (quingenti erant) et
19. Uscanenses se urbemque dediderunt. Perseus, praesidio Uscanae imposito, multitudinem omnem deditorum, quae prope numero exercitum aequabat, Stuberam abducit. Ibi Romanis, (quattuor millia autem hominum erant) praeter principes, in custodiam civitatium divisis, Uscanensibus Illyriisque venditis, in Penestiam exercitum reducit ad Oaeneum oppidum in potestatem redigendum. Et alioqui opportune situm, et transitus ea est in Labeates, ubi Gentius regnabat. Praetereunti frequens castellum, Draudacum nomine, peritorum quidam regionis eius, 'nihil Oaeneo capto opus esse,' ait, 'nisi in potestate et Draudacum sit: opportunius etiam ad omnia positum esse.' Admoto exercitu, omnes extemplo dediderunt sese. Qua spe celeriore deditione erectus, postquam animadvertit, quantus agminis sui terror esset, undecim alia castella eodem metu in potestatem redigit. Ad perpauca vi opus fuit, cetera voluntate dedita: et in his recepti mille et quingenti dispositi per praesidia milites Romani. Magno usui Carvilius Spoletinus erat in colloquiis, dicendo, nihil in ipsos saevitum. Ad Oaeneum perventum est, quod sine iusta oppugnatione capi non poterat. Et maiore aliquanto, quam cetera, iuventute, et validum oppidum moenibus erat: et hinc amnis Artatus nomine, hinc mons praealtus et aditu difficilis cingebat. Haec spem ad resistendum oppidanis dabant. Perseus, circumvallato oppido, aggerem a parte superiore ducere instituit, cuius altitudine muros superaret. Quod opus dum perficitur, crebris interim proeliis, quibus per excursiones et moenia sua oppidani tutabantur, et opera hostium impediebant, magna eorum multitudo variis casibus absumpta est: et, qui supererant, labore diurno nocturnoque et vulneribus inutiles erant. Ubi primum agger in-

2 *Romanis . . . . praeter principes, in custodiam civitatium divisis*] Principes nempe secum habuit, ut colligitur ex iis quae dicuntur infra de Carvilio. Ceteros custodiendos per civitates diviait. Crev.

iunctus muro est, et cohors regia, quos Nicatoras appellant, U. C. 583.
transcendit, et scalis multis simul partibus impetus in urbem A. C. 169.
est factus. Puberes omnes interfecti sunt: coniuges liberosque eorum in custodiam dedit: praedae alia militum
3 cessere. Stuberam inde victor revertens ad Gentium lega- Legatos ad Gentium Perseus mittit.
tos, Pleuratum Illyrium, exsulantem apud se, et Adaeum Macedonem a Beroea, mittit. Iis mandat, ut exponerent aestatis eius hiemisque acta sua adversus Romanos Darda-
4 nosque: adiicerent recentia in Illyrico hibernae expeditionis opera: hortarentur Gentium in amicitiam secum et cum Macedonibus iungendam. Hi, transgressi iugum 20.
Scordi montis, per Illyrici solitudines, quas de industria populando Macedones fecerant, ne transitus faciles Darda-
5 nis in Illyricum aut Macedoniam essent, Scodram labore ingenti tandem pervenerunt. Lissi rex Gentius erat. Eo Gentius pecuniam poscit.
acciti legati, mandata exponentes, benigne auditi sunt: qui responsum sine effectu tulerunt: 'Voluntatem sibi non 'deesse ad bellandum cum Romanis: ceterum ad conan-'dum id, quod velit, pecuniam maxime deesse.' Haec Stuberam retulere regi, tum maxime captivos ex Illyrico vendenti. Extemplo iidem legati, addito Glaucia ex numero custodum corporis, remittuntur sine mentione pecuniae, qua una barbarus inops impelli ad bellum poterat. Ancyram inde populatus Perseus, in Penestas rursum exercitum reducit: firmatisque Uscanae, et circa eam per omnia castella, quae receperat, praesidiis, in Macedoniam sese recipit.

L. Coelius, legatus Romanus, praeerat Illyrico: qui, 21.
6 moveri non ausus, quum in iis locis rex esset, post profec- Res gestae a Rom. in Illyrico.
tionem demum eius conatus in Penestis Uscanam recipere, a praesidio, quod ibi Macedonum erat, cum multis vulneribus repulsus, Lychnidum copias reduxit. Inde post dies paucos M. Trebellium Fregellanum cum satis valida manu in Penestas misit ad obsides ab his urbibus, quae in amicitia cum fide permanserant, accipiendos. Procedere etiam in Parthinos (ii quoque obsides dare pepigerant) iussit: ab utraque gente sine tumultu exigi. Penestarum obsides Apolloniam, Parthinorum Dyrrhachium (tum Epidamni magis celebre nomen Graecis erat) missi. Ap. Claudius,
7 acceptam in Illyrico ignominiam corrigere cupiens, Phano-

3 *Adaeum Macedonem*] *Adaeum* pro vulg. *Aputeum* ex Polyb. Leg. 76. reposuit Valesius.

4 *In amicitiam*] Magis placeret Crevierio, si legeretur *ad amicitiam*.

5 *Scodram*] Sedem regiam Gentii in Illyrico. Doer.

6 *Moveri*] *Moveri* hoc loco pro *movere*, vel *se movere* poni Douiatius monet, ceterum plures viri docti locum corruptum esse existimant, et *movere* legendum suadent.

7 *Phanoten*] *Phanotam* reposuit Bekker. Castellum *Phanota* infr. xlv. 26. memoratur.

U. C. 583. A. C. 169. ten Epiri castellum adortus oppugnare, et auxilia Athamanum Thresprotorumque, praeter Romanum exercitum, ad sex millia hominum secum adduxit: neque operae pretium fecit, Cleva, qui relictus a Perseo erat, cum valido praesidio defendente. Et Perseus, Elimeam profectus, et circa eam 8 exercitu lustrato, ad Stratum, vocantibus Epirotis, ducit. 9 Stratus validissima tum urbs Aetoliae erat. Sita est super Ambracium sinum, prope amnem Inachum. Cum decem 1 millibus peditum eo profectus est et equitibus trecentis: quos pauciores propter angustias viarum et asperitatem duxit. Tertio die quum pervenisset ad Citium montem, vix transgressus propter altitudinem nivis, locum quoque castris aegre invenit. Profectus inde, magis quia manere non poterat, quam quod tolerabilis aut via aut tempestas esset, cum ingenti vexatione, praecipue iumentorum, altero die ad templum Iovis, Nicaeum quem vocant, posuit castra. Ad Arachthum indè flumen, itinere ingenti emenso, retentus altitudine amnis, mansit. Quo spatio temporis ponte 2 perfecto, traductis copiis diei progressus iter, obvium Archidamum principem Aetolorum, per quem ei Stratus tradebatur, habuit. Eo die ad finem agri Aetoli castra posita.

Perseus ad Stratum it.

22. Stratum intrant Romani.

Inde altero die ad Stratum perventum: ubi, prope Inachum amnem castris positis, quum exspectaret, effusos omnibus portis Aetolos in fidem suam venturos, clausas portas, atque ipsa ea nocte, qua venerat, receptum Romanum praesidium cum C. Popillio legato invenit. Principes, qui praesentis Archidami auctoritate compulsi regem arcessierant, obviam egresso Archidamo segniores facti, locum adversae factioni dederant ad Popillium cum mille peditibus ab Ambracia arcessendum. In tempore et Dinarchus, praefectus equitum gentis Aetolorum, cum sexcentis peditibus et equitibus centum venit. Satis constabat, eum, tanquam ad Persea tendentem, Stratum venisse: mutato deinde cum fortuna animo, Romanis se, adversus quos venerat, iunxisse. Nec Popillius securior, quam debebat esse, inter tam mobilia ingenia erat. Claves portarum custodiamque murorum suae extemplo potestatis fecit: Dinarchum Aetolosque cum iuventute Stratiorum in arcem per praesidii speciem amovit.

8 *Elimeam*] Urbem in regione Elimiotide.

9 *Ad Stratum, vocantibus Epirotis*] Ex iis quae sequuntur, videtur legendum esse potius *Aetolis*. Namque Stratus urbs *Aetoliae* est: traditur per Archidamum principem *Aetolorum*: denique rex, ubi ad Stratum accessit, exspectat effusos omnibus portis *Aetolos* in fidem suam venturos. Crev.

1 *Prope amnem Inachum*] *Inachum* pro vulg. *Acheloum* emendavit Kreyssigius, quem auctorem secutus est Bekker.

2 *Mansit*] Vocem aliquam hic excidisse censet Perizonius, qui *diem*, *biduum*, vel tale quid desiderat. Locum asteriscis notavit Bekker.

Perseus, ab imminentibus superiori parti urbis tumulis tentatis colloquiis, quum obstinatos atque etiam telis procul arcentes videret, quinque millia passuum ab urbe trans Petitarum amnem posuit castra. Ibi consilio advocato, quum Archidamus Epirotarumque transfugae retinerent, Macedonum principes non pugnandum cum infesto tempore anni censerent, nullis praeparatis commeatibus; quum inopiam prius obsidentes, quam obsessi, sensuri essent, maxime quod hostium haud procul inde hiberna erant; territus in Aperantiam castra movit. Aperanti eum, propter Archidami magnam in ea gente gratiam auctoritatemque, consensu omnium acceperunt: is ipse cum octingentorum militum praesidio his est praepositus. Rex cum non minore vexatione iumentorum hominumque, quam venerat, in Macedoniam rediit. Appium tamen ab obsidione Phanotes fama ducentis ad Stratum Persei summovit. Clevas, cum praesidio impigrorum iuvenum insecutus, sub radicibus prope inviis montium ad mille hominum ex agmine impedito occidit, ad ducentos cepit. Appius, superatis angustiis, in campo, quem Meleona vocant, stativa dierum paucorum
6 habuit. Interim Clevas, assumpto Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat, in agrum Antigonensem transcendit. Macedones ad depopulationem profecti; Philostratus cum cohorte sua in insidiis loco obscuro consedit. In palatos populatores quum erupissent ab Antigonea armati, fugientes eos persequentes effusius in vallem insessam ab hostibus praecipitant. Ibi ad mille occisis, centum ferme captis, ubique prospere gesta re, prope stativa Appii castra movent, ne qua vis sociis suis ab Romano exercitu inferri possit. Appius, nequicquam in his locis terens tempus, dimissis Chaonumque, et si qui alii Epirotae erant, praesidiis, cum Italicis militibus in Illyricum regressus, per Parthinorum socias urbes in hiberna militibus dimissis, ipse Romam sacrificii causa rediit. Perseus ex Penestarum gente mille pedites, ducentos equites revocatos, Cassandream, praesidio ut essent, misit. Ab Gentio eadem afferentes redierunt. Nec deinde alios atque alios mittendo

U. C. 583. A. C. 169.

Regreditur Perseus.

23.

3 *Epirotarumque transfugae*] Ii procul dubio erant ex factione Cephali, de quo supr. 18. et ideo dicuntur transfugae, quia quum primo ab Romanis stetissent, ab iis postea defecerant. Nisi forte hic quoque legendum est *Aetolorum*. Crev.

4 *Retinerent*] Suaderent regi, ne regrederetur. Doer.

5 *Rex cum non minore*] Olim *cum minore*. Emendavit Gronovius ex Freinshemii sententia.

6 *Philostrato, qui Epirotarum gentem habebat*] Hoc obscurum est; et auget mendi suspicionem id quod sequitur: *Philostratus cum cohorte sua*. An enim Epirotarum gens contribui poterat in unam cohortem? Legere possumus hic *Epirotarum transfugas*, si recte illi nominati sunt cap. praecedenti. Crev.

U. C. 583. A. C. 169. tentare eum destitit, quum appareret, quantum in eo praesidii esset; nec tamen impetrare ab animo posset, ut impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret.

7 *Ut impensam in rem maximi ad omnia momenti faceret*] Hic asteriscum apposuerat Sigonius, quod ea, quae de Olonico Hispano in epitome huius libri traduntur, ad Clondicum Bastarnarum ducem a Livio nominatum supr. xl. 58. retulerit: quem in Paeonia fecisse aliquem motum existimavit, et ibi interemptum esse. Ea igitur quae ad illum Clondicum spectarent, hic excidisse putavit. Sed quum multo probabilior sit, ut supra annotavimus, de Olonico coniectura Gronovii, qui illum eundem esse cum Flori Salondico arbitratus est, nulla satis idonea ratione videtur motus esse Sigonius, ut mutilum hic esse librum arbitraretur. Douiatius Sigonii auctoritate motus credidit et ipse hic aliquid intercidisse, inseruitque hoc loco rogationem a Voconio promulgatam et perlatam de coërcendis mulierum hereditatibus. Sed de lege Voconia egerat Livius supr. xli. ut apparet ex epitome illius libri. Credimus igitur nihil ex fine huius libri xliii. perisse. Crev.

EPITOME LIBRI XLIV.

Q. MARCIUS PHILIPPUS per invios saltus penetravit in Macedoniam, compluresque urbes occupavit. Rhodii misere legatos Romam, minantes, se Perseo auxilio futuros, nisi populus Romanus cum eo pacem atque amicitiam iungeret. Indigne id latum. Quum id bellum L. Aemilio Paullo, sequentis anni consuli iterum, mandatum esset, Paullus, in concione precatus, ut, quicquid diri populo Romano immineret, in domum suam converteretur, et in Macedoniam profectus, vicit Persen, totamque Macedoniam in potestatem redegit. Antequam confligeret, C. Sulpicius Gallus tribunus militum praedixit exercitui, ne miraretur, quod luna nocte proxima defectura esset. Gentius quoque rex Illyriorum, quum rebellasset, ab Anicio praetore victus, venit in deditionem, et cum uxore, et liberis, et propinquis, Romam missus est. Alexandria legati a Cleopatra et Ptolemaeo regibus venerunt, querentes de Antiocho rege Syriae, quod his bellum inferret. Perses, sollicitatis in auxilium Eumene rege Pergami, et Gentio rege Illyriorum, quia his pecuniam, quam promiserat, non dabat, ab iis relictus est.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLIV.

U. C. 583. A. C. 169. Marcius Cos. et Marcius praetor traiiciunt in Graeciam.

PRINCIPIO veris, quod hiemem eam, qua haec gesta sunt, insecutum est, ab Roma profectus Q. Marcius Philippus consul cum quinque millibus, quod in supplemen- 1
tum legionum secum traiecturus erat, Brundisium pervenit. 2
M. Popillius consularis et alii pari nobilitate adolescentes tribuni militum in Macedonicas legiones consulem secuti sunt. Per eos dies et C. Marcius Figulus praetor, cui classis provincia evenerat, Brundisium venit: et simul ex Italia profecti, Corcyram altero die, tertio Actium Acarnaniae portum tenuerunt. Inde consul, ad Ambraciam egressus, itinere terrestri petit Thessaliam. Praetor, superato Leucata, Corinthium sinum invectus, et Creusae relictis navibus, terra et ipse per mediam Boeotiam (diei unius expedito iter est) Chalcidem ad classem contendit. Castra eo tempore A. Hostilius in Thessalia circa Palaepharsalum habebat; sicut nulla re bellica memorabili gesta, ita ad 3
cunctam militarem disciplinam ab effusa licentia formato milite, et sociis cum fide cultis, et ab omni genere iniuriae defensis. Audito successoris adventu, quum arma, viros, equos cum cura inspexisset, ornato exercitu obviam venienti consuli processit. Et primus eorum congressus ex dignitate ipsorum ac Romani nominis, et in rebus deinde 4
gerendis *. Proconsul enim ad exercitum * *. Paucis

1 *Cum quinque millibus*] Deest profecto hic aliquid. Numerus enim absolute et per se, non adiecta re quae numeretur, stare in oratione non potest. Sed et numerus ipse hoc loco videtur vitiatus esse, quum supr. xliii. 12. decreverit senatus in supplementum Macedonici exercitus *peditum Romanorum sex millia, sociorum nominis Latini sex millia: equites Romanos ducentos quinquaginta, socios trecentos.* CREV.

2 *Quod in supplementum*] Praepositionem *in* delendam censet Gronovius. Drakenborchius vocem *quot* pro *quod* reponendam suspicatur.

3 *Ad cunctam militarem disciplinam*] Ad omne militaris disciplinae genus.

4 *Et in rebus deinde gerendis**] Hunc locum sic explet Sigonius: "et in rebus deinde gerendis summe utilis Philippo consuli fuit. Proconsul enim ad exercitum conversus, eum ad rem fortiter gerendam hortatus est, eoque consuli tradito Romam reversus

post diebus consul concionem apud milites habuit. Orsus U. C. 583.
5 a parricidio Persei perpetrato in fratrem, cogitato in parentem, adiecit, 'post scelere partum regnum, veneficia, caedes, 'latrocinio nefando petitum Eumenem, iniurias in populum 'Romanum, direptiones sociarum urbium contra foedus, ea 'omnia quam diis quoque invisa essent, sensurum in exitu 'rerum suarum. Favere enim pietati fideique deos, per 'quae populus Romanus ad tantum fastigii venerit.' Vires deinde populi Romani, iam terrarum orbem complectentis, cum viribus Macedoniae, exercitus cum exercitibus comparavit. 'Quanto maiores Philippi Antiochique opes non 'maioribus copiis fractas esse?' Huius generis adhortatione 2.
accensis militum animis, consultare de summa gerendi belli coepit. Eo et C. Marcius praetor a Chalcide, classe accepta, venit. Placuit, non ultra morando in Thessalia tempus terere, sed movere extemplo castra, atque pergere inde in Macedoniam; et praetorem dare operam, ut eodem tempore classis quoque invehatur hostium litoribus. Prae-
6 tore dimisso, consul, menstruum iusso milite secum ferre, profectus decimo post die, quam exercitum acceperat, castra movit: et, unius diei progressus iter, convocatis iti-
7 nerum ducibus, quum, exponerent in consilio, iussisset, qua
8 quisque ducturus esset; summotis iis, quam potissimum peteret, retulit ad consilium. Aliis per Pythium placebat via: aliis per Cambunios montes, qua priore anno duxerat Hostilius consul: aliis praeter Ascuridem paludem. Re-
9 stabat aliquantum viae communis: itaque in id tempus, quo prope divortium itinerum castra posituri erant, deliberatio eius rei differtur. In Perrhaebiam inde ducit, et inter Azorum et Dolichen stativa habuit ad consulendum rursus, quam potissimum capesseret viam. Per eosdem dies Perseus, quam appropinquare hostem sciret, quod iter petiturus esset ignarus, omnes saltus insidere praesidiis statuit. In iugum Cambuniorum montium (Volustana ipsi vocant)

A. C. 169.

Cos. in Macedoniam contendit.

est." Sed quis dixerit eum summe utilem duci fuisse in rebus gerendis, qui tantummodo hortatus milites ad rem fortiter gerendam statim abierit? Omittimus inelegantiam dictionis, et geminatas odiose voces. Nobis non libet hariolari in re omnino obscura. Mens Livii ex reliquiis eius non satis apparet, ut eam expiscari posse videamur; nec alii auctores adiuvant. Locum ergo mutilum relinquimus. Crev.

5 *Cogitato in parentem*] Nihil ea de re antea memoravit Livius. Crev.

6 *Menstruum*] Frumentum, quod in mensem cuique sufficeret.

7 *Exponerent in consilio, iussisset*] *Exponere* Gronovius mavult, ceterum *exponerent* familiari ellipsi, pro *ut exponerent*, hoc loco positum esse monet Doeringius.

8 *Quam potissimum peteret*] Vocem *viam* excidisse suspicatur Gronovius, sed Crevierius eam ex praecedentibus repetendam censet.

9 *Viae communis*] Quae pariter ad Pythium, ad Cambunios montes, et ad Ascuridem paludem duceret. Crev.

U. C. 583. A. C. 169. Perseus aditus occupat.

decem millia levis armaturae iuvenum cum duce Asclepio- 1
doto mittit: ad castellum, quod super Ascuridem paludem erat, (Lapathus vocatur locus) Hippias tenere saltum cum duodecim millium Macedonum praesidio iussus. Ipse cum reliquis copiis primo circa Dium stativa habuit: deinde, adeo ut obtorpuisse inops consilii videretur, cum equitibus expeditis litore nunc Heracleum, nunc Philam percurrebat, eodem inde cursu Dium repetens.

3. Macedoniam ingreditur Marcius.

Interim consuli sententia stetit eo saltu ducere, ubi 2
propter Ortholophum diximus regis castra*. Praemitti tamen quattuor millia armatorum ad loca opportuna praeoccupanda placuit: quis praepositi sunt M. Claudius, Q. Marcius consulis filius. Confestim et universae copiae sequebantur. Ceterum adeo ardua et aspera et confragosa via fuit, ut praemissi expediti biduo quindecim millium passuum aegre itinere confecto castra posuerint: turrim 3
Eudieru, quem cepere, locum appellant. Inde postero die septem millia progressi, tumulo haud procul hostium castris 4
capto, nuntium ad consulem remittunt: 'Perventum ad 'hostem esse: loco se tuto et ad omnia opportuno con-'sedisse; ut, quantum extendere iter posset, conseque-'retur.' Sollicito consuli et propter itineris difficultatem, quod ingressus erat, et eorum vicem, quos paucos inter media praesidia hostium praemiserat, nuntius ad Ascuridem paludem occurrit. Addita igitur et ipsi fiducia est, coniunctisque copiis, castra tumulo, qui tenebatur, qua aptissimum ad loci naturam erat, sunt acclinata. Non hostium modo castra, quae paullo plus mille passuum aberant, sed omnis regio ad Dium et Philam, oraque maris,

1 *Decem millia levis armaturae iuvenum*] Dele otiosam vocem *iuvenum*. Nisi forte illius loco fuit nomen gentis, quaecunque tandem illa sit: ut in altero praesidio, quocum mox Hippias dicitur iussus tenere saltum ad Lapathunta, diserte exprimitur illud fuisse *duodecim millium Macedonum*. Crev.

2 *Ubi propter Ortholophum diximus regis castra*] Subiicit Sigonius *Philippi fuisse*, et lectorem remittit ad xxxi. 36. ubi revera reperitur pugna equestris ad Ortholophum inter Philippum regem, et Sulpicium consulem Romanum. Sed si quis totam narrationem rerum a Sulpicio adversus Philippum gestarum sedulo expenderit, facile animadvertet Ortholophum libro xxxi. memoratum ad occiduum Macedoniae latus situm fuisse, ac longe afuisse ab Heracleo, et Phila, et Dio, quae prima Macedoniae oppida hic Marcio e iugis degresso occurrunt. Vel igitur duplex locus fuit qui Ortholophi nomen haberet, alter in Dassaretiis, alter in finibus Perrhaebiae; vel hic mendum agnoscendum est. Quae desunt, explere non tentamus. Regem, tamen cuius hic mentio fit, potius Persea fuisse credimus, quam Philippum. Crev.

3 *Turrim Eudieru*] Si nihil est in hoc nomine vitii, intellige Graecum esse vocabulum in patrio casu, εὐδιεροῦ. Διερὸς humidus. Itaque turris εὐδιεροῦ dicta fuerit ab amoenitate et bonitate aquarum. Crev.

4 *Haud procul hostium castris*] Castra illa hostium intellige praesidium Macedonum, cui praeerat Hippias, ut patet ex c. seq. Crev.

late patente ex tam alto iugo prospectu, oculis subiicitur. U. C. 583.
Quae res accendit militi animos, postquam summam belli, A. C. 169.
ac regias omnes copias, terramque hostilem tam e propinquo conspexerunt. Itaque quum alacres, protinus duceret ad castra hostium, consulem hortarentur; dies unus fessis labore viae ad quietem datus est. Tertio die, parte copiarum ad praesidium castrorum relicta, consul ad hostem ducit. Hippias nuper ad tuendum saltum ab rege missus erat: qui, ex quo castra Romana in tumulo conspexit, praeparatis ad certamen animis suorum, venienti agmini consulis obvius fuit. Et Romani expediti ad pugnam exierant, et hostes. Levis armatura erat, promptissimum genus ad lacessendum certamen. Congressi igitur extemplo, tela coniecerunt. Multa utrimque vulnera temerario incursu et accepta, et illata: pauci utriusque partis ceciderunt. Irritatis in posterum diem animis, maioribus copiis atque infestius concursum ab illis, si loci satis ad explicandam aciem fuisset. Iugum montis, in
5 angustum dorsum cuneatum, vix ternis ordinibus armatorum in fronte patuit. Itaque, paucis pugnantibus, cetera multitudo, praecipue qui gravium armorum erant, spectatores pugnae stabant. Levis armatura etiam per anfractus iugi procurrere, et ab lateribus cum levi armatura
6 conserere, per iniqua atque aequa loca pugnam petere. Ac, pluribus ea die vulneratis, quam interfectis, proelium nocte diremptum est.

4. Levia proelia cum Macedonibus.

Tertio die egere consilio Romanus imperator: nam neque manere in iugo inopi, neque regredi sine flagitio, atque etiam periculo, si cedenti ex superioribus locis instaret hostis, poterat: nec aliud restabat, quam audacter commissum pertinaci audacia, quae prudens interdum in exitu est, corrigere. Ventum quidem erat eo, ut, si hostem similem antiquis Macedonum regibus habuisset consul, magna clades accipi potuerit. Sed, quum ad Dium per litora cum equitibus vagaretur rex, et ab duodecim millibus prope clamorem et strepitum pugnantium audiret, nec auxit copias integros fessis summittendo, neque ipse, quod plurimum intererat, certamini affuit: quum Romanus imperator, maior sexaginta annis, et praegravis corpore, omnia militaria munera ipse impigre obiret. Egregie ad ultimum in audacter commisso perseveravit: et, Popillio relicto in custodia iugi, per invia transgressus, praemissis, qui repurgarent iter, Attalum et Misagenem, cum suae

5 *Ternis ordinibus*] Ordines hic introrsus porrecti intelligendi sunt, ita ut terni homines in fronte essent, quos sequebatur a tergo longus ordo suorum.

6 *Conserere*] Manum, vel pugnam. Doer.

U. C. 583. A. C. 169. gentis utrumque auxiliaribus, praesidio esse saltum aperientibus iubet: ipse, equites impedimentaque prae se habens, cum legionibus agmen cogit. Inenarrabilis labor descendentibus cum ruina iumentorum sarcinarumque. Progressis vixdum quattuor millia passuum nihil optabilius esse, quam redire, qua venerant, si possent. Hostilem prope tumultum agmini elephanti praebebant: qui, ubi ad invia venerant, deiectis rectoribus, cum horrendo stridore pavorem ingentem, equis maxime, incutiebant, donec traducendi eos ratio inita est. Per proclive, sumpto fastigio,[7] longi duo validi asseres ex inferiore parte in terra defigebantur, distantes inter se paullo plus, quam quanta belluae latitudo est. In eos, transverso incumbentes tigno, ad tricenos longi pedes, ut pons esset, iniungebantur: humusque insuper iniiciebatur. Modico deinde infra intervallo similis alter pons: dein tertius, et plures ex ordine, qua rupes abscisae erant, fiebant. Solido procedebat elephantus[8] in pontem: cuius priusquam in extremum procederet, succisis asseribus collapsus pons usque alterius initium pontis prolabi eum leniter cogebat. Alii elephanti pedibus insistentes, alii clunibus subsidentes, prolabebantur. Ubi planities altera pontis excepisset eas, rursus simili ruina inferioris pontis deferebantur, donec ad aequiorem vallem perventum est. Paullo plus septem millia die Ro-[9] mani processerunt; minimum pedibus itineris confectum. Plerumque provolventes se simul cum armis aliisque oneribus, cum omni genere vexationis, processerunt: adeo ut ne dux quidem et auctor itineris infitiaretur, parva manu deleri omnem exercitum potuisse. Nocte ad modicam planitiem pervenerunt: neque, an infestus is locus esset, saeptus undique, circumspiciendi spatium fuit. Vix tandem ex insperato stabilem ad insistendum nactis locum postero quoque die in tam cava valle opperiri Popillium, ac relictas cum eo copias, necesse fuit: quos et ipsos, quum ab nulla parte hostis terruisset, locorum asperitas hostiliter vexavit. Tertio die coniunctis copiis eunt per saltum, quem incolae Callipeucen appellant. Quarto inde die per aeque invia, sed assuetudine peritius, et meliore cum spe, quod nec hostis unquam apparebat, et mari appropinquabant, degressi in campos, inter Heracleum et Libethrum posuerunt castra peditum: quorum pars maior tumulos

5. Difficultas itinerum.

7 *Sumpto fastigio*] Sumpto spatio e loco superiore per proclive in inferiorem inclinante. Doer.

8 *Abscisae*] Participium verbi *abscido* Frobenius hoc loco reposuit.

9 *Paullo plus septem millia die*] Per diem, et opponitur τῷ *nocte*, quod sequitur paullo post. Itaque nihil opus est hic inserere *eo* ante vocem *die*, quod voluerat Gronovius. Crev. *Eo* addidit Bekkerus.

tenebat. Ibi vallo campi quoque partem, ubi eques tenderet, amplectebantur. U. C. 583. A. C. 169

Lavanti regi dicitur nuntiatum, hostes adesse. Quo nuntio quum pavidus exsiluisset e solio, victum se sine proelio clamitans proripuit; et, subinde per alia aliaque pavida consilia et imperia trepidans, duos ex amicis, Pellam alterum, ubi pecunia deposita erat, alterum usque ad Parthum, ex praesidiis revocat; omnesque aditus aperit bello. 4 Ipse, ab Dio auratis statuis omnibus raptis, ne praeda hosti essent, incolas eius loci demigrare Pydnam cogit: et, quae temeritas consulis videri potuisset, quod eo processisset, 5 unde invito hoste regredi nequiret, eam non inconsultam audaciam fecit. Duos enim saltus, per quos inde evadere possent, habebant Romani: unum per Tempe in Thessaliam, alterum in Macedoniam praeter Dium; quae utraque regiis tenebantur praesidiis. Itaque si dux intrepidus decem dies primam speciem appropinquantis terroris sustinuisset, neque receptus Romanis per Tempe in Thessaliam, neque commeatibus pervehendis eo patuisset iter. Sunt enim Tempe saltus, etiamsi non bello fiat in- 6 festus, transitu difficilis. Nam praeter angustias per quinque millia, qua exiguum iumento onusto iter est, rupes utrimque ita abscisae sunt, ut despici vix sine vertigine quadam simul oculorum animique possit. Terret et sonitus et altitudo per mediam vallem fluentis Penei amnis. Hic locus, tam suapte natura infestus, per quat- 7 tuor distantia loca praesidiis regiis fuit insessus. Unum in primo aditu ad Gonnum erat: alterum ad Condylon

6. Persei pavor et incredibilis stupor.

1 *Ibi vallo*] *Ri vallem* apud Crevier. et Drakenb. exstat. Bekkerus cum Kreyssigio *ibi vallo* recepit.

2 *E solio*] Solium est pars balnei, in qua quis sedens lavatur. Crev.

3 *Duos ex amicis, Pellam*] *Duobus ex amicis* Crevier. reposuit, qui animadvertit hic aliqua deesse, quae ex c. 10. infra, et ex Diodoro in Excerpt. Vales. suppleri possunt in hunc fere modum. Duobus ex amicis, unum Niciam proficisci iussit Pellam, ubi pecunia deposita erat, et, quicquid eius ibi nancisceretur, in mare deiicere: alterum Andronicum misit Thessalonicam, ut navalia incenderet. Simul Hippiam et Asclepiodotum ex praesidiis revocat. In eo tamen discrepat Diodorus a Livio, quod pro urbe Pella nominat Phacum.

4 *Auratis statuis*] Intellige insignem illam turmam, Lysippi opus, quam in memoriam fortissimorum virorum viginti quinque in pugna ad Granicum occisorum Alexander ex aere fingendam curaverat.

5 *Non inconsultam audaciam*] Temeritatem consulis pro audacia non inconsulta habendam effecit.

6 *Praeter angustias*] Praeterquam quod angusta via est per quinque millia, adeo ut exiguum onusto iumento iter sit, utrimque . . . Parum videntur convenire huic descriptioni ea quae Plinius H. N. iv. 8. de eodem loco habet. "Tempe," inquit, "quinque millium passuum longitudine, et ferme sesquiiugeri latitudine, ultra visum hominis attollentibus se dextra laevaque leniter convexis iugis." Crev.

7 *Praesidiis regiis*] In vulg. edd. *regis* legitur, quod Gronovio merito displicuit. Ceterum *regis* antiquo more pro *regiis* scriptum fuisse alibi patet.

U. C. 583. A. C. 169. castello inexpugnabili: tertium circa Lapathunta, quem Characa appellant: quartum viae ipsi, qua et media et angustissima vallis est, impositum, quam vel decem armatis tueri facile est. Intercluso per Tempe simul aditu commeatibus, simul reditu, ipsi montes, per quos descenderant, repetendi erant. Quod ut furto fefellerant, ita propalam, 8 tenentibus superiora cacumina hostibus, non poterant: et experta difficultas spem omnem incidisset. Supererat nihil aliud in temere commisso, quam in Macedoniam ad Dium per medios evadere hostes: quod, nisi dii mentem regi ademissent, et ipsum ingentis difficultatis erat. Nam quum Olympi radices montis paullo plus quam mille passuum ad mare relinquant spatium, cuius dimidium loci occupat ostium late restagnans Baphyri amnis, partem planitiae aut Iovis templum, aut oppidum tenet; reliquum perexiguum fossa modica valloque claudi poterat, et saxorum ad manum silvestrisque materiae tantum erat, ut vel murus obiici, turresque excitari potuerint. Quorum nihil quum dispexisset caecata mens subito terrore, nudatis omnibus praesidiis, patefactisque bello, ad Pydnam refugit.

7. Consul, plurimum et praesidii et spei cernens in stultitia et segnitie hostis, remisso nuntio ad Sp. Lucretium Larissam, ut castella, relicta ab hoste, circa Tempe occuparet, praemisso Popillio ad explorandos transitus circa Dium, postquam patere omnia in omnes partes animadvertit, secundis castris pervenit ad Dium: metarique sub ipso 9 templo, ne quid sacro in loco violaretur, iussit. Ipse, urbem ingressus, sicut non magnam, ita exornatam publicis 1 locis, et multitudine statuarum, munitamque egregie, vix satis credere, in tantis rebus sine causa relictis non aliquem subesse dolum. Unum diem ad exploranda circa omnia moratus, castra movet: satisque credens, in Pieria frumenti copiam fore, eo die ad amnem nomine Mityn processit. Postero die progressus, Agassas urbem, tradentibus sese ipsis, recepit: et, ut reliquorum Macedonum animos sibi conciliaret, obsidibus contentus, sine praesidio relinquere se iis urbem, immunesque ac suis legibus victuros, est pollicitus. Progressus inde diei iter, ad Ascordum flumen posuit castra: et, quantum procederet longius a Thessalia, 2

Cos. Dium pervenit.

Inopia laborat.

8 *Quod ut furto fefellerant*] Quod ut fecerant fallentes furto Persea Macedonasque, ita propalam facere non poterant, si tenuissent cacumen hostes. Transcenderant quidem illos saltus, quia fefellerant hostem: at idem facere non poterant palam et aperta vi, si hostis obstitisset. Crev.

9 *Metarique*] sc. Castra sub ipso Iovis templo, quod in cap. praec. memoratur.

1 *Publicis locis*] Qualia sunt fora, porticus, basilicae. Crev.

2 *Quantum procederet*] Muretus et Gronovius reponendum *quanto* monent, sed Drakenborchius et Crevierius *quantum* tuentur, utpote quod a praepositione *secundum* intellecta regatur, et cum particula *eo* adiuncto comparativo non raro componatur.

eo maiorem rerum omnium inopiam sentiens, regressus ad U. C. 583.
Dium est; dubitatione omnibus exempta, quid intercluso A. C. 169.
ab Thessalia patiendum fuisset, cui procul inde abscedere tutum non esset. Perseus, contractis in unum omnibus copiis ducibusque, increpare praefectos praesidiorum, ante omnes Asclepiodotum atque Hippiam: ab his dicere claustra Macedoniae tradita Romanis esse: cuius culpae reus nemo iustius, quam ipse, fuisset. Consuli postquam ex alto conspecta classis spem fecit, cum commeatu naves venire, (ingens enim caritas annonae ac prope inopia erat) ab invectis iam portum audit, onerarias naves Magnesiae relictas esse. Incerto inde, quidnam agendum foret, (adeo sine ulla ope hostis quae aggravaret, cum ipsa difficultate rerum pugnandum erat) peropportune literae a Sp. Lucretio allatae sunt: castella se, quae super Tempe essent et circa Philam, tenere omnia, frumentique in iis et aliarum in usum rerum copiam invenisse. His magnopere laetus 8.
consul ab Dio ad Philam ducit, simul ut praesidium eius Dium relinquit.
firmaret, simul ut militi frumentum, cuius tarda subvectio erat, divideret. Ea profectio famam haudquaquam secundam habuit. Nam alii, metu recessisse eum ab hoste, ferebant, quia manenti in Pieria proelio dimicandum foret:
3 alii, ignarum, belli quae in dies fortuna novaret, ultro offerentibus sese rebus, emisisse de manibus ea, quae mox repeti non possent. Simul enim cessit possessione Dii, excitavit hostem, ut tunc tandem sentiret, recuperanda esse, quae prius culpa amissa forent. Audita enim profectione Perseus
consulis, regressus Dium, quae disiecta ac vastata ab Ro- Dium redit.
manis erant, reficit: pinnas moenium decussas reponit, ab omni parte muros firmat: deinde quinque millia passuum ab urbe citra ripam Enipei amnis castra ponit; amnem ipsum, transitu perdifficilem, pro munimento habiturus. Fluit ex valle Olympi montis, aestate exiguus; hibernis
4 idem incitatus pluviis et supra rupes ingentes gurgites facit, et infra, prorutam in mare evolvendo terram, praealtas voragines, cavatoque medio alveo ripas utrimque praecipites. Hoc flumine Perseus saeptum iter hostis credens, extrahere reliquum tempus eius aestatis in animo habebat.

Inter haec consul a Phila Popillium cum duobus millibus armatorum Heracleum mittit. Abest a Phila quinque

3 *Ignarum, belli quae in dies*] Pronomen relativum non semper in initio periodi poni, sed interdum post primam vel alteram vocem reiici monet Drakenborchius; sed Bekkerus distinctione mutata *ignarum belli, quae indies* reposuit.

4 *Et supra rupes ingentes gurgites*] Nempe intelligendum est rupibus in ipso alveo enatis cursum amnis impediri. Supra eas rupes tardatae earum obiectu aquae ingentes gurgites faciunt. Infra easdem rupes vis aquarum per se ipsa proruit terram, et alveum magis ac magis cavat. Crev.

U. C. 583. A. C. 169. 9. Heracleum oppugnatum.

millia ferme passuum, media regione inter Dium Tempeque, in rupe amni imminente positum. Popillius, priusquam armatos muris admoveret, misit, qui magistratibus principibusque suaderent, fidem clementiamque Romanorum, quam vim, experiri mallent. Nihil ea consilia moverunt, quia ignes ad Enipeum ex regis castris apparebant. Tum terra marique (et classis appulsa ab litore stabat) simul armis, simul operibus machinisque, oppugnari coepti. Iuvenes etiam quidam Romani, ludicro circensi ad usum belli verso, partem humillimam muri ceperunt. Mos erat tum, nondum hac effusione inducta bestiis omnium gentium circum complendi, varia spectaculorum conquirere genera: nam, semel quadrigis, semel desultore misso, vix unius horae tempus utrumque curriculum complebat. Inter cetera sexageni ferme iuvenes, interdum plures, apparatioribus ludis, armati inducebantur. Horum inductio in parte simulacrum decurrentis exercitus erat; ex parte elegantioris, quam militaris artis, propiorque gladiatorium armorum usum. Quum alios decursus edidissent motus, quadrato agmine facto, scutis super capita densatis, stantibus primis, secundis summissioribus, tertiis magis et quartis, postremis etiam genu nisis, fastigatam, sicut tecta aedificiorum sunt, testudinem faciebant. Hinc quinquaginta ferme pedum spatio distantes duo armati procurrebant, comminatique inter se, ab ima in summam testudinem per densata scuta quum evasissent, nunc velut propugnantes per oras extremae testudinis, nunc in media inter se concurrentes, haud secus quam stabili solo persultabant. Huic testudo simillima humillimae parti muri admota. Quum armati superstantes subissent, propugnatoribus muri fastigio altitudinis aequabantur: depulsisque iis, in urbem duorum signorum milites transcenderunt. Id tantum dissimile fuit, quod, et in fronte extrema, et ex

5 *Bestiis omnium gentium*] Ex toto terrarum orbe conquisitis. De hac Romanorum insania, cf. Epist. Cloelii ad Cicer. in Ep. ad Div. viii. 4. 8. et 9.

6 *Nam, semel quadrigis*] Olim *nec semel quadrigis* legebatur, sed lectio nostra emendata apud Onufr. Panvin. de ludis Circens. i. 9. et apud Iul. Caes. Bullinger. de Circo ludisque Circensibus 50. invenitur.

7 *Semel desultore misso*] Qui sint desultores docet ipse aliud agendo Livius supr. xxx. 29. "Numidae, quibus, desultorum in modo binos trahentibus equos, inter acerrimam saepe pugnam in recentem equum ex fesso armatis transultare mos erat."

8 *Apparatioribus ludis*] Haec lectio pro vulg. *apparitoribus ludi* a Mureti manu provenit, et in Bekkeri contextum recepta est.

9 *Alios decursus*] *Decursus* in secundo casu positum esse monet Raschig. sed Douiatius *decursu* mavult, quod Crevier. probat.

1 *Duorum signorum*] sc. Duorum manipulorum. cf. supr. xxxiii. 1.

2 *In fronte extrema*] Soli illi milites, qui consistebant in fronte extrema huius agminis et ex utroque eius latere. Per *extremam* autem *frontem* intelligo *primam*. Eodem sensu *ultimus* pro *primus* poni docuerunt viri docti ad Nepot. Attic. et Vorst. ad Iustin. ii. 1. Drak.

lateribus, soli non habebant super capita elata scuta, ne nudarent corpora; sed praetenta pugnantium more. Ita nec ipsos tela ex muro missa subeuntes laeserunt, et testudini iniecta imbris in modum lubrico fastigio innoxia ad imum labebantur. Et consul, capto iam Heracleo, castra eo promovit; tanquam Dium, atque, inde summoto rege, in Pieriam etiam progressurus. Sed, hiberna iam praeparans, vias commeatibus subvehendis ex Thessalia muniri iubet, et eligi horreis opportuna loca, tectaque aedificari, 3 ubi deversari portantes commeatus possent. U. C. 583. A. C. 169.

10. Pudet Persea pavoris sui.

Perseus, tandem e pavore eo, quo attonitus fuerat, recepto animo, malle, imperiis suis non obtemperatum esse, quum trepidans gazam in mare deiici Pellae, Thessalonicae navalia iusserat incendi. Andronicus, Thessalonicam mis- 4 sus, traxerat tempus, id ipsum quod accidit, poenitentiae relinquens locum. Incautior Nicias Pellae proiiciendo pe- 5 cuniae partem, quod fuerat nactus: sed in errorem emendabilem visus lapsus esse, quod per urinatores omne ferme extractum est. Tantusque pudor regi pavoris eius fuit, 6 ut urinatores clam interfici iusserit; deinde Andronicum quoque et Nician: ne quis tam dementis imperii conscius exsisteret. Inter haec C. Marcius, cum classe ab Heracleo Thessalonicam profectus, et agrum pluribus locis, expositis per litora armatis, late vastavit, et procurrentes ab urbe, secundis aliquot proeliis, trepidos intra moenia compulit. 7 Iamque ipsi urbi terribilis erat, quum, dispositis omnis generis tormentis, non vagi modo circa muros, temere appropinquantes, sed etiam qui in navibus erant, saxis tormento emicantibus percutiebantur. Revocatis igitur in naves militibus, omissaque Thessalonicae oppugnatione, Aeneam inde petunt. Quindecim millia passuum ea urbs abest, adversus Pydnam posita, fertili agro. Pervastatis finibus eius, legentes oram, Antigoneam perveniunt. Ibi, egressi in terram, primo et vastarunt agros passim, et aliquantum praedae contulerunt ad naves. Dein palatos eos adorti Macedones, mixti pedites equitesque, fugientes effuse ad mare persecuti, quingentos ferme occiderunt, et non minus ceperunt. Nec aliud, quam ultima necessitas,

Variae urbes a Rom. frustra tentatae.

3 *Deversari*] *Diversari* Crev. et Drak. servant. Bekker. cum Kreysigio consentit.

4 *Id ipsum quod accidit*] Quod quidem ipsum accidit, nempe ut regem poeniteret. Crev.

5 *Quod fuerat nactus*] sc. Partem pecuniae, id quod fuerat nactus.

6 *Ut urinatores*] Genus hominum, quorum usus est in mercibus e mari extrahendis, quae navigii gratia iactatae fuerint. Manil.

7 *Quum, dispositis omnis generis tormentis*] Ab iis qui in urbe erant. Tota periodus habere videtur aliquid obscuri propter nimiam brevitatem. Sensus est: iamque ipsi urbi terribilis erat, quum subito conversa est rerum facies, dispositis super urbis muros tormentis, quibus Romani, et in agris, et in ipsis quoque navibus percutiebantur. Itaque absistere incepto coacti sunt. Crev.

U. C. 583. quum recipere se tuto ad naves prohiberentur, animos
A. C. 169. militum Romanorum, simul desperatione alia salutis, simul 7
indignitate, irritavit. Redintegrata in litore pugna est: adiuvere qui in navibus erant. Ibi Macedonum ducenti ferme caesi; par numerus captus.

Ab Antigonea classis profecta, ad agrum Pallenensem exscensionem ad populandum fecit. Finium is ager Cassandrensium erat, longe fertilissimus omnis orae, quam praetervecti fuerant. Ibi Eumenes rex, viginti tectis navibus ab Elea profectus, obvius fuit; et quinque missae a
11. Prusia rege tectae naves. Hac virium accessione animus crevit praetori, ut Cassandream oppugnaret. Condita est 8
a Cassandro rege in ipsis faucibus, quae Pallenensem agrum ceterae Macedoniae iungunt, hinc Toronaico, hinc Macedonico saepta mari. Eminet namque in altum lingua, in qua sita est: nec minus, quam inclutus magnitudine 9
Atho mons, excurrit, obversa in regionem Magnesiae duobus imparibus promontoriis; quorum maiori Posideum est nomen, minori Canastraeum. Diversis partibus oppugnare adorti. Romanus ad Clitas, quas vocant, munimenta, cervis etiam obiectis, ut viam intercluderet, a Ma- 1
cedonico ad Toronaicum mare perducit. Ab altera parte euripus est: inde Eumenes oppugnabat. Romanis in 2
fossa complenda, quam nuper obiecerat Perseus, plurimum erat laboris. Ibi quaerenti praetori, quia nusquam cumuli apparebant, quo regesta e fossa terra foret, monstrati sunt 3
fornices: 'non ad eandem crassitudinem, qua veterem 'murum, sed simplici laterum ordine, structos esse.' Consilium igitur cepit, transfosso pariete iter in urbem patefacere. Fallere autem ita se posse, si, muros a parte alia scalis adortus, tumultu iniecto, in custodiam eius loci pro- 4

7 *Desperatione alia salutis*] sc. Alia, quam quae adhuc militum animos agitaverat, h. e. maiore. DOER.

8 *Condita est a Cassandro rege*] Olim Potidaea, teste Plinio, H. N. iv. 10. Illam deinde vel auxerat, vel instauraverat Cassander, et de suo nomine *Cassandream* dixerat. CREV.

9 *Nec minus, quam inclutus magnitudine*] Vulgatam lectionem *nec minus quam in altum magnitudine* Crevierius et Drakenborchius corruptam esse censet: quam tamen Bekkerus unciolis inclusam in textum recepit, *in altus* pro *in altum* reposito.

1 *Cervis etiam obiectis*] *Cervos* ligneos stipites fuisse, truncos seu cippos humi infixos, ad hostium impetum retardandum, ex Caes. B. Gall. vii. 72. elicimus. Nomen habebant quod veluti bifurcati essent, et acuminati instar cervorum cornua. DONAT.

2 *Euripus*] Fossa quaedam manu facta, ad aquas maris excipiendas. Hoc nomen fossis, quae arenis amphitheatrorum circumdabantur, apud antiquos dabatur.

3 *Monstrati sunt fornices*] Qui e terra, quam e fossa egesserant, in lateres cocta structi erant. Sed quem ad usum structi illi fornices, et quomodo pariete eorum perfosso via in urbem pateret, minime liquet. Quoniam fossa adhuc completa non erat, Crevierius locum, ubi perfossi fornices, citra fossam a parte Romanorum fuisse censet.

4 *Eius loci*] Quem scalis adorirentur Romani.

pugnatores urbis avertisset. Erant in praesidio Cassandreae, praeter non contemnendam iuventutem oppidanorum, octingenti Agrianes, et duo millia Penestarum Illyriorum, a Pleurato inde missi, bellicosum utrumque genus. His tuentibus muros, quum subire Romani summa vi niterentur, momento temporis parietes fornicum perfossi
5 urbem patefecerunt. Quod si, qui irrumperent, armati fuissent, extemplo cepissent. Hoc ubi perfectum esse opus militibus nuntiatum est, clamorem alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in urbem irrupturis. Hostes primum admiratio cepit, quidnam sibi repentinus clamor vellet. Postquam patere urbem accepere praefecti prae-
7 sidii Pytho et Philippus, pro eo, qui occupasset aggredi, opus factum esse rati, cum valida manu Agrianum Illyriorumque erumpunt: Romanosque, qui alii aliunde coibant convocabanturque, ut signa in urbem inferrent, incompositos atque inordinatos fugant, persequunturque ad fossam: in quam compulsos ruina cumulant. Sexcenti ferme ibi
8 interfecti, omnesque prope, qui inter murum fossamque deprensi erant, vulnerantur. Ita suo ipse conatu perculsus praetor, segnior ad alia factus consilia erat: et ne Eumeni quidem, simul a mari, simul a terra aggredienti, quicquam satis procedebat. Placuit igitur utrique, custodiis firmatis, ne quod praesidium ex Macedonia intromitti posset, quoniam vis aperta non processisset, operibus moenia oppugnare. Haec parantibus his, decem regii lembi, ab Thessalonica cum delectis Gallorum auxiliaribus missi, quum in salo stantes hostium naves conspexissent; ipsi, obscura nocte, simplici ordine, quam poterant proxime litus tenentes, intrarunt urbem. Huius novi praesidii fama absistere oppugnatione simul Romanos regemque coegit. Circumvecti promontorium, ad Toronen classem appulerunt. Eam quoque oppugnare adorti, ubi valida defendi manu animadverterunt, irrito incepto Demetriadem petunt. Ibi quum appropinquantes repleta moenia armatis vidissent,

U. C. 583.
A. C. 169.

12.

5 *Penestarum Illyriorum*] Quum *terra Penestiana* supr. xliii. 18. et *Penestia* ibid. 19. nominatur, Penestas tribum sive gentem quandam in Illyrico fuisse apparet; neque in hoc loco, sicut inter Thessalos, pro servis domesticis habendos esse. Haud scio an Penestae hi Pelasgicam originem habuerint, atque inter Illyricas tribus, quae regionem illam occupaverant, sedes suas adhuc sibi vindicarent. cf. Niebhr. i. n. 158. Muller. Dor. ii. 4. §. 6.

6 *Qui irrumperent, armati fuissent*] Distinctionem post vocem *armati* posuit Bekker. id quod sensum levi momento mutat.

7 *Pro eo, qui occupasset aggredi, opus factum esse rati*] sc. Opus a Romanis factum illis utile fore rati, qui primi aggredi maturassent.

8 *Qui inter murum fossamque*] Hinc Romanos non citra fossam, sed ultra, quum fornices perfossi erant, stetisse apparent. Sed obscurior haec tota oratio est, quum de fornicum usu non liquet.

U. C. 583. A. C. 169. praetervecti ad Iolcon classem appulerunt; inde, agro vastato, Demetriadem quoque aggressuri.

13. Inter haec et consul, ne segnis sederet tantum in agro hostico, M. Popillium cum quinque millibus militum ad Meliboeam urbem oppugnandam mittit. Sita est in radicibus Ossae montis, qua parte in Thessaliam vergit, opportune imminens super Demetriadem. Primus adventus hostium perculit incolas loci: collectis deinde ex necopinato pavore animis, discurrunt armati ad portas ac moenia, qua suspecti aditus erant: spemque extemplo inciderunt, capi primo impetu posse. Obsidio igitur parabatur, et opera oppugnationum fieri coepta. Perseus, quum audisset, simul Meliboeam a consulis exercitu oppugnari, simul classem Iolci stare, ut inde Demetriadem aggrederetur, Euphranorem quendam ex ducibus cum delectis duobus millibus Meliboeam mittit. Eidem imperatum, ut, si a Meliboea summovisset Romanos, Demetriadem prius occulto itinere intraret, quam ab Iolco ad urbem castra moverent Romani. Et ab oppugnatoribus Meliboeae, quum in superioribus locis repente apparuisset, cum trepidatione multa relicta opera sunt, ignisque iniectus. Ita a Meliboea abscessum est. Euphranor, soluta unius urbis obsidione, Demetriadem extemplo ducit. Nec tum moenia modo, sed agros etiam confiderunt se a popula- 9
tionibus tueri posse, et eruptiones in vagos populatores non sine vulneribus hostium factae sunt. Circumvecti tamen moenia sunt praetor et rex, situm urbis contemplantes, si qua parte tentare aut opere aut vi possent. Fama fuit, per Cydantem Cretensem et Antimachum, qui Demetriadi praeerat, tractatas inter Eumenem et Persea conditiones amicitiae. Ab Demetriade certe abscessum est. Eumenes ad consulem navigat: gratulatus, quod prospere Macedoniam intrasset, Pergamum in regnum abit. Marcius Figulus praetor, parte classis in hiberna Sciathum missa, cum reliquis navibus Oreum Euboeae petit; eam urbem 1
aptissimam ratus, unde exercitibus, qui in Macedonia, quique in Thessalia erant, mitti commeatus possent. De Eumene rege longe diversa tradunt. Si Valerio Antiati credas, nec classe adiutum ab eo praetorem esse, quum saepe eum literis arcessisset, tradit; nec cum gratia ab 2

9 *Confiderunt*] Pro *confisi sunt*. *Diffidisset* apud Quinctil. Declam. 287. invenitur, loco autem, ut videtur, non integro, ita ut huius formae exempla probabilia desint. RASCH.

1 *Oreum Euboeae*] *Euboeae* pro vulg. *Boeotiae*, Gronovius emendavit. Ceterum *Oreum* urbem ab Atheniensibus, utpote opportunam occasionibus belli et pacis, *cleruchis* suis antiquitus mandatam apud Thucyd. i. 114. viii. 95. fuisse legimus.

2 *Nec cum gratia ab consule profectum*] Neque ita profectum ab con-

consule profectum in Asiam, indignatum, quod, ut iisdem castris tenderet, permissum non fuerit: ne ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse. Attalum fratrem eius et remansisse apud consulem, et sinceram eius fidem aequali tenore egregiamque operam in eo bello fuisse. U. C. 583. A. C. 169.

Dum bellum in Macedonia geritur, legati Transalpini ab regulo Gallorum (Balanos ipsius traditur nomen; gentis, ex qua fuerit, non traditur) Romam venerunt, pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia. Gratiae ab senatu actae, muneraque missa, torquis aureus duo pondo, et paterae aureae quattuor pondo, equus phaleratus, armaque equestria. Secundum Gallos Pamphylii legati co- 14.
3 ronam auream, ex viginti millibus Philippeorum factam, in curiam intulerunt: petentibusque iis, ut id donum in cella Iovis Optimi Maximi ponere, et sacrificare in Capitolio liceret, permissum: benigneque amicitiam renovare volentibus legatis responsum, et binum millium aeris singulis missum munus. Tum ab rege Prusia, et paullo post ab Rhodiis, de eadem re longe aliter disserentes legati auditi sunt. Utraque legatio de pace reconcilianda cum rege Perseo egit. Prusiae preces magis, quam postulatio, fuere, profitentis, 'et ad id tempus se cum Romanis stetisse, et, 'quoad bellum foret, staturum. Ceterum quum ad se a 'Perseo legati venissent de finiendo cum Romanis bello, et 4 'iis pollicitum deprecatorem apud senatum futurum; pe- 'tere, si possent inducere in animum, ut finiant iram, se 'quoque in gratia reconciliatae pacis ponerent.' Haec regii legati. Rhodii, superbe commemoratis erga populum Romanum beneficiis, et paene victoriae, utique de An- 5 tiocho rege, maiore parte ad se vindicata, adiecerunt: 'Quum pax inter Macedonas Romanosque esset, sibi 'amicitiam cum rege Perseo coeptam: eam se invitos, 'nullo eius in se merito, quoniam ita Romanis visum sit in 'societatem se belli trahere, interrupisse. Tertium se 'annum multa eius incommoda belli sentire: mari inter-

Prusiae et Rhodiorum legati.

Rhodiorum superba oratio.

sule, ut integra esset inter illos gratia et amicitia, sed cum mutua offensione. CREV.

3 *Philippeorum*] Nummorum aureorum, qui didrachmis singuli pares erant. Unde immane profecto pondus exstat.

4 *Petere, si possent*] Lege cum Gronovio *et petere*, quod respondeat iis quae praecedunt, *et pollicitum*. Ultima huius periodi sic ab eo formantur: *se quoque in gratia reconciliatae pacis uti ponerent:* id est, darent sibi locum ineundae gratiae apud Persea, tanquam pacis reconciliatori. Huius locutionis, *ponere in gratiam*, vel *in gratia*, exempla ex epistolis Ciceronis hic allegat Gronovius. Unum afferemus ad Att. v. 11. *Apud Patronem te in maxima gratia posui.* Feci, ut magnam tibi gratiam haberet Patro, ostendendo ei, te, quod desiderat, id mihi vehementer commendasse. CREV.

5 *Ad se vindicata*] Olim *a se*. Emendavit Sigonius.

U. C. 583. A. C. 169.

'cluso, inopia insulam premi, amissis maritimis vectigalibus 6
'atque commeatibus. Quum id ultra pati non possent,
'legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei de-
'nuntiarent, Rhodiis placere, pacem eum componere cum
'Romanis: se Romam eadem nuntiatum missos. Per
'quos stetisset, quo minus belli finis fieret, adversus eos
'quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse.'
Ne nunc quidem haec sine indignatione legi audirive posse,
certum habeo. Inde existimari potest, qui habitus animo-
15. rum audientibus ea Patribus fuerit. Claudius, nihil respon-
Castigatio ferociae Rhodiorum.
sum, auctor est: tantum senatusconsultum recitatum, quo
Caras et Lycios liberos esse iuberet populus Romanus,
literasque extemplo ad utramque gentem sciret indicatum 7
mitti. Qua audita re, principem legationis, cuius magni-
loquentiam vix curia paullo ante ceperat, corruisse. Alii
responsum esse tradunt, 'Populum Romanum et principio
'huius belli haud vanis auctoribus compertum habuisse,
'Rhodios cum Perseo rege adversus rempublicam suam
'occulta consilia inisse: et, si id ante dubium fuisset, le-
'gatorum paullo ante verba ad certum redegisse: et ple-
'rumque ipsam se fraudem, etiamsi initio cautior fuerit,
'detegere. Rhodios nunc in orbe terrarum arbitria belli 8
'pacisque agere? Rhodiorum nutu arma sumpturos po- 9
'siturosque Romanos esse? iam non deos foederum testes,
'sed Rhodios habituros? Itane tandem? Ni pareatur 1
'iis, exercitusque de Macedonia deportentur, visuros esse,
'quid sibi faciendum sit? Quid Rhodii visuri sint, ipsos
'scire. Populum certe Romanum, devicto Perseo, quod
'propediem sperent fore, visurum, ut pro meritis cuiusque
'in eo bello civitatis gratiam dignam referat.' Munus
tamen legatis in singulos binum millium aeris missum est:
quod ii non acceperunt.

16. Literae deinde recitatae Q. Marcii consulis sunt, 'Quem-
Marcii literae.
'admodum, saltu superato, in Macedoniam transisset:
'ibi et ex aliis locis commeatus a praetore prospectos in
'hiemem habere, et ab Epirotis viginti millia modium tri-
'tici, decem hordei sumpsisse: ut pro eo frumento pecunia

6 *Maritimis vectigalibus atque commeatibus*] Maritima *vectigalia* sunt portoria, et aliae mercedes quae in publicum redigebantur ex mercibus importatis in insulam. Maritimi *commeatus*, quaecunque mari invehuntur ad usum commoditatemque vitae. CREV.

7 *Sciret indicatum mitti*] sc. Senatusconsulto, quo sciret populus Romanus literas extemplo ad utramque gentem mitti quae liberam esse utramque indicarent. *Scirent indicatum mitti* Bekker. et Crevier. tuentur, licet huic corruptus locus esse videatur.

8 *Rhodios nunc in orbe terrarum*] Ita quoque Bekkerus pro vulg. *Rhodios nuntio* . . .

9 *Rhodiorum*] Ita quoque Bekkerus emendavit, pro vulg. *Deorum*, quod Crevierio merito displicuit.

1 *Itane tandem? ni pareatur* . . .] Ita Crevierius corrigendum censuit pro vulg. *itane tandem iis pareatur*.

2 'Romae legatis eorum curaretur. Vestimenta militibus U. C. 583.
'ab Roma mittenda esse: equis ducentis ferme opus esse, A. C. 169.
'maxime Numidis: nec sibi in his locis ullam copiam esse.'
Senatusconsultum, ut ea omnia ex literis consulis fierent, factum est. C. Sulpicius praetor sex millia togarum, triginta tunicarum, et equos deportanda in Macedoniam, praebendaque arbitratu consulis locavit; et legatis Epirotarum pecuniam pro frumento solvit; et Onesimum, Pythonis filium, nobilem Macedonem, in senatum introduxit. Onesimi Macedonis praemia.
Is pacis semper auctor regi fuerat, monueratque, sicut pater eius Philippus institutum usque ad ultimum vitae
3 diem servabat, quotidie bis indicem foederis icti cum Romanis perlegendi; ut eum morem, si non semper, crebro tamen usurparet. Postquam deterrere eum a bello nequiit, primo subtrahere sese per alias atque alias causas, ne interesset iis, quae non probabat, coepit: postremo, quum suspectum se esse cerneret, et proditionis interdum crimine insimulari, ad Romanos transfugit, et magno usui consuli fuit. Ea introductus in curiam quum memorasset, senatus in formulam sociorum eum referri iussit: locum, lautia praeberi: agri Tarentini, qui publicus populi Romani esset, ducenta iugera dari, et aedes Tarenti emi. Uti ea curaret, C. Decimio praetori mandatum.

Censores censum Idibus Decembribus, severius quam Census.
ante, habuerunt. Multis equi adempti, inter quos P. Rutilio, qui tribunus plebis eos violenter accusarat: tribu quoque is motus, et aerarius factus. Ad opera publica facienda quum iis dimidium ex vectigalibus eius anni attributum ex senatusconsulto a quaestoribus esset; Ti. Sempronius ex ea pecunia, quae ipsi attributa erat, aedes P.
4 Africani pone Veteres ad Vortumni signum, lanienasque
5 et tabernas coniunctas in publicum emit, basilicamque faciendam curavit, quae postea Sempronia appellata est.

Iam in exitu annus erat, et propter Macedonici maxime 17.
belli curam in sermonibus homines habebant, quos in annum consules ad finiendum tandem id bellum crearent. Itaque senatusconsultum factum est, ut Cn. Servilius primo quoque tempore ad comitia habenda veniret. Senatus-
6 consultum Sulpicius praetor ad consulem * post paucos

2 *Curaretur*] Solveretur. *Curare pecuniam* apud Ciceronem saepius legitur. cf. Ep. ad Qu. Fr. ii. 4. ad Att. vii. 3.

3 *Quotidie bis indicem*] Vulg. *quotidie bis in die*, quod plane vacat.

4 *Pone Veteres*] Sub. tabernas, nam ut *novae*, ita *veteres* in foro *tabernae* erant. cf. supr. xxvi. 27.

5 *Basilicamque*] Basilicam post argentarias novas aedificatam supr. xl. 51. legimus. cf. supr. xxvi. 27.

6 *Sulpicius praetor*] Foede corruptum et asterisco notandum hunc locum censent Sigonius et Gronovius, sed de interpretatione eius inter se discrepant. Equidem in tanta verborum inopia nihil de sensu huius loci pro certo affirmandum esse arbitror.

U. C. 583. A. C. 169. Comitia.

dies recitavit, quibus ante diem * * in urbem venturum. Et consul maturavit, et comitia eo die, qui dictus erat, sunt perfecta. Consules creati L. Aemilius Paullus iterum, quarto decimo anno postquam primo consul fuerat, et C. Licinius Crassus. Praetores postero die facti, Cn. Baebius Tamphilus, L. Anicius Gallus, Cn. Octavius, P. Fonteius Balbus, M. Aebutius Elva, C. Papirius Carbo. Omnia ut maturius agerentur, belli Macedonici stimulabat cura. Itaque designatos extemplo sortiri placuit provincias; ut, utri Macedonia consuli, cuique praetori classis evenisset, 8 sciretur: ut iam inde cogitarent pararentque, quae bello usui forent, senatumque consulerent, si qua re consulto opus esset. 'Latinas, ubi magistratum inissent, quod per 'religiones posset, primo quoque tempore fieri placere; 'neque consulem, cui eundum in Macedoniam esset, 'teneri.' His decretis, consulibus Italia et Macedonia, praetoribus, praeter duas iurisdictiones in urbe, classis, et Hispania, et Sicilia, et Sardinia provinciae nominatae sunt. Consulum, Aemilio Macedonia, Licinio Italia evenit. Praetores, Cn. Baebius urbanam, L. Anicius peregrinam, et si quo senatus censuisset, Cn. Octavius classem, P. Fonteius Hispaniam, M. Aebutius Siciliam, C. Papirius Sardiniam est sortitus.

18. Belli Macedonici apparatus.

Extemplo apparuit omnibus, non segniter id bellum L. Aemilium gesturum; praeterquam quod alius vir erat, etiam quod dies noctesque intentus ea sola, quae ad id bellum pertinerent, animo agitabat. Iam omnium primum a senatu petiit, ut legatos in Macedoniam mitterent ad exercitus visendos classemque, et comperta referenda, quid aut terrestribus aut navalibus copiis opus esset: praeterea ut explorarent copias regias, quantum possent, quaque provincia nostra, qua hostium foret: utrum intra saltus castra Romani haberent, an iam omnes angustiae exsuperatae, et in aequa loca pervenissent: qui fideles nobis socii, qui dubii suspensaeque ex fortuna fidei, qui certi hostes viderentur: quanti praeparati commeatus, et unde terrestri itinere, unde navibus supportarentur: quid ea aestate terra marique rerum gestarum esset; ex his bene cognitis certa 9 in futurum consilia capi posse ratus. Senatus Cn. Servilio consuli negotium dedit, ut is in Macedoniam, quos L. Aemilio videretur, legaret. Legati biduo post profecti, Cn. Domitius Ahenobarbus, A. Licinius Nerva, L. Baebius.

7 *Quarto decimo*] Ita emendavit Sigonius pro vulg. *septimo decimo*.

8 *Evenisset*] Bekkerus vulgatum *venisset* tuetur, et *venisset* pro *obvenisset* hic, ut alibi a Livio, usurpari existimat.

9 *Rerum gestarum*] Emendat Gronovius *gestum*.

Bis in exitu anni eius lapidatum esse nuntiatum est; in U. C. 583.
1 Romano agro, simul in Veienti. Bis novendiale sacrum A. C. 169.
factum est. Sacerdotes eo anno mortui sunt, P. Quinctilius Varus, flamen Martialis; et M. Claudius Marcellus decemvir: in cuius locum Cn. Octavius suffectus. Et iam Ludorum circensium magnificentia.
magnificentia crescente notatum est, ludis circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicae et P. Lentuli aedilium curulium
2 sexaginta tres Africanas, et quadraginta ursos et elephantos
3 lusisse.

L. Aemilio Paullo, C. Licinio consulibus, Idibus Martiis 19.
principio insequentis anni, quum in exspectatione Patres U. C. 584.
fuissent, maxime quidnam consul de Macedonia, cuius ea A. C. 168.
provincia esset, referret; 'Nihil se habere,' Paullus, 'quod L. Aemilio II. C. Licinio Coss.
'referret, quum nondum legati redissent,' dixit. 'Ceterum
4 'Brundisii legatos iam esse, bis ex cursu Dyrrhachium
'reiectos. Cognitis mox, quae nosci prius in rem esset,
'relaturum: id fore intra perpaucos dies. Et, ne quid
5 'profectionem suam teneret, pridie Idus Apriles Latinis
'esse constitutam diem. Sacrificio rite perfecto, se et Cn. Alexandrini legati.
'Octavium, simul senatus censuisset, exituros esse: C. Li-
'cinio collegae suo fore curae, se absente, ut, si qua parari
'mittive ad id bellum opus sit, parentur mittanturque.
'Interea legationes exterarum nationum audiri posse.'
6 Primi Alexandrini, legati ab Ptolemaeo et Cleopatra regibus, vocati sunt. Sordidati, barba et capillo promisso, cum ramis oleae ingressi curiam, procubuerunt: et oratio, quam habitus, fuit miserabilior. Antiochus Syriae rex, qui obses Romae fuerat, per honestam speciem maioris Ptolemaei reducendi in regnum, bellum cum minore fratre eius, qui tum Alexandriam tenebat, gerens, et ad Pelusium navali proelio victor fuerat, et, tumultuario opere ponte per Nilum facto, transgressus cum exercitu, obsidione ipsam Alexandriam terrebat: nec procul abesse, quin potiretur regno opulentissimo, videbatur. Ea legati querentes orabant senatum, ut opem regno regibusque amicis imperio ferrent. 'Ea merita populi Romani in Antiochum, eam 'apud omnes reges gentesque auctoritatem esse, ut, si

1 *Bis novendiale sacrum*] Ita correxit Iac. Gronovius pro vulg. *Veientibus. Novendiale.* Ceterum novendiale sacrum bis fiebat, quoties lapidibus pluisse visum erat. cf. supr. xxvii. 37.

2 *Africanas*] sc. Pantheras, ut patet ex Plin. H. N. viii. 17. Crev.

3 *Lusisse*] In ludis exhibitos esse. Intelligenda videtur venatio facta in Circo, vel pugna bestiarum inter se. Crev.

4 *Dyrrachium reiectos*] Ita Manutius emendavit pro vulg. *eiectos*, quum haec vox naufragos intelligat, illa autem. sc. *reiectos*, eodem, unde solverat, classem relatam velit.

5 *Pridie Idus Apriles*] *Pridie Kalendas* ex cap. 22. supr. et ex Fragm. Actor. correxit Pighius in Ann. ad U.C. 585.

6 *Ab Ptolemaeo*] sc. Philometore, qui sororem Cleopatram in matrimonium duxerat.

U. C. 584. A. C. 168. 'legatos misissent, qui denuntiarent, non placere senatui, 'sociis regibus bellum fieri, extemplo abscessurus a moe- 'nibus Alexandriae, abducturusque exercitum in Syriam 'esset. Quod si cunctentur facere, brevi extorres regno 'Ptolemaeum et Cleopatram Romam venturos, cum pudore 'quodam populi Romani, quod nullam opem in ultimo 'discrimine fortunarum tulissent.' Moti Patres precibus Alexandrinorum, extemplo C. Popillium Laenatem, et C. Decimium, et C. Hostilium legatos, ad finiendum inter reges bellum, miserunt. Prius Antiochum, dein Ptolemaeum adire iussi, et nuntiare, ni absistatur bello, per utrum stetisset, eum non pro amico, nec pro socio habituros esse.

Ad Antiochum et Ptolemaeum mittuntur legati.

20. His intra triduum simul cum legatis Alexandrinis profectis, legati ex Macedonia Quinquatribus ultimis adeo 7 exspectati venerunt, ut, nisi vesper esset, extemplo senatum vocaturi consules fuerint. Postero die senatus fuit, legatique auditi sunt. Ii nuntiant, 'Maiore periculo, 'quam emolumento, exercitum per invios saltus in Mace- 'doniam inductum. Pieriam, quo processisset, regem 'tenere: castra castris prope ita collata esse, ut flumine 'Enipeo interiecto arceantur: neque regem pugnandi po- 'testatem facere, nec nostris vim ad cogendum esse. 'Hiemem etiam ex insperato rebus gerendis intervenisse: 'in otio militem ali, nec plus quam sex * * frumentum 8 'habere. Macedonum dici triginta millia armatorum esse. 'Si Ap. Claudio circa Lychnidum satis validus exercitus 'foret, potuisse ancipiti bello distinere regem: nunc et 9 'Appium et quod cum eo praesidii sit, in summo periculo 'esse, nisi propere aut iustus exercitus eo mittatur, aut illi 'inde deducantur. Ad classem se e castris profectos, 'sociorum navalium partem morbo audisse absumptam; 'partem, maxime qui ex Sicilia fuerint, domos suas abisse, 'et homines navibus deesse: qui sint, neque stipendium 'accepisse, neque vestimenta habere. Eumenem classem- 'que eius, tanquam vento allatas naves, sine causa et 'venisse, et abisse: nec animum eius regis constare satis 'visum.' Sicut omnia de Eumene dubia, Attali egregie 1 constantem fidem nuntiabant.

Legatorum ex Macedonia reducum oratio.

21. Legatis auditis, tunc de bello referre sese L. Aemilius dixit. Senatus decrevit, 'ut in octo legiones parem nu- 2

7 *Quinquatribus ultimis*] Ultimo die Quinquatruum. De Quinquatribus, cf. supr. xxvi. 27.

8 *Nec plus quam sex * * frumentum*] Pro asteriscis vocem *dierum* exhibent Gronov. et Crevier. et prior quidem uncinis non inclusam.

9 *Distinere regem*] *Distineri*, quod Gronov. mavult, reposuit Bekker.

1 *Attali egregie*] Particulam *ita* ante vocem *Attali* excidisse censet Gronovius.

2 *In octo legiones*] Sex vero tantum postea enumerantur. Fieri po-

'merum tribunorum consules et populus crearent: creari 'autem neminem eo anno placere, nisi qui honorem gessis- 'set. Tum ex omnibus tribunis militum uti L. Aemilius 'in duas legiones in Macedoniam, quos eorum velit, eligat, 'et ut, sollenni Latinarum perfecto, L. Aemilius consul, 'Cn. Octavius praetor, cui classis obtigisset, in provinciam 'proficiscantur.' Additus est his tertius L. Anicius praetor, cuius inter peregrinos iurisdictio erat. Eum in provinciam Illyricum circa Lychnidum Ap. Claudio succedere placuit. Delectus cura C. Licinio consuli imposita. Is septem millia civium Romanorum et equites ducentos scribere iussus; et sociis nominis Latini septem millia peditum im-
3 perare, quadringentos equites; et Cn. Servilio Galliam obtinenti provinciam literas mittere, ut sexcentos equites conscriberet. Hunc exercitum ad collegam primo quoque tempore mittere in Macedoniam iussus: neque in ea provincia plus quam duas legiones esse; eas repleri, ut sena millia peditum, trecenos haberent equites: ceteros equites peditesque in praesidiis disponi: qui eorum idonei ad militandum non essent, dimitti. Decem praeterea millia peditum imperata sociis, et octingenti equites. Id praesidii
4 additum Anicio, praeter duas legiones, quas portare in Macedoniam est iussus, quina millia peditum et ducenos habentes, trecenos equites: et in classem quinque millia navalium socium sunt scripta. Licinius consul duabus legionibus obtinere provinciam iussus: eo addere sociorum decem millia peditum, et sexcentos equites.

U. C. 584. A. C. 168. S. C. de belli apparatu.

Senatusconsultis perfectis, L. Aemilius consul e curia in 22.
5 concionem processit, orationemque talem habuit: 'Ani- L. Aemilii Cos. oratio.
'madvertisse videor, Quirites, maiorem mihi, sortito Mace- 'doniam provinciam, gratulationem factam, quam quum 'aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum 'inissem: neque id ob aliam causam, quam quia bello in 'Macedonia, quod diu trahitur, existimastis dignum maies- 'tate populi Romani exitum per me imponi posse. Deos 'quoque huic favisse sorti spero, eosdemque in rebus ge-
6 'rendis affuturos esse. Haec partim opinari, partim spe- 'rare possum. Illud affirmare pro certo habeo audeoque, 'me omni ope annisurum esse, ne frustra vos hanc spem de

test duas urbanas fuisse, quemadmodum supr. xxxiii. 25. duarum legionum usus non indicatur, sed postea ibid. 36. eas ad urbem mansisse colligitur.

3 *Cn. Servilio*] Prioris anni consuli, qui, ut ex hoc loco discimus, prorogato ex consulatu imperio Galliam obtinebat. Crev.

4 *Quas portare in Macedoniam*] Imo *in Illyricum*. Haec enim Anicio provincia obtigerat.

5 *Orationemque talem habuit*] Polybium hoc loco expilavit Livius, si A. Maium audieris, animadvertentem ad Exc. Vat. Polyb. xxviii. 3.

6 *Partim opinari*] *Ominari* quibusdam magis placuit.

U. C. 584. A. C. 168. 'me conceperitis. Quae ad bellum opus sunt, et senatus 'decrevit, et, quoniam extemplo proficisci placet, neque 'ego in mora sum, C. Licinius collega, vir egregius, aeque 'enixe parabit, ac si ipse id bellum gesturus esset. Vos, 'quae scripsero senatui, aut vobis, credite: rumores cre- 'dulitate vestra ne alatis, quorum auctor nemo exstabit. 'Nam nunc quidem, quod vulgo fieri, hoc praecipue bello, 'animadverti, nemo tam famae contemptor est, cuius non 'debilitari animus possit. In omnibus circulis, atque 'etiam, si diis placet, in conviviis sunt, qui exercitus in 'Macedoniam ducant; ubi castra locanda sint, sciant; 'quae loca praesidiis occupanda; quando, aut quo saltu 'intranda Macedonia; ubi horrea ponenda; qua terra, 'mari subvehantur commeatus; quando cum hoste manus 'conserendae, quando quiesse sit melius. Nec, quid fa- 'ciendum sit, modo statuunt, sed, quicquid aliter, quam 'ipsi censuere, factum est, consulem veluti dicta die accu- 'sant. Haec magna impedimenta res gerentibus sunt. 'Neque enim omnes tam firmi et constantis animi contra 'adversum rumorem esse possunt, quam Fabius fuit: qui 'suum imperium minui per vanitatem populi maluit, quam 7 'secunda fama male rempublicam gerere. Non sum is, 'qui non existimem admonendos duces esse: imo eum, qui 'de sua unius sententia omnia gerat, superbum iudico 'magis, quam sapientem. Quid ergo est? Primum a 'prudentibus, et proprie rei militaris peritis, et usu doctis, 'monendi imperatores sunt: deinde ab his, qui intersunt 8 'gerendis * loco, qui hostem, qui temporum opportuni- 'tatem vident, qui in eodem velut navigio participes sunt 'periculi. Itaque si quis est, qui, quod e republica sit, 'suadere se mihi in eo bello, quod gesturus sum, confidat; 'is ne deneget operam reipublicae, et in Macedoniam 'mecum veniat. Nave, equo, tabernaculo, viatico etiam 'a me iuvabitur. Si quem id facere piget, et otium 'urbanum militiae laboribus praeoptat, e terra ne guber- 9 'naverit. Sermonum satis ipsa praebet urbs: loquacitatem 'suam contineat: nos castrensibus consiliis contentos fu- 'turos esse sciat.' Ab hac concione, Latinis, quae pridie Kalendas Apriles fuerunt, in monte sacrificio rite perpetrato, protinus inde et consul et praetor Cn. Octavius in 1

7 *Per vanitatem populi*] Per inconsultam populi levitatem. Crev.

8 *Qui intersunt gerendis * loco*] Sigonius *qui intersunt gerendis rebus, qui loca*, emendavit: quam emendationem omissa voce *rebus* probat Drakenborchius.

9 *E terra ne gubernaverit*] Ne velit ille in urbe se immiscere rebus, quae extra urbem geruntur, similis fere ei, qui in terra vices gubernatoris in mari obire velit. Doer.

1 *In monte*] sc. Albano, ubi Latinarum feriarum sacrum peragi mos erat.

Macedoniam profecti sunt. Traditum est memoriae, maiore, quam solita, frequentia prosequentium consulem celebratum; ac prope certa spe ominatos esse homines, finem esse Macedonico bello, maturumque reditum cum egregio triumpho consulis fore. U. C. 584. A. C. 168.

23. Dum haec in Italia geruntur, Perseus, quod iam inchoatum perficere, quia impensa pecuniae facienda erat, non inducebat in animum, ut Gentium Illyriorum regem sibi adiungeret; hoc, postquam intrasse saltum Romanos, et adesse discrimen ultimum belli animadvertit, non ultra differendum ratus; quum per Hippiam legatum trecenta argenti talenta pactus esset, ita ut obsides ultro citroque darentur, Pantauchum misit, ex fidissimis amicis, ad ea perficienda. Meteone Labeatidis terrae Pantauchus regi Illyrio occurrit: ibi et iusiurandum ab rege et obsides accepit. Missus et a Gentio est legatus, nomine Olympio, qui iusiurandum a Perseo obsidesque exigeret. Cum 3 eodem ad pecuniam accipiendam missi sunt, et, auctore Pantaucho, qui Rhodum legati cum Macedonibus irent, Parmenio et Morcus destinantur. Quibus ita mandatum, ut, iureiurando, obsidibusque, et pecunia accepta, tum 4 demum Rhodum proficiscerentur: 'duorum simul regum 'nomine incitari Rhodios ad bellum Romanum posse. 'Adiunctam civitatem, penes quam unam tum rei navalis 'gloria esset, nec terra nec mari spem relicturam Romanis. Venientibus Illyriis Perseus, ab Enipeo amni ex castris cum omni equitatu profectus, ad Dium occurrit. Ibi ea, quae convenerunt, circumfuso agmine equitum facta; quos adesse foederi sancitae cum Gentio societatis volebat rex, aliquantum eam rem ratus animorum iis adiecturam. Et obsides in conspectu omnium dati acceptique: et, Pellam ad thesauros regios missis, qui pecuniam acciperent, qui Rhodum irent cum Illyriis legatis, Thessalonicae conscendere iussi. Ibi Metrodorus erat, qui nuper ab Rhodo venerat: auctoribusque Dinone et Polyarato, principibus civitatis eius, affirmabat, Rhodios paratos ad bellum esse. Is princeps iunctae cum Illyriis legationis datus est.

Persei apparatus.

Foedus facit cum Gentio.

Legati Persei et Gentii ad Rhodios.

24. Eodem tempore ad Eumenem et ad Antiochum communia mandata, quae subiicere conditio rerum poterat. 5 'Natura inimica inter se esse liberam civitatem et regem. 'Singulos populum Romanum aggredi, et, quod indignius

Perseus Eumenem et Antiochum sollicitat.

2 *Finem esse*] *Adesse* reponendum suadent Drakenborch. et Crevier.

3 *Missi sunt*] sc. Legati.

4 *Duorum ... Romanis*] Haec ante *Parmenio et Morcus* ponenda censet Crevierius, loco apud Polyb. Leg. 85. fretus.

5 *Natura inimica*] Polybium rursus a Livio expilatum esse monet A. Maius ad Exc. Vat. Polyb. xxviii. 3. cf. supr. 22.

U. C. 584. A. C. 168. 'sit, regum viribus reges oppugnare. Attalo adiutore, pa-
'trem suum oppressum: Eumene adiuvante, et quadam ex
'parte etiam Philippo patre suo, Antiochum oppugnatum.
'In se nunc et Eumenem et Prusiam armatos esse. Si Ma-
'cedoniae regnum sublatum foret, proximam Asiam esse:
'quam iam ex parte, sub specie liberandarum civitatium.
'suam fecerint: deinde Syriam. Iam Prusiam Eumeni
'honore praeferri, iam Antiochum victorem praemio belli
'ab Aegypto arceri. Haec cogitantem providere' iubebat,
'ut aut ad pacem secum faciendam compelleret Romanos.
'aut perseverantes in bello iniusto communes duceret
'omnium regum hostes.' Ad Antiochum aperta mandata
erant, ad Eumenem per speciem captivorum redimendorum
missus legatus erat: verum occultiora quaedam agebantur,
quae in praesentia invisum quidem et suspectum Romanis
Eumenem falsis gravioribus * *. Proditor enim ac prope
hostis habitus, dum inter se duo reges captantes fraude et
avaritia certant. Cydas erat Cretensis, ex intimis Eume-
nis: hic prius ad Amphipolim cum Chimaro quodam po-
pulari suo, militante apud Persea, inde postea ad Deme-
triadem, semel cum Menecrate quodam, iterum cum
Antimacho, regiis ducibus, sub ipsis moenibus urbis collo-
cutus fuerat. Herophon quoque, qui tum missus est,
duabus ad eundem Eumenem iam ante legationibus
functus erat. Quae colloquia occulta et legationes infames
quidem erant: sed, quid actum esset, quidve inter reges
convenisset, ignorabatur. Res autem ita sese habuit.

25. Quid actum fuerit inter Persea et Eumenem.

Eumenes neque favit victoriae Persei, neque bello eum
invadere animo habuit: non tam quia paternae inter eos
inimicitiae erant, quam ipsorum odiis inter se accensae.
Non ea regum aemulatio, ut aequo animo Persea tantas
apisci opes, tantamque gloriam, quanta Romanis victis
eum manebat, Eumenes visurus fuerit. Cernebat et Persea,
iam inde ab initio belli, omni modo spem pacis tentasse, et
in dies magis, quo proprior admoveretur terror, nihil neque

6 *Falsis gravioribus* * *] Voces *criminibus onerarunt*, aut similes quasdam intercidisse censet Sigonius.

7 *Herophon*] De hoc nomine multum disputatur. Vulgo *Eropon* legitur, sed *Cryphon* reponendum ex Polyb. Leg. 85. Gronov. et Crevier. censent. Bekkerus *Hierophon* recepit.

8 *Infames ... erant*] Infamiae Eumeni apud Romanos erant; suspectum proditionis Eumenem faciebant. Crev.

9 *Eumenes neque favit*] Totam hanc narrationem e Polybio depromptam esse animadvertit A. Maius ad Exc. Vat. Polyb. xxix. 3.

1 *Neque bello eum invadere animo habuit*] Sigonius reposuerat *in animo*. Sed nihil est praepositione opus, ut observat Gronovius. Sic Auctor de Bello Hisp. in literis Pompeii: *cohortes animo habeo ad vos mittere*. Crev.

2 *Inter se accensae*] *Accensa* interpunctione sublata, auctore Heusingero, reposuit Bekker. ita ut vox *accensa* cum sequente *aemulatio* congruat.

agere aliud, neque cogitare. Romanos quoque, quia tra- U. C. 584.
heretur diutius spe ipsorum bellum, et ipsos duces, et se- A. C. 168.
natum, non abhorrere a finiendo tam incommodo ac difficili bello. Hac utriusque partis voluntate explorata, quod fieri etiam sua sponte taedio validioris, metu infirmioris credebat posse, in eo suam operam venditare concilianda gratia magis cupiit. Nam, modo ne iuvaret bello Romanos terra marique, modo pacis patrandae cum Romanis paciscebatur mercedem: ne bello interesset, * mille et quingenta talenta. In utroque non fidem modo se, sed obsides quoque, dare paratum esse, ostendebat. Perseus ad rem inchoandam promptissimus erat, cogente metu, et de obsidibus accipiendis sine dilatione agebat, conveneratque, ut accepti Cretam mitterentur. Ubi ad pecuniae mentionem ventum erat, ibi haesitabat: et utique alteram in tanti nominis regibus turpem ac sordidam, et danti, et magis accipienti, mercedem esse. Malebat in spem Romanae pacis non recusare impensam, sed eam pecuniam perfecta re daturum; interea Samothracae in templo depositurum. Ea insula quum ipsius ditionis esset, videre Eumenes nihil
6 interesse, an Pellae pecunia esset: id agere, ut partem aliquam praesentem ferret. Ita, nequicquam inter se captati, nihil praeter infamiam movere.

Nec haec tantum Perseo per avaritiam est dimissa res, 26.
7 quum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem, Persei avaritia.
quae vel parte regni redimenda esset, ac receptus protrahere inimicum mercede onustum, et hostes merito ei Ro-
8 manos posset facere: sed iam ante Gentii regis parata societas, et tum Gallorum, effusorum per Illyricum, ingens agmen oblatum avaritia dimissum est. Veniebant decem Gallorum auxilia recusat.
9 millia equitum, par numerus peditum, et ipsorum iungentium cursum equis, et in vicem prolapsorum equitum va-

3 *Ne bello interesset,* * *mille et quingenta talenta. In utroque*] Hic aliquid deesse ipsa res clamat. Quid exciderit, discimus ex Appiano in excerptis de Bello Macedonico. Sic enim habet Graecus scriptor. Τάλαντα δ' ἤτει (Εὐμενὴς) τῆς μὲν διαλύσεως, χίλια καὶ πεντακόσια, τῆς δὲ ἡσυχίας χίλια. Hunc sensum procul dubio expresserat Livius: verba sic formamus. *Ne bello interesset, mille; ut pacem conciliaret, mille et quingenta talenta.* Crev.

4 *In utroque*] *In utrumque*, quod Gronovius maluit, reposuit Bekker.

5 *Et utique alteram*] Et ex duabus illis rebus, unius quidem certe, nempe ne bello interesset Eumenes, mercedem turpem ac sordidam esse. Crev.

6 *An Pellae*] Nonne melius videatur? *ibi an Pellae.* Crev.

7 *Quum pecuniam tutam*] Emendat Gronovius: *quum pecunia tantula aut pacem habere per Eumenem, quae vel parte regni redimenda esset, aut deceptus protrahere inimicum . . . posset. Protrahere* intellige *indicare.* Sic infr. xlv. 5. "Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protrahcret." Crev.

8 *Iam ante*] *Et ante* apud Bekker. *etiam* apud Crevier. legimus. *Parata* autem *Gentii societas* intelligenda est, quia Gentius legatos Romanorum in vincula coniecerat: sed haec societas avaritia dimissa est.

9 *Iungentium cursum equis*] Cur-

U. C. 584. A. C. 168. cuos capientium ad pugnam equos. Hi pacti erant, eques denos praesentes aureos, pedes quinos, mille dux eorum. Venientibus his Perseus ab Enipeo ex castris profectus obviam cum dimidia copiarum parte denuntiare per vicos urbesque, quae viae propinquae sunt, coepit, ut commeatus expedirent, frumenti, vini, pecorum ut copia esset. Ipse equos, phalerasque, et sagula, donum principibus ferre, et parum auri, quod inter paucos divideret, multitudinem credens trahi spe posse. Ad Almanam urbem pervenit, 1 et in ripa fluminis Axii posuit castra. Circa Desudabam 2 in Maedica exercitus Gallorum consederat, mercedem pactam opperiens. Eo mittit Antigonum, ex purpuratis unum, qui iuberet, multitudinem Gallorum ad Bylazora (Paeoniae is locus est) castra movere, principes ad se venire frequentes. Septuaginta quinque millia ab Axio flumine et castris regis aberant. Haec mandata ad eos quum pertulisset Antigonus, adiecissetque, per viam quanta omnium praeparata cura regis copia multitudini foret, quibusque muneribus principes advenientes, vestis, argenti, equorumque excepturus rex esset, de his quidem se coram cognituros respondent. Illud, quod praesens pepigissent, interrogant, ecquid aurum, quod in singulos pedites equitesque dividendum esset, secum adduxisset? Quum ad id 3 nihil responderetur, Clondicus regulus eorum: 'Abi, re-'nuntia ergo,' inquit, 'regi, nisi aurum obsidesque acce-4 'pissent, nusquam inde Gallos longius vestigium moturos.' Haec relata regi quum essent, advocato consilio, quum, quid omnes suasuri essent, appareret, ipse, pecuniae, quam regni, melior custos, institit de perfidia et feritate Gallorum disserere: 'Multorum iam ante cladibus expertum, 'periculosum esse, tantam multitudinem in Macedoniam 'accipere, ne graviores eos socios habeant, quam hostes 'Romanos. Quinque millia equitum satis esse, quibus et 'uti ad bellum possent, et quorum multitudinem ipsi non
27. 'timeant.' Apparebat inde omnibus, mercedem multitudi-5

sum equorum adaequantium; dixerunt hoc peditum genus Graeci ἀμίππους. Doer. De hoc more Gallorum cf. Pausan. in Phoc. 19. Caes. de Bell. Gall. i. 48.

1 *Ad Almanam*] *Almana* urbs fuit Macedoniae, vel in ripa Axii, vel non longe inde sita, cuius praeter Livium nemo meminit. Drak.

2 *Desudabam*] Hoc nomen non immerito suspectum est Iac. Gronovio, qui mutat illud in *Oesimam*; quae urbs etsi Edonis vulgo attribuitur, nihil tamen vetat eam aliquando habitam fuisse finium Maedicae, quae Edonis vicina est. Crev.

3 *Adduxisset*] *Advexisset* ex emendatione Gronov. reposuit Bekker.

4 *Accepissent*] *Acceperint* mavult Gronovius.

5 *Apparebat inde omnibus*] Vulgo *in omnibus*, quod merito Gronovio aliisque displicuit. Bekkerus Gronovium secutus praepositionem delet, atque *omnibus*, sc. qui in consilium vocati erant, scribit. Kreyssigius ex coniecturâ Drakenborchii *inde* reposuit, quoniam *in*, sive *inde*, et *in* a librariis confundi solent.

nis timere, nec quicquam aliud: sed, quum suadere consulenti nemo auderet, remittitur Antigonus, qui nuntiaret, quinque millium equitum opera tantum uti regem: non tenere multitudinem aliam. Quod ubi audivere barbari, ceterorum quidem fremitus fuit, indignantium se frustra excitos sedibus suis: Clondicus rursus interrogat, ecquid ipsis quinque millibus, quod convenisset, numeraret? Quum adversus id quoque misceri ambages cerneret, inviolato fallaci nuntio, (quod vix speraverat ipse posse contingere) retro ad Istrum, perpopulati Thraciam, qua vicina erat viae, redierunt. Quae manus, quieto sedente rege ad Enipeum, adversus Romanos Perrhaebiae saltum in Thessaliam traducta, non agros tantum nudare populando potuit, ne quos inde Romani commeatus exspectarent, sed ipsas exscindere urbes, tenente ad Enipeum Perseo Romanos, ne urbibus sociis opitulari possent. Ipsis quoque Romanis de se cogitandum fuisset: quando neque manere, amissa Thessalia, unde exercitus alebatur, potuissent, neque progredi, quum ex adverso castra Macedonum * * *. Qui ea pependerant spe, haud mediocriter debilitavit. Eadem avaritia Gentium regem sibi alienavit. Nam, quum trecenta talenta Pellae missis a Gentio numerasset, signare eos pecuniam passus. Inde decem talenta ad Pantauchum missa, eaque praesentia dari regi iussit: reliquam pecuniam, signatam Illyriorum signo, portantibus suis praecipit, parvis itineribus veherent: dein, quum ad finem Macedoniae ventum esset, subsisterent ibi, ac nuntios ab se opperiren-
8 tur. Gentius, exigua parte pecuniae accepta, quum assidue Pantaucho ad lacessendos hostili facto Romanos stimularetur, M. Perpernam et L. Petillium legatos, qui tum forte ad eum venerant, in custodiam coniecit. Hoc audito, Perseus, contraxisse eum necessitates ratus ad bellum utique cum Romanis, ad revocandum, qui pecuniam portabat, misit: velut nihil aliud agens, quam ut, quanta maxima posset, praeda ex se victo Romanis reservaretur. Et ab Eumene Herophon, ignotis, quae occulte acta erant, redit. De captivis actum esse et ipsi evulgaverant, et Eumenes consulem, vitandae suspicionis causa, certiorem fecit.

U. C. 584. A. C. 168.

Gentium in fraudem impellit.

9 Perseus, post reditum ab Eumene Herophontis spe de- 28.

6 *Perrhaebiae saltum . . traducta*] Vox *saltum* a praepositione, quae verbo adiuncta est, regitur; unde nihil opus est cum Grutero legatur *per Perrhaebiae*. cf. supr. ix. 39. xxii. 45.

7 *Castra Macedonum*] Voces aliquas hoc loco intercidisse liquet. Sigonius et Crevierius repetitionem vocis *Macedonum* librario causam fuisse omnia media omittendi existimant, et lacunam alter altero modo integrant.

8 *Assidus Pantaucho*] *Assidus a Pantaucho* Sigonio auctore reposuit Bekker.

9 *Herophontis*] cf. Supr. 24.

U. C. 584. A. C. 168. Classis Persei.

iectus, Antenorem et Callippum praefectos classis cum quadraginta lembis (adiectae ad hunc numerum quinque pristes erant) Tenedum mittit; ut inde sparsas per Cyclades insulas naves, Macedoniam cum frumento petentes, tutarentur. Cassandreae deductae naves in portus primum, qui sub Atho monte sunt, inde Tenedum placido mari quum traiecissent, stantes in portu Rhodias apertas naves Eudamumque praefectum earum, inviolatos, atque etiam benigne appellatos dimiserunt. Cognito deinde, in latere altero quinquaginta onerarias suarum, stantibus in ostio portus Eumenis rostratis, quibus Damius praeerat, inclusas esse; circumvecti propere, ac summotis terrore hostium navibus, onerarias, datis, qui prosequerentur, decem lembis, in Macedoniam mittunt: ita ut in tutum prosecuti redirent Tenedum. Nono post die ad classem, iam ad Sigeum stantem, redierunt. Inde Subota (insula est interiecta Elaeae et Atho) traiiciunt. Forte postero die, quam Subota classis tenuit, quinque et triginta naves, quas hippagogos vocant, ab Elaea profectae cum equitibus Gallis equisque, Phanas promontorium Chiorum petebant, unde transmittere in Macedoniam possent. Attalo ab Eumene mittebantur. Has naves per altum ferri quum ex specula signum datum Antenori esset, profectus ab Subotis, inter Erythrarum promontorium Chiumque, qua artissimum fretum est, iis occurrit. Nihil minus credere praefecti Eumenis, quam Macedonum classem in illo vagari mari: nunc Romanos esse, nunc Attalum, aut remissos aliquos ab Attalo ex castris Romanis Pergamum petere. Sed quum iam appropinquantium forma lemborum haud dubia esset, et concitatio remorum, directaeque in se prorae, hostes appropinquare aperuissent; tunc iniecta trepidatio est, quum resistendi spes nulla esset, inhabilique navium genere, et Gallis vix quietem ferentibus in mari. Pars eorum, qui propiores continenti litori erant, in Erythraeam enarunt: pars, velis datis, ad Chium naves eiecere, relictisque equis, effusa fuga urbem petebant. Sed, propius urbem lembi accessuque commodiore quum exposuissent armatos, partim in via fugientes Gallos adepti Macedones ceciderunt, partim ante portam exclusos. Clauserant enim Chii portam, ignari, qui fugerent, aut sequerentur. Octingenti ferme Gallorum occisi, ducenti vivi capti: equi, pars in

1 *Pristes*] sc. Navigia longi et angusti corporis, ut pristes marinae, si Nonium audiamus. cf. supr. XXXV. 26.

2 *Inde sparsas*] Crevierius melius futurum existimat *sparsi*, ut referatur ad praefectos classemque potius, quam ad pristes. Posses etiam legere *spersas*. DRAK.

3 *In latere altero*] Insulae Tenedi. CREV.

mari, fractis navibus, absumpti; parti nervos succiderunt U. C. 584.
in litore Macedones. Viginti eximiae equos formae cum A. C. 168.
captivis eosdem decem lembos, quos ante miserat, Antenor devehere Thessalonicam iussit, et primo quoque tempore ad classem reverti: Phanis se eos exspectaturum. Triduum ferme classis ad urbem stetit. Phanas inde progressi sunt, et, spe celerius reversis decem lembis, evecti Aegaeo mari Delum traiecerunt.

29. Legati Rom. in insula Delo.

Dum haec geruntur, legati Romani, C. Popillius et C. Decimius, et C. Hostilius, a Chalcide profecti, tribus quinqueremibus Delum quum venissent, lembos ibi Macedonum quadraginta, et quinque regis Eumenis quinqueremes invenerunt. Sanctitas templi insulaeque inviolatos praestabat omnes. Itaque permixti Romanique et Macedones et Eumenis navales socii in templo, indutias religione loci praebente, versabantur. Antenor, Persei praefectus, quum
5 aliquas alto praeferri onerarias naves ex speculis significatum foret, parte lemborum ipse insequens, parte per Cycladas disposita, praeterquam si quae Macedoniam peterent, omnes aut supprimebat, aut spoliabat naves. Quibus
6 poterant, Popillius aut Eumenis naves succurrebant: sed vecti nocte binis aut ternis plerumque lembis Macedones fallebant. Per id fere tempus legati Macedones Illyriique simul Rhodum venerunt, quibus auctoritatem addidit non lemborum modo adventus, passim per Cycladas atque Aegaeum vagantium mare, sed etiam coniunctio ipsa regum Persei Gentiique, et fama cum magno numero peditum equitumque venientium Gallorum. Et iam quum accessissent animi Dinoni ac Polyarato, qui Persei partium erant, non benigne modo responsum regibus est, sed palam pronuntiatum, 'Bello finem se auctoritate sua imposi-
'turos esse: itaque ipsi quoque reges aequos adhiberent
'animos ad pacem accipiendam.'

30. Gentii genus et facta.

7 Iam veris principium erat, novique duces in provinciam venerant; consul Aemilius in Macedoniam, Octavius Oreum ad classem, Anicius in Illyricum, cui bellandum adversus Gentium. Patre Pleurato rege Illyriorum et matre Eurydica genitus fratres duos, Platorem utroque parente, Cara-

4 *Nervos succiderunt*] Intelligimus nervos poplitum, ut supr. xxxvii. 42.

5 *Alto praeferri*] sc. Praetervehi. cf. supr. xxviii. 30.

6 *Sed vecti nocte*] Sed Macedones nocte paucis lembis *vecti*, sive fortasse *evecti*, fallebant Popillium et Eumenis naves, sicque nullo obstante onerarias hostiles impugnabant. Crev.

7 *Iam veris principium erat*] Haec non congruere videntur cum eo, quod supr. 19. dicitur, sc. Aemilium mense Aprili urbe se exiturum promisisse, quum veris initium veteres a die septimo aut nono Februarii sumebant. Sed Dodwellus in Append. Praelect. Camden. p. 755. et de Cyclis Diss. x. §. 12. hoc non ad rationes anni Iuliani, sed ad veteris anni Romani exigendum esse docet. Rascu.

U. C. 584. A. C. 168. vantium matre eadem natum, habuit. Hoc propter ignobilitatem paternam minus suspecto, Platorem occidit et duos amicos eius, Ettritum et Epicadum, impigros viros, quo tutius regnaret. Fama fuit, Honuni Dardanorum principis filiam Etutam pacto fratri, eum invidisse, tanquam his nuptiis adiungenti sibi Dardanorum gentem: et simillimum id vero fecit ducta ea virgo, Platore interfecto. Gravis deinde, dempto fratris metu, popularibus esse coepit: et violentiam insitam ingenio intemperantia vini accendebat. Ceterum, sicut ante dictum est, ad Romanum incitatus bellum, Lissum omnes copias contraxit. Quindecim millia armatorum fuerunt. Inde, fratre in Caviorum gentem, vi aut terrore subigendam, cum mille peditibus et quinquaginta equitibus misso, ipse ad Bassaniam urbem quinque millia ab Lisso ducit. Socii erant Romanorum. Itaque per praemissos nuntios prius tentati, obsidionem pati, quam dedere sese, maluerunt. Caravantium in Caviis Durnium oppidum advenientem benigne accepit. Caravantis altera urbs exclusit: et, quum agros eorum effuse vastaret, aliquot palati milites agrestium concursu interfecti sunt. Iam et Ap. Claudius, assumptis ad eum exercitum, quem habebat, Bullinorum, et Apolloniatium et Dyrrhachinorum auxiliis, profectus ex hibernis, circa Genusum amnem castra habebat; audito foedere inter Persea et Gentium, et legatorum violatorum iniuria accensus, bellum haud dubie adversus eum gesturus. Anicius praetor, eo tempore Apolloniae auditis, quae in Illyrico gererentur, praemissisque ad Appium literis, ut se ad Genusum opperiretur, triduo et ipse in castra venit: et ad ea, quae habebat, auxilia Parthinorum iunctis duobus millibus peditum et equitibus ducentis, (peditibus Epicadus, equitibus Algalsus praeerat) parabat ducere in Illyricum, maxime ut Bassanitas solveret obsidione. Tenuit impetum eius fama lemborum vastantium maritimam oram. Octoginta erant lembi, auctore Pantaucho missi a Gentio ad Dyrrhachinorum et Apolloniatium agros populandos. Tum classis ad [oram haud procul Apollonia stabat. Huc recurrit Anicius, ac brevi assecutus Illyrios praedatores, congressusque cum iis, et perlevi negotio victor, aliquot naves hostium cepit, ceteras repetere Illyricum coegit. Inde in castra ad

Anicii Pr. res gestae.

8 *Pacto fratri*] Scriptores Latini plerumque puellam *viro pactam*, raro virum *puellam pactum* dicunt: sed exemplum huius constructionis supr. iv. 4. habemus.

9 *Ad* [*oram haud procul* . . .] Supplementum hoc Crevierius partim ab Appiano desumptum esse testatur, partim se ex coniectura, quam maxime licuit, probabili ad ea, quae praecedunt et sequuntur apud Livium, accomodasse. Monuit insuper, per classem, qua Anicius adversus Illyrios pugnavit, se intelligere eam, quae ipsum et copias advexerat. Drak.

Genusum regressus, ad Bassanitarum auxilium properavit. U. C. 584.
Non sustinuit famam adventantis praetoris Gentius, soluta- A. C. 168.
que obsidione Scodram se contulit tam trepida fuga, ut ne totum quidem exercitum abduceret. Magna pars copiarum, quae, si dux praesens confirmasset animos, morari Romanos poterant, amo]to eo, tradiderunt se. Deinceps 31.
et urbes regionis eius idem faciebant, adiuvante inclinationem animorum clementia in omnes et iustitia praetoris Romani. Ad Scodram inde ventum est, quod belli caput erat; non eo solum, quod Gentius eam sibi ceperat velut regni totius arcem, sed etiam quod Labeatium gentis munitissima longe est et difficilis aditu. Duo cingunt eam flumina, Clausala latere urbis, quod in orientem patet, praefluens, Barbanna ab regione occidentis, ex Labeatide palude oriens. Hi duo amnes confluentes incidunt Oriundi flumini; quod, ortum ex monte Scordo, multis et aliis auctum aquis, mari Hadriatico infertur. Mons Scordus, longe altissimus regionis eius, ab oriente Dardaniam subiectam habet, a meridie Macedoniam, ab occasu Illyricum. Quanquam munitum situ naturali oppidum erat, gensque id tota Illyriorum et rex ipse tuebatur, tamen praetor Romanus, quia prima successerant prospere, fortunam totius rei principia secuturam esse ratus, et repentinum valiturum terrorem, instructo exercitu ad moenia succedit. Quod si clausis portis muros portarumque turres, dispositis armatis, defendissent, vano cum incepto moenibus pepulissent Romanos. Nunc, porta egressi, proelium loco aequo maiore animo commiserunt, quam sustinuerunt. Pulsi enim et fuga conglobati, quum ducenti amplius in ipsis faucibus portae cecidissent, tantum intulerunt terrorem, ut oratores extemplo ad praetorem mitteret Gentius Teuticum et Bellum, principes gentis, per quos iudutias peteret, ut deliberare de statu rerum suarum posset. Triduo in hoc dato, quum castra Romana quingentos ferme passus ab urbe abessent, navem conscendit, et flumine Barbanna navigat in lacum Labeatum, velut secretum locum petens ad consultandum; sed, ut apparuit, falsa spe exci-
1 tus, Caravantium fratrem, multis millibus armatorum co-
2 actis ex ea regione, in quam missus erat, adventare. Qui postquam evanuit rumor, tertio post die navem eandem secundo amni Scodram demisit: praemissisque nuntiis, ut

1 *Millibus armatorum coactis*] *Coactis* e manu Gronov. est, sed *actis*, quod vulgo exstat, Bekker. tuetur.

2 *Ex ea regione, in quam missus erat*] Haec non videntur intelligenda esse de expeditione Caravantii in Cavios, de qua cap. praec. egit Livius. Designatur potius amica aliqua Gentii regio, in quam Caravantius, a Caviis vel reversus, vel revocatus, missus esset a fratre, ut copias contraheret. Id fortasse clarius memoraverat Livius in iis quae interciderunt. Crev.

U. C. 584. A. C. 168. Gentius se dedit.

sibi appellandi praetoris potestas fieret, copia facta, in castra venit. Et principium orationis ab accusatione stultitiae orsus suae, postremo ad preces lacrimasque effusus, genibus praetoris accidens, in potestatem sese dedit. Primo, bonum animum habere iussus, ad coenam etiam invitatus, in urbem ad suos rediit, et cum praetore eo die honorifice est epulatus: deinde in custodiam C. Cassio tribuno militum traditus, vix gladiatorio accepto decem
32. talentis ab rege, rex, ut in eam fortunam recideret. Anicius, Scodra recepta, nihil prius, quam requisitos Petillium Perpernamque legatos ad se duci, iussit. Quibus splendore suo restituto, Perpernam extemplo mittit ad comprehendendos amicos cognatosque regis: qui, Meteonem, Labeatium gentis urbem, profectus, Etlevam uxorem cum filiis duobus, Scerdilaedo Pleuratoque, et Caravantium fratrem Scodram in castra adduxit. Anicius, bello Illyrio intra triginta dies perfecto, nuntium victoriae Perpernam Romam misit: et post dies paucos Gentium regem ipsum cum parente, coniuge, liberis, ac fratre, aliisque principibus Illyriorum. Hoc unum bellum prius perpetratum, quam coeptum, Romae auditum est.

Capiuntur cognati regis.

Perseus in magno terrore est.

Quibus diebus haec agebantur, Perseus quoque in magno terrore erat, propter adventum simul Aemilii novi consulis, quem cum ingentibus minis adventare audiebat, simul Octavii praetoris. Nec minus terroris a classe Romana et periculo maritimae orae habebat. Thessalonicae Eumenes et Athenagoras praeerant cum parvo praesidio duorum millium caetratorum. Eo et Androclem praefectum mittit, iussum sub ipsis navalibus castra habere. Aeneam mille equites cum Antigono misit ad tutandam maritimam oram: ut, quocunque litore applicuisse naves hostium audissent, extemplo ferrent agrestibus opem. Quinque millia Macedonum missa ad praesidium Pythii et Petrae, quibus praepositi erant Histiaeus, et Theogenes, et Medon. His profectis, ripam munire Enipei fluminis aggressus est, quia sicco alveo transiri poterat. Huic ut omnis multitudo vacaret, feminae ex propinquis urbibus cocta cibaria in

Ripam Enipei munit.

3 *Gladiatorio*] Sub. *Proemio* vel *auctoramento*. Multi quippe ingenui operas suas arenae certa mercede locabant, ut depugnarent. TURNEB.

4 *Etlevam uxorem*] Paullo ante supr. 30. uxorem Gentii regis *Etutam* noster vocavit. Videndum an unam hanc rex habuerit. SIGON.

5 *Scerdilaedo*] Hoc nomen pro vulg. *Scerdilio* ex cod. integerrimo et ex Polybio reponendum Gronovius monuit. cf. supr. xxvi. 24.

6 *Triginta dies*] Diebus viginti perfectum hoc bellum scribit Appian. de B. Illyr. p. 761.

7 *Nec minus terroris*] sc. Terror maritimus non minor terrestri erat.

8 *Huic ut omnis*] *Operi huic* Muretus emendat. Sed Drakenborchius nihil mutandum censet.

9 *Cocta*] *Cocta* auctore Drakenborchio reposuit quoque Bekkerus. Vulg. *coactae*.

castra afferebant: miles iussus ex propinquis silvis, be- U. C. 584.
nigne * * [ligna petere. Inde structum vallum, propugna- A. C. 168.
cula excitata; adiectis turribus dispositisque ubique tor-
mentis, ita ripam defendebant, ut penetrare hostis sine
gravi certamine et periculo non posset. Sic tutum se ad-
versus omnem Romanorum impetum fore confidebat, se-
dendoque et segni mora languescentes, tum sumptibus
exhaustos hostes tandem taedium tam difficilis belli captu-
rum. Paullus contra, quo diligentius et cautius omnia
apud Macedonas provisa et custodita cernebat, eo acrius
curam intendere, in omnes partes versare animum, si quo
consilio frustrari hostium spem haud de nihilo sane con-
ceptam posset. Ceterum praesens tum malum angebat,
aquarum penuria. Exaruerat paene proximum flumen,
nisi quod iuxta ipsum mare exigua et corrupta manabat
aquula.

Consul, quum missi circa propinqua loca nullam aquam 33.
1 inveniri renuntiarent,] * * conferre, postremo sequi se utra- Inventa aqua.
rios ad mare, quod minus trecentos passus aberat, iussit, et
in litore alios alibi modicis intervallis fodere. Montes in-
gentis altitudinis spem faciebant, eo magis quia nullos
2 apertos evergerent rivos, occultos continere latices, quo-
3 rum venae in mare permanantes undae miscerentur. Vix
diducta summa arena erat, quum scaturigines turbidae
primo et tenues emicare, dein liquidam multamque fun-
dere aquam, velut deum dono, coeperunt. Aliquantum ea
quoque res duci famae et auctoritatis apud milites adiecit.
Iussis deinde militibus expedire arma, ipse cum tribunis
5 primisque ordinibus vadit ad contemplandos transitus; qua
descensus facilis armatis, qua in ulteriorem ripam minime
iniquus ascensus esset. His satis exploratis, illa quoque
primum, ut ordine ac sine tumultu omnia in agmine ad
nutum imperiumque ducis fierent, providit. Ubi omnibus
simul pronuntiaretur, quod fieret, neque omnes exaudi-
6 rent; incerto imperio accepto, alios, ab se adiicientes, plus
eo, quod imperatum sit, alios minus facere: clamores de-
inde dissonos oriri omnibus locis, et prius hostes, quam
ipsos, quid paretur, scire. Placere igitur, tribunum mili-
7 tum primo pilo legionis secretum edere imperium: illum,

1 *Utrarios*] Intellige homines, qui utribus sive pellibus hircinis aquam in castra portabant. Doer.

2 *Evergerent*] Emitterent. Doer.

3 *Continere*] *Contineri* forte legendum coniecere Drakenb. et Duker.

4 *Undae*] Intellige *undis marinis*. Crev.

5 *Primisque ordinibus*] Primorum ordinum centurionibus. cf. supr. xxx. 4. Crev.

6 *Ab se adiicientes*] Pro suo arbitrio aliquid ad acceptum imperium ex se adiicientes.

7 *Primo pilo*] Centurioni primo pilano.

U. C. 584. A. C. 168. et dein singulos, proximo cuique in ordine centurioni dicere, quid opus facto sit; sive a primis signis ad novissimum agmen, sive ab extremis ad primos perferendum imperium sit. Vigiles etiam novo more scutum in vigiliam ferre vetuit: non enim in pugnam vigilem ire, ut armis utatur, sed ad vigilandum, ut, quum senserit hostium adventum, recipiat se, excitetque ad arma alios. Scuto prae 8 se erecto stare galeatos: deinde ubi fessi sint, innisos pilo, capite super marginem scuti posito, sopitos stare: ut fulgentibus armis procul conspici ab hoste possint, ipsi nihil provideant. Stationum quoque morem mutavit. Armati omnes, et frenatis equis equites, diem totum perstabant. Id quum aestivis diebus, urente assiduo sole, fieret, tot horarum aestu et languore ipsos equosque fessos integri saepe adorti hostes, vel pauci plures vexabant. Itaque ex matutina statione ad meridiem decedi, et in postmeridianam succedere alios iussit: ita nunquam fatigatos recens hostis aggredi poterat.

Vigiliae.

Stationes.

34. Haec quum ita fieri placere, concione advocata, pronuntiasset, adiecit urbanae concioni convenientem orationem. 'Unum imperatorem in exercitu providere et consulere, 'quid agendum sit, debere, nunc per se, nunc cum iis, 'quos advocarit in consilium: qui non sint advocati, eos 'nec palam, nec secreto iactare consilia sua. Militem haec 'tria curare debere, corpus ut quam validissimum et per- 'nicissimum habeat, arma apta, cibum paratum ad subita 9 'imperia: cetera scire de se diis immortalibus et impera- 1 'tori suo curae esse. In quo exercitu milites consultent, 'imperator rumoribus vulgi circumagatur, ibi nihil salutare 'esse. Se, quod sit officium imperatoris, provisurum, ut 'bene gerendae rei occasionem iis praebeat. Illos nihil, 'quid futurum sit, quaerere: ubi datum signum sit, tum 'militarem operam navare.' Ab his praeceptis concionem dimisit; vulgo etiam veteranis fatentibus, se illo primum die, tanquam tirones, quid agendum esset in re militari, didicisse. Non sermonibus tantum his, cum quanto assensu audissent verba consulis, ostenderunt; sed rerum praesens effectus erat. Neminem totis mox castris quietum videres: acuere alii gladios: alii galeas bucculasque, 2

Oratio Aemilii ad milites.

Fervet in castris opus.

8 *Scuto prae se erecto*] Haec sunt incommoda quae sequuntur ex illo more quem hactenus tenuerant, ut scutum et cetera arma in vigiliam ferrent. Crev.

9 *Cibum paratum*] Cibaria in certum dierum numerum cocta. cf. supr. iii. 27.

1 *Cetera scire de se*] sc. Diis immortalibus et imperatori suo curae esse, milites de ceteris, quae ad se spectent, pro occasione certiores fieri.

2 *Bucculasque*] Laminas flexiles, quae pendentes e casside, buccas tegebant. Neque enim, ut observat Lips. de Milit. Rom. iii. §. 5. clausae erant, et vultui appressae antiquorum galeae. His tantum bucculis genae tegebantur. Crev.

scuta alii, alii loricas tergere: alii aptare corpori arma, experirique sub his membrorum agilitatem: quatere alii pila, alii micare gladiis, mucronemque intueri: ut facile quis cerneret, ubi primum conserendi manum cum hoste data occasio esset, aut victoria egregia, aut morte memorabili finituros bellum. Perseus quoque quum, adventu consulis simul et veris principio, strepere omnia moverique apud hostes, velut novo bello, cerneret, mota a Phila castra in adversa ripa posita, nunc ad contemplanda opera sua circumire ducem, haud dubie transitus speculantem, [nunc ea omnia intentissima cura apparare, quae ad vim faciendam oppugnandaque castra usui esse possent; nihil omittere, quod sive adversus hostem, sive ad suorum adiuvandas vires magno duci conandum faciendumque esset: et ipse, tanquam in summae rei iam discrimen venturus, acuere militum animos, firmare opera magis ac magis, nunquam satis provisa omnia, satis tutam munitamque ripam credere. Tamen in acerrimo utrimque ardore quieta per aliquantum temporis stativa fuere: nec unquam tantos exercitus tam in propinquum collatis castris tam tranquillos consedisse memoriae proditum est. Interim fama nuntiat, victum in Illyrico Gentium regem ab Anicio praetore, ipsumque cum domo tota et universa ditione in potestate Romanorum esse.] Quae res Romanis auxit animos, Macedonibus regique eorum haud mediocrem attulit terrorem. Et primo supprimere in occulto famam eius rei est conatus, missis, qui Pantauchum inde venientem appropinquare
4 castris vetarent. Sed iam et pueri quidam visi ab suis erant inter obsides Illyrios ducti: et, quo quaeque accuratius celantur, eo facilius loquacitate regiorum ministrorum emanant.

U. C. 584. A. C. 168.

35.

Sub idem tempus Rhodii legati in castra venerunt cum iisdem de pace mandatis, quae Romae ingentem iram Patrum excitavere. Multo iniquioribus animis a castrensi
5 consilio auditi sunt. Itaque quum alii praecipites sine responso * agendos castris, pronuntiavit, post diem quintum decimum se responsum daturum. Interim, ut appareret, quantum pacificantium Rhodiorum auctoritas valuisset, consultare de ratione belli gerendi coepit. Placebat
6 quibusdam, et maxime maioribus natu, per Enipei ripam

Consilia de bello.

3 *Muoronemque intueri*] Explorabant milites aciem mucronis, quod Romani magis punctim quam caesim pugnabant. DRAK.

4 *Pueri quidam*] Quos inter obsides fuisse a Perseo regi Gentio datos, et a Pantaucho subductos in Romanorum manus incidisse existimat Crevierius.

5 *Sine responso*] Vocem *censerent* librarii incuria hoc loco intercidisse censent Gronov. et Drakenborch. verum Sigon. et Crevier. membrum orationis, quod respondeat τῷ *alii*, deesse suspicantur.

6 *Et maxime maioribus natu*] Ex-

U. C. 584. A. C. 168. munitionesque vim facere, 'confertis et vim facientibus re-'sistere Macedonas non posse: ex tot castellis aliquanto 'altioribus ac munitioribus, quae validis praesidiis insedis-'sent, priore anno deiectos.' Aliis placebat, Octavium cum classe Thessalonicam petere, et populatione maritimae orae distringere copias regias: ut, altero ab tergo se ostendente bello, circumactus ad interiorem partem regni tuendam, nudare aliqua parte transitus Enipei cogeretur. Ipsi[7] natura et operibus inexsuperabilis ripa videbatur: et, praeterquam quod tormenta ubique disposita essent, missilibus etiam melius et certiore ictu hostes uti audierat. Alio spectabat mens tota ducis: dimissoque consilio Perrhaebos mercatores, Coenum et Menophilum, notae iam sibi et fidei et prudentiae homines, arcessitos secreto percunctatur, quales ad Perrhaebiam transitus sint. Quum loca non iniqua esse dicerent, praesidiis autem regiis obsideri, spem cepit, si nocte improviso valida manu aggressus necopinantes esset, deiici praesidia posse. 'Iacula enim et sagittas et 'cetera missilia in tenebris, ubi, quid petatur, procul pro-'videri nequeat, inutilia esse: gladio cominus geri rem in 'permixta turba, quo miles Romanus vincat.' His ducibus usurus, praetorem Octavium arcessitum, exposito, quid pararet, Heracleum cum classe petere iubet, et mille hominibus decem dierum cocta cibaria habere. Ipse P. Scipionem Nasicam, Q. Fabium Maximum filium suum cum[8] quinque delectis millibus Heracleum mittit, velut classem conscensuros ad maritimam oram interioris Macedoniae, quod in consilio agitatum erat, vastandam. Secreto indicatum, cibaria his praeparata ad classem esse, ne quid eos moraretur. Inde iussi duces itineris ita dividere viam, ut quarta vigilia tertio die Pythium adoriri possent. Ipse[9] postero die, ut detineret regem ab circumspectu rerum aliarum, prima luce medio in alveo cum stationibus hostium proelium commisit: pugnatumque utrimque est levi armatura; nec gravioribus armis in tam inaequali alveo pugnari poterat. Descensus ripae utriusque in alveum trecentorum ferme passuum erat: medium spatium torrentis, alibi aliter cavati, paullo plus quam mille passus patebat. Ibi in medio, spectantibus utrimque ex vallo castrorum hinc rege, hinc consule cum suis legionibus, pugnatum est.

Nasica cum 5000. militibus mittitur ad Pythium.

Proelia in alveo Enipei.

istimamus Livium potius scripsisse *minoribus natu*. Fervidum enim illud consilium faciendae sibi viae per ripam Enipei munitionesque magis sapit iuvenilem ardorem, quam senilem prudentiam. Crev.

7 *Ipsi*] Aemilio.

8 *Q. Fabium Maximum filium suum*] Nempe is adoptatus fuerat a Q. Fabio Maximo, atque adeo nomina patris sui adoptivi gerebat. Crev.

9 *Pythium*] Templum Apollinis Pythii, et castellum in summo Olympi iugo positum. Vid. Plut. in Aemilio. Crev.

Missilibus procul regia auxilia melius pugnabant; cominus U. C. 584.
tabilior et tutior, aut parma, aut scuto Ligustino, Roma- A. C. 168.
nus erat. Meridie fere receptui cani suis consul iussit. Ita eo die diremptum proelium est, haud paucis utrimque interfectis. Sole orto postero die, irritatis certamine animis, etiam acrius concursum est: sed Romani, non ab his tantum, cum quibus contractum certamen erat, sed multo magis ab ea multitudine, quae disposita in turribus stabat, omni genere missilium telorum ac saxis maxime vulnerabantur. Ubi propius ripam hostium subissent, tormentis missa etiam ad ultimos perveniebant. Multo pluribus eo die amissis, consul paullo serius recepit suos. Tertio die proelio abstinuit, degressus ad imam partem castrorum, veluti per devexum in mare brachium transitum tentaturus. Perseus, quod in oculis erat, [id tantum cogitans, ad repellendum ea parte hostem omnem curam intendebat, nihil aliud sollicitus. Interim P. Nasica cum attributa sibi manu versus mare Heracleum profectus, postquam eo pervenit, iussis corpora curare militibus, noctem exspectavit. Tum vera consulis mandata praecipuis ducum exposuit, ac primis se intendentibus tenebris, flexo ad montem itinere, ad Pythium, ut imperatum erat, copias silentio ducit. Ubi ventum ad summum cacumen est, quod decem amplius stadia in altitudinem assurgit, fatigatis militibus aliquid requietis datum. Hoc iugum, ut ante dictum est, Medon, et Histiaeus, et Theogenes a Perseo missi cum quinque millibus Macedonum obtinebant: sed tanta negligentia regiis ducibus erat, ut nemo adventare Romanos senserit. Sopitos aggressus Nasica de iugo facile deiecit, si Polybio fides. Ipse enim Nasica in epistola ad aliquem regum longe aliter rem narrat. 'Montem arduo ascensu fuisse, sed incustoditum, ita ut saltum occupare nullo negotio potuisset, nisi transfuga Cretensis ex iis, quos secum ducebat, ad Persea cucurrisset, eumque docuisset, quid ageretur. Regem ipsum quidem mansisse in castris, sed misisse duo Macedonum, decem auxiliarium millia, Medone duce, ad occupandum saltum. Cum his acerrima pugna in summo iugo concursum esse, atque inter alia sese a Thrace milite ferro appetitum, quem ipse adacta per pectus hasta transfixerit. Victos tandem Macedonas loco cessisse, Macedonemque ipsum turpissima fuga abiectis armis saluti consuluisse.' Romanis fugientes persequentibus facilis et sine ullo peri-

1 *Aut parma, aut scuto Ligustino*] Quippe velites Romani parmam portabant, et Ligures, quos in exercitu Aemilii fuisse refert Plutarchus, scutum leve et ex more suae gentis fabricatum.

2 *Per devexum*] Videntur enim castra Romana in collibus fuisse, qui paullatim versus mare descendebant.

3 *Brachium*] Non murum, sed fluminis Enipei brachium hic intelligi animadvertit Doering.

U. C. 584. culo in plana descensus fuit. Hoc rerum statu Perseus
A. C. 168. ambigere, quid facto opus. Quum, aperta iam per saltum via, metueret, ne circumiretur a Romanis, omnino necesse erat, ut aut ad Pydnam recedens hostem ibi exspectaret, sub muris munitae urbis minore periculo certaturus; aut copiis per urbes Macedoniae dispersis, convectisque in loca munitiora frugibus atque pecoribus, populatos agros et nudum hosti relinqueret solum. Anceps fluctuabat inter haec duo consilia regis animus. Amici tutius quoque id, quod honestius foret, rati, hortabantur, ut pugnae casum experiretur. 'Eum et numero praestare militum, et vero 'etiam virtuti credere debere, quam ingenitam animis ac-'censura quoque essent illa validissima et sanctissima apud 'homines ad fortiter pugnandum incitamenta, arae, foci, 'sacra, inter quae et pro quibus dimicandum esset; et pa-'rentes ac coniuges; rex denique ipse inspectans, seseque 'in partem discriminis offerens.' His motus rex ad pugnam sese comparavit, et, quum retrocessisset ad Pydnam, simul castra locat, simul instruit aciem, suum cuique ductorum munus locumque assignat, tanquam statim ex itinere dimicaturus. Regio erat huiusmodi. Campus explicandae phalangi, cui aperta et aequabili planitie opus est, opportunus; non ita tamen, ut facile promoveri posset: perpetui deinde colles, qui levi armaturae tum refugiendi, tum circumcursandi copiam praeberent. Amnes duo, Aesonem alterum, alterum Leucum incolae appellant, quamvis tenui tum fluerent aqua, aliquid tamen negotii facessere Romanis posse videbantur. Aemilius, iunctis cum Nasica copiis, recta ad hostem ire pergit. Verum ad conspectum exercitus et numero et robore militum validissimi, et egregie instructi, et parati ad pugnam, stupefactus substitit, multa

36. Aemilii cunctatio.

secum reputans. Tempus] anni post circumactum solstitium erat: hora diei iam ad meridiem vergebat: iter multo pulvere et incalescente sole factum erat. Lassitudo et sitis iam sentiebatur, et, meridie instante, magis accessu- 4
rum utrumque apparebat. Statuit sic affectos recenti atque integro hosti non obiicere. Sed tantus ardor in animis ad dimicandum utrimque erat, ut consuli non minore arte ad suos eludendos, quam ad hostes, opus esset. Nondum omnibus instructis, instabat tribunis militum, ut maturarent instruere: circumibat ipse ordines, animos militum hortando in pugnam accendebat. Ibi primo alacres signum poscebant: deinde, quantum incresceret aestus, et vultus minus vigentes et voces segniores erant, et quidam incum-

4. *Accessurum utrumque*] sc. Lassitudinem et sitim. Generis mutatio offendit Gronovium. Sed eodem plane modo noster supr. XXX. 30 "tuam adolescentiam, et perpetuam felicitatem, ferociora utraque." CRIV.

entes scutis, nisique pilis stabant. Tum iam aperte pri- U. C. 584.
nis ordinibus imperat, metarentur frontem castrorum, et A. C. 168.
impedimenta constituerent. Quod ubi fieri milites sen-
sere, alii gaudere palam, quod fessos viae labore flagran-
tissimo aestu non coegisset pugnare. Legati circa impera-
torem ducesque externi erant, inter quos et Attalus, omnes
approbantes, quum pugnaturum consulem credebant: ne-
que enim ne his quidem cunctationem aperuerat suam.
Tunc mutatione consilii subita quum alii silerent, Nasica Nasicae colloquium cum Paullo.
unus ex omnibus ausus est monere consulem, 'Ne hostem,
'ludificatum priores imperatores, fugiendo certamen, mani-
'bus emitteret. Vereri, ne, si nocte abeat, sequendus
'maximo labore ac periculo in intima Macedoniae sit;
'caesusque, sicut prioribus ducibus, per calles saltusque
'Macedonicorum montium vagando circumagatur. Se
'magnopere suadere, dum in campo patenti hostem ha-
'beat, aggrediatur, nec oblatam occasionem vincendi amit-
'tat.' Consul, nihil offensus libera admonitione tam clari
adolescentis, 'Et ego,' inquit, 'animum istum habui, Na-
'sica, quem tu nunc habes: et, quem ego nunc habeo, tu
'habebis. Multis belli casibus didici, quando pugnandum,
'quando abstinendum pugna sit. Non operae sit stanti
'nunc in acie docere, quibus de causis hodie quiesse me-
'lius sit. Rationes alias reposcito: nunc auctoritate vete-
'ris imperatoris contentus eris.' Conticuit adolescens;
haud dubie videre aliqua impedimenta pugnae consulem,
quae sibi non apparerent. Paullus, postquam metata cas- 37.
tra impedimentaque collocata animadvertit, ex postrema
acie triarios primos subducit: deinde principes, stantibus
in prima acie hastatis, si quid hostis moveret: postremo
hastatos, ab dextro primum cornu singulorum paullatim
signorum milites subtrahens. Ita pedites, equitibus cum
levi armatura ante aciem hosti oppositis, sine tumultu ab-
ducti: nec ante, quam prima frons valli ac fossa perducta
est, ex statione equites revocati sunt. Rex quoque, quum
sine detrectatione paratus pugnare eo die fuisset, conten-
tus, quod per hostem moram fuisse pugnae scirent, et ipse
in castra copias reduxit. Castris permunitis, C. Sulpicius Eclipsis Lunae praedicta a Sulpicio.
Gallus tribunus militum secundae legionis, qui praetor su-
periore anno fuerat, consulis permissu ad concionem mili-
tibus vocatis pronuntiavit, 'Nocte proxima, ne quis id pro
'portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam
'horam noctis lunam defecturam esse. Id, quia naturali

5 *Primis ordinibus*] sc. Primorum ordinum centurionibus, ut supr. 33. cf. Polyb. vi. 34.

6 *Omnes approbantes*] Omnes pugnare cupientes, ac proinde, quum pugnaturum consulem credebant, approbantes hoc consilium. Crev.

U. C. 584. A. C. 168. 'ordine statis temporibus fiat, et sciri ante et praedici 'posse. Itaque quemadmodum, quia certi solis lunaeque 'et ortus et occasus sint, nunc pleno orbe, nunc senescen- 'tem exiguo cornu fulgere lunam non mirarentur; ita ne 'obscurari quidem, quum condatur umbra terrae, trahere 'in prodigium debere.' Nocte, quam pridie Nonas Septembres insecuta est dies, edita hora luna quum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri: Macedonas, ut triste prodigium, occasum regni perniciemque gentis portendens, movit: nec aliter vates. Clamor ululatusque in castris Macedonum fuit, donec luna in suam lucem emersit.

Postero die (tantus utrique ardor exercitui ad concurrendum fuerat, ut et regem et consulem suorum quidam, quod sine proelio discessum esset, accusarent) regi prompta defensio erat, non eo solum, quod hostis prior, aperte pugnam detrectans, in castra copias reduxisset; sed etiam, quod eo loco signa constituisset, quo phalanx, quam inutilem vel mediocris iniquitas loci efficeret, promoveri non posset. Consul ad id, quod pridie praetermisisse pugnandi occasionem videbatur, et locum dedisse hosti, si nocte abire vellet, tunc quoque per speciem immolandi terere videbatur tempus, quum luce prima signum propositum pugnae ad exeundum in aciem fuisset. Tertia demum hora, sacrificio rite perpetrato, ad consilium vocavit; atque ibi, quod rei gerendae tempus esset, loquendo et intempestive consultando videbatur quibusdam extrahere. Post sermones tamen consul orationem habuit. 'P. Nasica, egre- 'gius adolescens, ex omnibus unus, quibus hesterno die 'pugnari placuit, denudavit mihi suum consilium: idem 'postea, ita ut transisse in sententiam meam videri posset, 'tacuit. Quibusdam aliis absentem carpere imperatorem, 'quam praesentem monere, melius visum est. Et tibi, P. 'Nasica, et quicunque idem, quod tu, occultius senserunt, 'non gravabor reddere dilatae pugnae rationem. Nam 'tantum abest, ut me hesternae quietis poeniteat, ut ser- 'vatum a me exercitum eo consilio credam. In qua me 'opinione esse ne quis vestrum sine causa credat, recognos- 'cat, agedum, mecum, si videtur, quam multa pro hoste

38. Aemilii oratio de pugna dilata.

7 *Pridie Nonas Septembres*] Hinc Lunae defectum, ex Astronomorum rationibus, accidisse die XXI. Iunii Iuliani proleptici, eumque diem secundum formam anni veteris non in *pridie Nonas Septembres*, sed in *pridie Nonas Sextiles* incidisse docet Dodwellus in Append. ad Praelect. Camd. p. 752. et Diss. de Cycl. x. §. 18. At quum *Menses Septembri* Persen ab Aemilio Paullo victum esse scripserit Eutropius iv. 7. mendam hanc, si vera sit Dodwelli coniectura, admodum inveteratam et ipso Eutropio antiquiorem esse monet Drakenborchius.

8 *Ad id, quod*] Praeterquam quod cf. supr. iii. 62. XXXV. 14.

9 'et adversus nos fuerint. Iam omnium primum, quantum U. C. 584.
'numero nos praestent, neminem vestrum nec ante igno- A. C. 168.
'rasse, et hesterno die explicatam intuentes aciem animad-
'vertisse, certum habeo. Ex hac nostra paucitate quarta
'pars militum praesidio impedimentis relicta erat: nec
'ignavissimum quemque relinqui ad custodiam sarcinarum
'scitis. Sed fuerimus omnes: parvum hoc tandem esse
'credimus, quod ex his castris, in quibus hac nocte man-
1 'simus, exituri in aciem hodierno aut summum crastino
'die, si ita videbitur, diis bene iuvantibus, sumus? Nihilne
'interest, utrum militem, quem neque viae labor hodie,
'neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio
'suo arma capere iubeas, atque in aciem plenum virium,
'vigentem et corpore et animo educas? an longo itinere
'fatigatum, et opere fessum, madentem sudore, ardentibus
'siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrente
'meridiano sole, hosti obiicias recenti, requieto, qui nulla
're ante consumptas vires ad proelium adferat? Quis, pro
'deum fidem! ita comparatus, vel iners atque imbellis, for-
'tissimum virum non vicerit? Quid? quod hostes per
'summum otium instruxerant aciem, reparaverant animos,
'stabant compositi suis quisque ordinibus? nobis tunc
'repente trepidandum in acie instruenda erat, et incom-
2 'positis concurrendum? At, hercule, aciem quidem in- 39.
'conditam inordinatamque habuissemus: castra munita,
'provisam aquationem, tutum ad eam iter praesidiis im-
'positis, explorata circa omnia; an nihil nostri habentes
'praeter nudum campum, in quo pugnaremus? Maiores
'vestri castra munita portum ad omnes casus exercitus
'ducebant esse: unde ad pugnam exirent, quo iactati tem-
'pestate pugnae receptum haberent. Ideo, quum muni-
'mentis ea saepsissent, praesidio quoque valido firmabant;
'quod, qui castris exutus erat, etiamsi pugnando acie
'vicisset, pro victo haberetur. Castra sunt victori recep-
'taculum, victo perfugium. Quam multi exercitus, quibus
'minus prospera pugnae fortuna fuit, intra vallum com-
3 'pulsi, tempore suo, interdum momento post, eruptione
'facta, victorem hostem pepulerunt? Patria altera est

9 *Quantum numero nos praestent*] Perseus undequadraginta peditum, quattuor equitum millia habuisse dicitur supr. xlii. 51. Aemilio duodetriginta peditum, duo equitum millia ex legionibus Romanis et sociali exercitu, necnon auxilia Attali et Misagenis haud magna erant. cf. supr. xlii. 31. et supr. 21.

1 *Aut summum*] Ad summum. cf. supr. xxxv. 35.

2 *At, hercule, aciem*] Obiicit sibi Aemilius: at hercule aciem quidem inordinatam atque incompositam habuissemus, sed cetera egregie parata, id est, castra munita, provisam aquationem .... Tum respondet: itane parati concurrissemus, an potius nihil nostri habentes, praeter nudum campum, in quo pugnaremus. Crev.

3 *Tempore suo*] Opportuno sibi.

U. C. 584. A. C. 168. 'militaris haec sedes, vallumque pro moenibus, et tentorium suum cuique militi domus ac penates sunt. Sine 'ulla sede vagi dimicassemus, ut quo victores nos recipe-'remus? His difficultatibus et impedimentis pugnae illud 'opponitur: Quid si hostis hac interposita nocte abisset, 'quantum rursus sequendo eo penitus in ultimam Mace-'doniam exhauriendum laboris erat? Ego autem, neque 'mansurum eum, neque in aciem copias educturum fuisse, 'certum habeo, si cedere hinc statuisset. Quanto enim 'facilius abire fuit, quum procul abessemus, quam nunc, 'quum in cervicibus sumus? Nec falleret nos, nec in-'terdiu nec nocte abeundo. Quid autem est nobis opta-'tius, quam ut, quorum castra, praealta fluminis ripa tuta, 'vallo insuper saepta ac crebris turribus, oppugnare adorti 'sumus, eos, relictis munimentis, agmine effuso abeuntes, 'in patentibus campis ab tergo adoriamur? Hae dilatae 'pugnae ex hesterno die in hodiernum causae fuerunt. 'Pugnare enim et ipsi mihi placet; et ideo, quia per 'Enipeum amnem saepta ad hostem via erat, alio saltu, 'deiectis hostium praesidiis, novum iter aperui: neque 'prius, quam debellavero, absistam.'

40. Post hanc orationem silentium fuit, partim traductis in sententiam eius, partim verentibus nequicquam offendere in eo, quod, utcunque praetermissum, revocari non posset. Ac ne illo ipso quidem die, aut consule, aut rege, (rege, quod nec fessos, ut pridie, ex via, neque trepidantes in acie instruenda et vixdum compositos aggressurus erat; consule, quod in novis castris non ligna, non pabulum convectum erat, ad quae petenda ex propinquis agris magna pars militum e castris exierat) neutro imperatorum volente, Fortuna, quae plus consiliis humanis pollet, contraxit certamen. Flumen erat haud magnum propius hostium castris, ex quo et Macedones et Romani aquabantur, praesidiis ex utraque ripa positis, ut id facere tuto possent. Duae cohortes a parte Romanorum erant, Marrucina et Peligna; duae turmae Samnitium equitum, quibus praeerat M. Sergius Silus legatus: et aliud pro castris stativum erat praesidium sub C. Cluvio legato, tres cohortes, Firmana, Vestina, Cremonensis; duae turmae equitum, Placentina et Aesernina. Quum otium ad flumen esset, neutris lacessentibus, hora circiter nona iumentum, e ma-

Certamen casu contrahitur.

4 *Ut quo victores*] Ut deinde victis hostibus nihil haberemus, quo nos reciperemus? aut nulla castra haberemus, quae victoribus receptaculum essent? Sed commodum sensum hoc loco vix eliciendum esse censet Duker.

5 *Hora circiter nona*] Ita legendum censuit Gronov. pro vulg. *hora circiter quarta*, quum supra consul diem extraxisse in consilio dictus sit, et Plutarchus diserte scripserit pugnam coeptam esse ὅρας ἑνδέκατης.

nibus curantium elapsum, in ulteriorem ripam effugit. U. C. 584.
Quod quum per aquam, ferme genu tenus altam, tres milites A. C. 168.
sequerentur, Thraces duo id iumentum ex medio alveo in suam ripam traherent; altero eorum occiso, receptoque eo iumento, ad stationem suorum se recipiebant. Octingentorum Thracum praesidium in hostium ripa erat. Ex his pauci primo, aegre passi popularem in suo conspectu caesum, ad persequendos interfectores fluvium transgressi sunt: dein plures, postremo omnes, et cum praesidio, [quod a parte Romanorum ripam defendebat, manum conserunt. Non desunt auctores, qui ipsius Paulli iussu equum detracto freno impulsum scribant in hostilem ripam, emissosque, qui retraherent, ut hostes pugnam priores lacesserent. Etenim quum viginti caesis hostiis litatum non esset, tandem laeta vigesimae primae exta haruspices ita renuntiaverant, ut, Romanis non lacessentibus, sed defendentibus sese, victoriam promitterent. Ceterum, sive consilio ducis, sive casu, ab hoc certe initio commissa pugna, aliis super alios ad ferendam suis opem utrimque advolantibus, brevi ita accensa est, ut duces cogerentur descendere in universum summae rei discrimen. Aemilius enim, tumultu concurrentium audito, praetorio egressus, postquam caecum ruentium ad arma impetum revocare aut sistere nec facile nec tutum videbatur, utendum ardore militum, et casum in occasionem vertendum putavit. Educit itaque copias castris, et ordines interequitans hortatur, ut expetitam tantopere pugnam pari ardore capesserent. Simul Nasica praemissus ad explorandum, quo in statu res essent inter primam cientes pugnam, adventare instructo exercitu Perseum nuntiavit. Primi Thraces incedebant, truci vultu, corpore procero, splendentibus miro candore clipeis laevam protecti. Humerum utrumque nigra vestiebat chlamys: ab dextro immanem pondere frameam identidem coruscabant. Iuxta Thracas constitere mercede conducta auxilia, diverso inter se pro diversis nationibus armatu habituque: in his et Paeones fuere. Subibat agmen Macedonum ipsorum, quam leucaspidem phalangem appellabant: delecti quotquot robore ac virtute praestabant, fulgentes auratis armis sagisque puniceis. Ea media acies fuit. Hos sequebantur, quos ab aereis lucidisque clipeis chalcaspidas dicebant. Haec phalanx iuxta alteram in dextro cornu locata est. Praeter hanc utramque phalangem, quod praecipuum robur erat Macedonici exercitus, caetrati, Macedones et ipsi, sarissas gerentes,

6 *Traherent*] Ita emendavit Ursinus pro vulg. *trahentes*.

7 *Et cum praesidio*] Persecuturus erat noster, ut utrimque exercitus ad proelium concurrissent, initio pugnae in flumine orto. cf. Plut. in Aemil. p. 264. Sigon.

U. C. 584. A. C. 168. quemadmodum phalangitae, cetera levius armati, in cornua divisi erant, ante reliquam aciem proiecti et eminentes. Fulgebat campus armorum splendore: clamoribus cohortantium sese invicem vicini colles personabant. Harum omnium copiarum prodeuntium in pugnam ea fuit celeritas et audacia, ut, qui primi interfecti sunt, ad ducentos et quinquaginta passus a Romanis castris caderent. Progrediebatur interim Aemilius: utque aspexit quum reliquos Macedonas, tum eos, qui in phalangem contributi erant, partim clipeis, partim caetris ex humero detractis, inclinatisque uno signo sarissis, excipientes Romanorum impetum, admiratus et illam densatorum agminum firmitatem, et vallum protentis sarissis horrens, stupore simul ac terrore perculsus est, tanquam non aliud unquam tam terribile spectaculum conspicatus: ac postea id saepius commemorare et prae se ferre solitus est. Tum vero sedulo dissimulans perturbati animi motum, vultu sereno ac secura fronte, et capite et corpore intecto aciem instruebat. Iam pugnabant Peligni adversus oppositos sibi caetratos, quumque diu multumque connisi perrumpere confertum agmen non possent, Salius, qui Pelignos ducebat, arreptum signum in hostes misit. Hic ingens accensum certamen est, dum hinc Peligni ad recipiendum signum, hinc Macedones ad retinendum, summa ope nituntur. Illi praelongas Macedonum hastas aut ferro incidere, aut umbone impellere, aut nudis etiam interdum manibus avertere. Hi ambabus firmiter comprehensas tanta vi adigere in temere ac furore caeco ruentes, ut, transfossis scutis loricisque, transfixos etiam homines super capita proiicerent. Sic profligatis Pelignorum primis ordinibus, caeduntur etiam, qui post illos steterant: atque, etsi nondum confessa fuga, pedem referebant tamen montem versus; Olocrum indigenae vocant. Hic vero exarsit Aemilio dolor, ut etiam ex indignatione paludamentum scinderet. Nam et in ceteris locis videbat cunctari suos, timideque accedere ad illam velut ferream saepem, qua undique acies Macedonica inhorrebat. Sed animadvertit peritus dux, non stare ubique confertam illam hostium velut compagem, eamque dehiscere identidem quibusdam intervallis, sive ob inaequalitatem soli, sive ob ipsam porrectae in immensum frontis longitudinem, dum, qui superiora occupare conantur, ab inferiora tenentibus, vel tardiores a citatioribus, et progredientes a subsistentibus, instantes denique hosti ab impulsis, inviti licet, necessario divelluntur. Ergo ut omnino rumperet ordinem hostium, et inexpugnabilem illam universae phalangis vim in multa minutatim proelia carperet, imperat suis, ut intenti, quacunque rimas agere hostilem aciem viderint, illuc quisque impetu inferantur, seque cuneatim in hiantia vel tantillum

spatia insinuantes strenue rem agant. Hoc edito imperio, U. C. 584.
et per totum exercitum circumlato, ipse alteram e legionibus A. C. 168.
in] proelium ducit. Movebat imperii maiestas, gloria viri, 41.
ante omnia aetas, quod maior sexaginta annis iuvenum munia in parte praecipua laboris periculique capessebat. Intervallum, quod inter caetratos et phalanges erat, implevit legio, atque aciem hostium interrupit. A tergo caetratis erat, frontem adversus clipeatos habebat: chalcaspides appellabantur. Secundam legionem L. Albinus consularis ducere adversus leucaspidem phalangem iussus: ea media acies hostium fuit. In dextrum cornu, unde circa fluvium commissum proelium erat, elephantos inducit, et alas sociorum: et hinc primum fuga Macedonum est orta.
9 Nam sicut pleraque nova commenta mortalium in verbis
1 vim habent, experiendo, quum agi, non, quemadmodum agatur, edisseri, oportet, sine ullo effectu evanescunt; ita tum elephanti in acie nomen tantum sine usu fuerunt. Elephantorum impetum subsecuti sunt socii nominis Latini, pepuleruntque laevum cornu. In medio secunda legio Fugantur Macedonea.
immissa dissipavit phalangem: neque ulla evidentior causa victoriae fuit, quam quod multa passim proelia erant, quae fluctuantem turbarunt primo, deinde disiecerunt phalangem: cuius confertae et intentis horrentis hastis intolera-
2 biles vires sunt. Si carptim aggrediendo circumagere immobilem longitudine et gravitate hastam cogas, confusa strue implicantur: si vero aut ab latere, aut ab tergo aliquid tumultus increpuit, ruinae modo turbantur. Sicut tum adversus catervatim incurrentes Romanos, et interrupta multifariam acie, obviam ire cogebantur: et Romani, quacunque data intervalla essent, insinuabant ordines suos. Qui, si universa acie in frontem adversus instructam phalangem concurrissent, quod Pelignis, principio pugnae
3 incaute congressis adversus caetratos, evenit, induissent se hastis, nec confertam aciem sustinuissent. Ceterum sicut 42.

8 *Phalanges*] Gronov. *phalangem* mavult: fieri tamen potest, ut ratione partium phalangis Livius numero plurali usus sit, id quod Drakenborchio placuit, nisi duas phalanges, quae mox a nostro appellantur, Chalcaspidem nimirum et Leucaspidem fuisse censeas.

9 *Nam sicut pleraque*] Ut pleraque nova inventa mortalium vim habere videntur, quamdiu verbis tantummodo iactantur.; sed ubi ad rem ventum est, quum oportet agi, non edisseri solum quomodo iis inventis utamur, sine ullo effectu evanescunt. Crev.

1 *Experiendo*] Haud temere ante hoc proelium elephantis usi sunt Romani; quippe in proelio cum Antiocho supr. xxxvii. 39. post triarios in subsidio locati sunt, nunc vero in hostes acti nomen tantum sine usu erant.

2 *Immobilem .... hastam*] Hastam, quae ob longitudinem et gravitatem facile moveri nequit. Hoc ideo notamus, quia Gronovius legendum esse censet *hastas*, ut τὸ *immobilem* referatur ad phalangem. Nos nihil mutamus. Crev.

3 *Induissent se hastis*] Se perfodiendos hastis obiecissent. Doer.

U. C. 584. A. C. 168. Equitatus integer fugit.

peditum passim caedes fiebant, nisi qui abiectis armis fugerunt; sic equitatus prope integer pugna excessit. Princeps fugae rex ipse erat. Iam a Pydna cum sacris[4] alis equitum Pellam petebat: confestim eos Cotys sequebatur[5] Odrysarumque equitatus. Ceterae quoque Macedonum alae integris abibant ordinibus; quia interiecta peditum acies, cuius caedes victores tenebant, immemores fecerat sequendi equites. Diu phalanx a fronte, a lateribus, ab tergo caesa est: postremo, qui ex hostium manibus elapsi erant, inermes ad mare fugientes, quidam aquam etiam ingressi, manus ad eos, qui in classe erant, tendentes, suppliciter vitam orabant: et quum scaphas concurrere undique ab navibus cernerent, ad excipiendos sese venire rati, ut caperent potius, quam occiderent, longius in aquam, quidam etiam natantes, progressi sunt. Sed quum hostiliter e scaphis caederentur, retro, qui poterant, nando repetentes terram, in aliam foediorem pestem incidebant. Elephanti enim, ab rectoribus ad litus acti, exeuntes obterebant elidebantque. Facile conveniebat, Romanis nunquam una acie tantum Macedonum interfectum. Caesa enim ad viginti millia hominum sunt: ad sex millia, qui Pydnam ex acie perfugerant, vivi in potestatem pervenerunt: et vagi ex fuga quinque millia hominum capta. Ex victoribus ceciderunt non plus centum, et eorum multo maior pars Peligni: vulnerati aliquanto plures sunt. Quod si maturius pugnari coeptum esset, ut satis diei victoribus ad persequendum superesset, deletae omnes copiae forent: nunc imminens nox et fugientes texit, et Romanis pigritiem ad sequendum locis ignotis fecit.

20000 caesi: 11000 capti.

43. Regis fuga.

Perseus ad Pieriam silvam via militari, frequenti agmine equitum et regio comitatu, fugit. Simul in silvam ventum est, ubi plures diversae semitae erant, et nox appropinquabat; cum perpaucis maxime fidis via devertit. Equites, sine duce relicti, alii alia in civitates suas dilapsi sunt: perpauci inde Pellam celerius, quam ipse Perseus, quia recta[6] expedita via ierant, pervenerunt. Rex ad mediam ferme noctem terrore et variis difficultatibus viae vexatus est. In regia Perseo, qui Pellae praeerat, Euctus regiique pueri praesto erant. Contra ea amicorum, qui, alii alio casu

4 *Sacris alis*] cf. Supr. xlii. 66.

5 *Eos Cotys sequebatur*] Ita Isac. Gronovius emendavit pro vulg. *Costocus sequebatur*, quum Cotys rex Odrysarum fuisse supr. xlii. 51. memoratur.

6 *Recta expedita via*] Copulam, ut quae prima syllaba vocis *expedita* intercepta sit, reponendam suadet Gronovius, sed Livius aliquando duo adiectiva uni nomini, omissa particula connexiva, subiunxit, ut Drakenborchius fusius animadvertit. cf. supr. i. 14.

servati, ex proelio Pellam venerant, quum saepe arcessiti essent, nemo ad eum venit. Tres erant tantum cum eo fugae comites, Euander Cretensis, Neo Boeotius, et Archidamus Aetolus. Cum iis, iam metuens, ne, qui venire ad se abnuerent, maius aliquid mox auderent, quarta vigilia profugit. Secuti eum sunt admodum quingenti Cretenses. Petebat Amphipolim: sed nocte a Pella exierat, properans ante lucem Axium amnem traiicere, eum finem sequendi, propter difficultatem transitus, fore ratus Romanis. U. C. 584. A. C. 168.

44. Anxietas Cos. de filio suo Scipione.

Consulem, quum se in castra victor recepisset, ne sincero gaudio frueretur, cura de minore filio stimulabat. P. Scipio is erat, Africanus et ipse postea, deleta Carthagine, appel-
7 latus, naturalis consulis Paulli, adoptione Africani nepos. Is, septimum decimum tunc annum agens, quod ipsum curam augebat, dum effuse sequitur hostes, in partem aliam turba ablatus erat: et, serius quum redisset, tunc demum, recepto sospite filio, victoriae tantae gaudium consul sensit.

Amphipolim quum iam fama pugnae pervenisset, con-
8 cursusque matronarum in templum Dianae, quam Tauropolon vocant, ad opem exposcendam fieret; Diodorus, qui praeerat urbi, metuens, ne Thraces, quorum duo millia in praesidio erant, urbem in tumultu diriperent, ab subornato ab se per fallaciam in tabellarii speciem literas in foro medio accepit. Scriptum in iis erat, 'Ad Emathiam 'classem Romanam appulsam esse, agrosque circa vexari: 'orare praefectos Emathiae, ut praesidium adversus popu-'latores mittat.' His lectis, hortatur Thracas, 'ut ad 'tuendam Emathiae oram proficiscantur: magnam eos 'caedem praedamque, palatis passim per agros Romanis, 'facturos.' Simul elevat famam adversae pugnae: 'quae 'si vera foret, alium super alium recentes ex fuga venturos 'fuisse.' Per hanc causam Thracibus ablegatis, simul transgressos eos Strymonem vidit, portas clausit. Tertio die Perseus, quam pugnatum erat, Amphipolim venit. Inde oratores cum caduceo ad Paullum misit. Interim Hippias, et Medon, et Pantauchus, principes amicorum regis, Beroea, quo ex acie confugerant, ipsi ad consulem profecti, Romanis se dedunt: hoc idem et alii deinceps metu perculsi parabant facere. Consul, nuntiis victoriae

45. Perseus caduceatores mittit ad Cos.

7 *Naturalis consulis Paulli*] Etsi ex praecedentibus intelligitur, eum filium Paulli fuisse, tamen mihi vox *filius* hinc vix abesse posse videtur. Potuit excidisse post *Paulli*, quum scriptum fuisset *Paulli F.* vel *Fil.* Duker.

8 *Dianae, quam Tauropolon vocant*] Dianae hoc cognomen additum volunt, vel quod apud Tauros Scythiae populum colatur, vel quod gregibus praesit, vel quod eadem sit cum luna, quam tauris vehi fingunt poëtae. Crev. cf. Soph. Ai. 172. ἦ ῥά σε Ταυροπόλα Διὸς Ἄρτεμις... Burmann. ad Ovid. Met. xv. 511.

U. C. 584. A. C. 168. Q. Fabio filio et L. Lentulo et Q. Metello cum liteis Romam missis, spolia iacentis hostium exercitus peditibus concessit; equitibus praedam circumiecti agri, dum ne amplius duabus noctibus ab castris abessent. Ipse propius mare ad Pydnam castra movit. Beroea primum, deinde Thessalonica, et Pella, et deinceps omnis ferme Macedonia intra biduum dedita. Pydnaei, qui proximi erant, nondum miserant legatos: multitudo incondita plurium simul gentium, turbaque, quae ex acie fuga in unum compulsa erat, consilium et consensum civitatis impediebat: nec clausae modo portae, sed etiam inaedificatae erant. Missi Medon et Pantauchus sub muros ad colloquium Solonis, qui praesidio praeerat. Per eum emittitur militaris turba: oppidum deditum militibus datur diripiendum. Perseus, una tantum spe Bisaltarum auxilii tentata, ad quos nequicquam miserat legatos, in concionem processit, Philippum secum filium habens: ut et ipsos Amphipolitanos, et equitum peditumque, qui aut semper secuti, aut fuga eodem delati erant, adhortando animos confirmaret. Sed aliquoties dicere incipientem quum lacrimae praepedissent; quia ipse dicere nequiit, Euandro Cretensi editis, quae agi cum multitudine vellet, de templo descendit. Multitudo, sicut ad conspectum regis fletumque tam miserabilem et ipsa ingemuerat lacrimaveratque, ita Euandri orationem aspernabatur: et quidam ausi sunt media ex concione succlamare: 'Abite hinc, ne, qui pauci supersumus, propter vos pereamus.' Horum ferocia vocem Euandri clausit. Rex inde domum se recepit, pecuniaque et auro argentoque in lembos, qui in Strymone stabant, delatis, et ipse ad flumen descendit. Thraces, navibus se committere non ausi, domos dilapsi, et aliae militaris generis turbae: Cretenses spem pecuniae secuti: et, quoniam in dividendo plus offensionum, quam gratiae, erat, quinquaginta talenta iis posita sunt in ripa diripienda. Ab hac direptione quum per tumultum naves conscenderent, lembum unum in ostio amnis multitudine gravatum merserunt. Galepsum eo die, postero Samothracam, quam petebant, perveniunt. Ad duo millia talentum pervecta eo dicuntur.

Tota Macedonia dedita.

Persei miseranda sors.

Amphipoli abit.

Samothracam pervenit.

46. Paullus, per omnes deditas civitates dimissis, qui praeessent, ne qua iniuria in nova pace victis fieret, retentisque apud se caduceatoribus regis, P. Nasicam, ignarus fugae regis, Amphipolim misit cum modica peditum equitumque

9 *De templo descendit*] De loco, unde populum alloqui mos erat. Loquitur more Romano Livius. Notum est Rostra *templum* fuisse, id est, locum auguriis consecratum. vid. supr. viii. 14. Crev.

1 *Rex inde domum*] Vulg. in *domum*. Nostra lectio e manu Gronov. provenit. cf. supr. 27.

manu: simul ut Sinticen evastaret, et ad omnes conatus U. C. 584.
2 regis impedimento esset. Inter haec Meliboea a Cn. Oc- A. C. 168.
tavio capitur diripiturque: ad Aeginium, ad quod oppugnandum Cn. Anicius legatus missus erat, ducenti, eruptione ex oppido facta, amissi sunt, ignaris Aeginiensibus debellatum esse. Consul, a Pydna profectus, cum Consul
toto exercitu die altero Pellam pervenit: et, quum castra Pellam venit.
mille passus inde posuisset, per aliquot dies ibi stativa habuit, situm urbis undique aspiciens; quam non sine causa delectam esse regiam advertit. Sita est in tumulo,
3 4 vergente in occidentem hibernum. Cingunt paludes inex-
superabilis altitudinis aestate et hieme, quas restagnantes
5 faciunt lacus. In ipsa palude, qua proxima urbi est, velut
6 insula, eminet, aggeri operis ingentis imposita: qui et
murum sustineat, et humore circumfusae paludis nihil laedatur. Muro urbis coniuncta procul videtur. Divisa
7 est intermurali amni, et eadem ponte iuncta: ut nec, op-
8 pugnante externo, aditum ab ulla parte habeat; nec, si
9 quem ibi rex includat, ullum nisi per facillimae custodiae pontem effugium. Et gaza regia in eo loco erat: sed tum nihil praeter trecenta talenta, quae missa Gentio regi, deinde retenta fuerant, inventum est. Per quos dies ad Pellam stativa fuerunt, legationes frequentes, quae ad gratulandum convenerant, maxime ex Thessalia, auditae sunt. Nuntio deinde accepto, Persea Samothracam traiecisse, Deinde
profectus a Pella consul quartis castris Amphipolim per- Amphipolim.
venit. Effusa omnis obviam turba cuivis indicio erat, non

2 *Regis impedimento esset*] *Regi* Gronovius legendum suadet, at constanter edd. omnes *regis* exhibent.

3 *In occidentem hibernum*] In regionem inter occidentem et meridiem sitam. Rasch. Similiter apud Herod. i. 193, πρὸς ἥλιον τετραμμένη τὸν χειμερινόν.

4 *Inexsuperabilis altitudinis*] Vult Livius paludes has, propterea quod lacus restagnantes in eas semper aquam infundunt, nunquam, ac ne aestate quidem, ita exsiccari, ut pedibus superari possint. Duker.

5 *Velut insula, eminet*] Inserit Gronovius vocem *arx* hoc modo: *velut insula eminet* (*arx*) *aggeri operis ingentis imposita.* Atque hoc quidem clarius est, dubitamus tamen, an ita dederit Livius. *Insula* intelligitur interdum corpus quoddam aedificiorum inter se cohaerentium, a reliquis aedificiis divisum per vicos quibus undique cingitur. Quidni igitur hoc fere sensu noster hic *insulam* susperit, quum praesertim doceat se de aedificio loqui, non de nudo solo, dum adiicit insulam aggeri impositam esse? Iudicet lector. Crev.

6 *Qui et murum sustineat*] *Qui* agger *et murum* arcis, sive insulae eo modo sumptae quo exposuimus, *sustineat, et humore circumfusae paludis nihil laedatur.* Ceterum non facile intelligimus, qui minus agger laederetur ab aqua, quam saxea murorum moles. Videretur potius dicendum aggere illo et sustineri murum, et defendi ne humore circumfusae paludis laedatur. Ad eum sensum optaremus ut facile refingi possent Livii verba. Crev.

7 *Intermurali*] Vox rarissima: cuius sensus esse videtur, inter duplicem murum fluente, murum urbis et murum arcis. Crev.

8 *Aditum . . . habeat*] Ullum habeat locum per quem adiri possit.

9 *Facillimae custodiae*] sc. Pons qui facillime custodiri potuit. Rasch.

U. C. 584. A. C. 168. bono ac iusto rege orba[tos, sed impotenti domino liberatos[1] sibi Amphipolitanos videri. Ingressus urbem Paullus quum divinis rebus operaretur, sacrificiumque sollenne faceret, de coelo tacta subito ara arsit; sic interpretantibus omnibus, acceptissima diis dona consulis esse, quae etiam coelesti flamma consecrarentur. Non diu moratus Amphipoli consul, simul ad persequendum Persea, simul ut per omnes gentes, quae ditionis eius fuerant, victricia arma circumferret, Odomanticen, regionem ultra Strymonem amnem, petiit, et ad Siras castra posuit.]

1 *Iusto rege orba[tos]* Quaedam pauca desunt de gratitudine Amphipolitanorum. Amphipolim enim Paullus venerat. Sigon.

EPITOME LIBRI XLV.

PERSEUS ab Aemilio Paullo in Samothrace captus est. Quum Antiochus, Syriae rex, Ptolemaeum et Cleopatram, Aegypti reges, obsideret, et missis ad eum a senatu legatis, qui iuberent, ab obsidione socii regis absisteret, editisque mandatis consideraturum se ille, quid faciendum esset, respondisset; unus ex legatis Popillius virga regem circumscripsit, iussitque, antequam circulo excederet, responsum daret. Qua asperitate effecit, ut Antiochus bellum omitteret. Legationes gratulantium populorum ac regum in senatum admissae. Rhodiorum, quia eo bello contra populum Romanum faverant, exclusa. Postero die, quum de eo quaereretur, ut iis bellum indiceretur, causam in senatu patriae suae legati egerunt, nec tanquam hostes, nec tanquam socii dimissi. Macedonia in provinciae formam redacta est. Aemilius Paullus, repugnantibus militibus eius propter minorem praedam, et contradicente Ser. Sulpicio Galba, triumphavit: et Persen cum tribus filiis ante currum duxit. Cuius triumphi laetitia ne solida ei contingeret, duorum filiorum funeribus insignita est: quorum alterius mors patris triumphum praecessit, alterius secuta est. Lustrum conditum est a censoribus. Censa sunt civium capita trecenta duodecim millia, octingenta quinque. Prusias, Bithyniae rex, Romam, ut senatui gratularetur ob victoriam ex Macedonia partam, venit; et Nicomedem filium senatui commendavit. Rex, plenus adulationis, libertum se populi Romani dicebat.

T. LIVII PATAVINI

LIBER XLV.

U. C. 584.
A. C. 168.
Fama de victoria Macedonica.

VICTORIAE nuntii, Q. Fabius et L. Lentulus et Q. Metellus, quanta potuit adhiberi festinatio, celeriter Romam quum venissent, praeceptam tamen eius rei laetitiam invenerunt. Quarto post die, quam cum rege est pugnatum, quum in circo ludi fierent, murmur repente populi tota spectacula pervasit: 'Pugnatum in Macedonia, 'et devictum regem esse.' Dein fremitus increvit: postremo clamor plaususque, velut certo nuntio victoriae allato, est exortus. Mirari magistratus, et quaerere auctorem repentinae laetitiae. Qui postquam nullus erat, evanuit quidem tanquam incertae rei gaudium; omen tamen laetum insidebat animis. Quod postquam veris nuntiis Fabii Lentulique et Metelli adventu firmatum est, quum victoria ipsa, tum augurio animorum suorum, laetabantur. Et aliter editur circensis turbae non minus similis veri laetitia. Ante diem quintum decimum Kalendas[1] Octobres, ludorum Romanorum secundo die, C. Licinio consuli, ad quadrigas mittendas escendenti, tabellarius, qui[2] se ex Macedonia venire diceret, * laureatas literas dicitur.[3] Quadrigis missis, consul currum conscendit: et, quum per circum reveheretur ad foros publicos, laureatas tabellas po-[4] pulo ostendit. Quibus conspectis, repente immemor spec-

1 *Quintum decimum*] *Quintum*, quod in vulg. non exstat, addidit Manutius. *Decimus* enim *quintus* erat, ut Crevierius annotavit, tertius decimus dies ab eo quo in Macedonia pugnatum est. At pridie Nonas Septembres pugnatum fuerat, supr. xliv. 37. Tertius autem decimus dies a pridie Nonas Septembres erat tunc a. d. xv. Kal. Octobres. Mensis enim September viginti et novem dierum erat ex ordinatione Numae, quam tunc sequebantur Romani.

2 *Escendenti*] In currum, ut nempe e foris publicis, ubi sedebat, ad carceres iret, atque inde signum quadrigis daret. Ceterum unicum exemplar praeferebat *exscendenti*, unde pronum est efficere *escendenti*, quod placuit Turnebo et Gronovio. Crev.

3 * *Laureatas literas dicitur*] Drakenborchio videtur negligentia librarii excidisse vocem unam, quae cum *dicitur* cohaereat. *Reddidisse* Sigonius desiderari coniecit.

4 *Foros publicos*] sc. Loca, unde spectarentur ludi. cf. supr. xxix. 37.

taculi populus in medium decurrit. Eo senatum consul vocavit, recitatisque tabellis, ex auctoritate Patrum pro foris publicis denuntiavit populo: 'L. Aemilium collegam signis 'collatis cum rege Perseo pugnasse: Macedonum exer- 'citum caesum fusumque; regem cum paucis fugisse: ci- 'vitates omnes Macedoniae in ditionem populi Romani 'venisse.' His auditis, clamor cum ingenti plausu ortus: ludis relictis, domos magna pars hominum ad coniuges liberosque laetum nuntium portabant. Tertius decimus dies erat ab eo, quo in Macedonia pugnatum est. Postero die senatus in curia habitus, supplicationesque decretae, et senatusconsultum factum est, ut consul, quos, praeter mi- 5 lites sociosque navales, coniuratos haberet, dimitteret: de militibus sociisque navalibus dimittendis referretur, quum 6 legati ab L. Aemilio consule, a quibus praemissus tabellarius esset, *. Ante diem sextum Kalendas Octobres, hora 7 fere secunda, legati urbem ingressi sunt, et ingentem secum occurrentium, quacunque ibant, prosequentiumque trahentes turbam, in forum ad tribunal perrexerunt. Senatus forte in curia erat: eo legatos consul introduxit. Ibi tantum temporis retenti, dum exponerent, 'quantae regiae 'copiae peditum equitumque fuissent; quot millia ex his 'caesa, quot capta forent; quam paucorum militum iactura 'tanta hostium strages facta; quam cum paucis rex fu- 'gisset: existimari Samothraciam petiturum; paratam 'classem ad persequendum esse: neque terra, neque mari 'elabi posse.' Eadem haec paullo post in concionem traducti exposuerunt: renovataque laetitia, quum consul edixisset, 'ut omnes aedes sacrae aperirentur,' pro se quisque ex concione ad gratias agendas iere diis; ingentique turba, non virorum modo, sed etiam feminarum, conferta tota urbe deorum immortalium templa. Senatus, revocatus in curiam, supplicationes, ob rem egregie gestam ab L. Aemilio consule, in quinque dies circa omnia pulvinaria decrevit, hostiisque maioribus sacrificari iussit. Naves, quae in Tiberi paratae instructaeque stabant, ut, si rex posset resistere, in Macedoniam mitterentur, subduci, et in navalibus collocari: socios navales, dato annuo stipendio, dimitti, et cum his omnes, qui in consulis verba iuraverant: et quod militum Corcyrae, Brundisii, ad mare superum, aut in agro Larinati esset, (omnibus his locis dispositus exercitus fuerat, cum quo, si res posceret, C. Licinius col-

U. C. 584. A. C. 168.

2.

Legati Aemilii.

Supplicationes.

5 *Coniuratos haberet*] sc. Illo iureiurando astrictos, quod supr. xxii. 38. memoratur.

6 *Tabellarius esset**] Post vocem *esset*, Sigonius *venissent*, Gronovius *adessent* omissum esse coniecit.

7 *Ingressi sunt*] Voculam *sunt* uncinis inclusit Bekker. et delendam suadet Crevierius.

U. C. 584. A. C. 168. legae ferret opem) hos omnes milites dimitti placuit. Supplicatio pro concione populo indicta est, ex ante diem quintum Idus Octobres cum eo die in quinque dies.

3. Ex Illyrico duo legati, C. Licinius Nerva et P. Decius, nuntiarunt, 'exercitum Illyriorum caesum: Gentium 'regem captum, in ditione populi Romani et Illyricum 'esse.' Ob eas res, gestas ductu auspicioque L. Anicii praetoris, senatus in triduum supplicationes decrevit: sine dilatione edictae a consule sunt in ante quartum et tertium et pridie Idus Novembres.

Legati Rhodii ludibrio habiti.

Tradidere quidam, legatos Rhodios, nondum dimissos, post victoriam nuntiatam, velut ad ludibrium stolidae superbiae, in senatum vocatos esse. Ibi Agepolim principem eorum ita locutum: 'Missos esse legatos ab Rhodiis ad 'pacem inter Romanos et Persea faciendam; quod id 'bellum grave atque incommodum Graeciae omni, sump-'tuosum ac damnosum ipsis Romanis esset. Fortunam 'perbene fecisse, quando, finito aliter bello, gratulandi *sibi* 'de victoria egregia Romanis opportunitatem dedisset.' Haec ab Rhodio dicta. Responsum ab senatu esse: 'Rhodios nec utilitatium Graeciae, neque cura impen-'sarum populi Romani, sed pro Perseo legationem eam 'misisse. Nam, si ea fuisset cura, quae simularetur, tum 'mittendos legatos fuisse, quum Perseus, in Thessaliam 'exercitu inducto, per biennium Graecas urbes, alias ob-'sideret, alias denuntiatione armorum terreret. Tum 'nullam pacis ab Rhodiis mentionem factam. Postquam 'superatos saltus transgressosque in Macedoniam Romanos 'audierint, et inclusum teneri Persea, tunc Rhodios lega-'tionem misisse, non ad ullam aliam rem, quam ad Persea 'ex imminenti periculo eripiendum.' Cum hoc responso legatos dimissos.

4. Per eosdem dies et M. Marcellus, ex provincia Hispania decedens, Marcolica nobili urbe capta, decem pondo auri, et argenti ad summam sestertii decies in aerarium retulit.

Persei literae ad Aemilium.

Paullus Aemilius consul, quum castra, ut supra dictum est, ad Siras terrae Odomanticae haberet, quum literas ab rege Perseo per ignobiles tres legatos cerneret, et ipse illacrimasse dicitur sorti humanae: quod, qui paullo ante, non contentus regno Macedoniae, Dardanos Illyriosque oppugnasset, Bastarnarum excivisset auxilia, is tum, amisso

8 *Sine dilatione edictae*] *Ut Latinae indictae* vulgo legitur, et a Bekkero servatur. *Et statim indictae* Gronovius coniecerat.

9 *Tradidere quidam*] Inter quos Polybius Leg. 88. annumerandus est.

1 *Nondum dimissos*] *Missos* vulgo legitur, pro quo Gronovius *admissos* reponendum coniecit. Nostra lectio a manu Drakenborchii provenit.

2 *Literas ab rege Perseo*] Subiicit Muretus *missas;* quae vox necessaria videtur, vel *allatas.* Crev.

exercitu, extorris regno, in parvam insulam compulsus, sup- U. C. 584
plex, fani religione, non viribus suis, tutus esset. Sed post- A. C. 168
quam, 'Regem Persea consuli Paullo salutem,' legit; miserationem omnem stultitia ignorantis fortunam suam exemit. Itaque quanquam in reliqua parte literarum minime regiae preces erant, tamen sine responso ac sine literis ea legatio dimissa est. Sensit Perseus, cuius nominis obliviscendum victo esset: itaque alterae literae cum privati nominis titulo missae, et petiere, et impetravere, ut aliqui ad eum mitterentur, cum quibus loqui de statu et conditione suae fortunae posset. Missi sunt tres legati, P. Lentulus, A. Postumius Albinus, A. Antonius. Nihil ea legatione perfectum est, Perseo regium nomen omni vi amplectente, Paullo, ut se suaque omnia in fidem et clementiam populi Romani permitteret, tendente.

5. Classis Romana ad Samothracam appulsa.

Dum haec aguntur, classis Cn. Octavii Samothracam est appulsa. Is quoque, praesenti admoto terrore, modo minis, modo spe pellicere, ut se traderet, quum conaretur; adiuvit in hoc eum res, seu casu contracta, seu consilio. L. Atilius illustris adolescens, quum in concione esse populum Samothracum animum advertisset, a magistratibus petiit, ut sibi paucis alloquendi populi potestatem facerent. Permisso, 'Utrum nos, hospites Samothraces, vere accepi-
4 'mus, an falso, sacram hanc insulam, et augusti totam at-
'que inviolati soli esse?' Quum creditae sanctitati assen-
5 tirentur omnes, 'Cur igitur,' inquit, 'pollui eam homicida,
6 '* sanguine regis Eumenis violavit, et, quum omnis prae-
'fatio sacrorum eos, quibus non sint purae manus, sacris
'arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis
7 'corpore sinetis?' Nobilis fama erat apud omnes Graeciae civitates Eumenis regis per Euandrum Delphis prope perpetrata caedes. Itaque, praeterquam quod in potestate Romanorum sese insulamque totam et templum cernebant esse, ne immerito quidem ea sibi exprobrari rati, Theondam, qui summus magistratus apud eos erat, (regem ipsi

Euander Cretensis evocatur ad causam dicendam a Samothracibus.

3 *Consuli Paullo salutem*] Supple, *dicere*. Ceterum titulus epistolae hic recitatur.

4 *Sacram hanc insulam*] De diis Samothracum, qui Cabiri appellabantur apud Herod. ii. 128, et eorum religionibus egerunt multi, sed vix quidquam clari aut certi attulerunt. Pelasgica origine eos fuisse et cum Penatibus Laviniensibus commune quiddam habuisse Niebuhrius ii. n. 548. animadvertit. cf. Serv. in Aen. iii. 12. Creuzer. autem in Dionys. p. 149. Symbol. ii. p. 318. et Schelling. de Samothrac. myster. p. 97. et 107. haec sacra ex orientalibus religionibus repetenda esse docent. Alia C. O. Müller. in Orchomen. pp. 439. 450. 462. coniecit.

5 *Pollui eam homicida*] *Pollutus* pro *pollui eam* Gronovius legit.

6 *Omnis praefatio*] Intelligitur formula, qua a sacris arceri solent profani, impuri, e. g. *procul este profani*; vel sollenne carmen precationis, quod praefari solet, de quo cf. supr. xxxix. 15.

7 *Nobilis fama*] sc. Notus rumore. *Fama* casu sexto accipit Drakenborchius.

U. C. 584. A. C. 168. appellant) ad Persea mittunt, qui nuntiaret, 'Argui caedis 'Euandrum Cretensem: esse autem iudicia apud sese more 'maiorum comparata de iis, qui incestas manus intulisse 'intra terminos sacratos templi dicantur. Si confideret 'Euander, innoxium se rei capitalis argui, veniret ad cau-'sam dicendam: si committere se iudicio non auderet, 'liberaret religione templum, ac sibimet ipse consuleret.' Perseus sevocato Euandro iudicium subeundi nullo pacto auctor esse: 'nec causa, nec gratia parem fore.' Suberat et ille metus, ne damnatus auctorem se nefandi facinoris protraheret. 'Reliqui quid esse, nisi ut fortiter moriatur?' Nihil palam abnuere Euander: sed quum, veneno se malle mori, quam ferro, dixisset; occulte fugam parabat. Quod quum renuntiatum regi esset, metuens, ne, tanquam a se subtracto poenae reo, iram Samothracum in se converteret, interfici Euandrum iussit. Qua perpetrata temere caede, subiit extemplo animum, in se nimirum receptam labem, quae Euandri fuisset: ab illo Delphis vulneratum Eumenem, ab se Samothracae Euandrum occisum. Ita duo sanctissima in terris templa, se uno auctore, sanguine humano violata. Huius rei crimen, corrupto pecunia Theonda, avertitur, ut renuntiaret populo, Euandrum sibi ipsum mortem conscisse. Ceterum tanto facinore in unicum relictum amicum, ab ipso per tot casus expertum, proditumque, quia non prodiderat, omnium ab se abalienavit animos. Pro se quisque transire ad Romanos: fugaeque consilium capere solum prope relictum coegerunt: Oroandemque Cretensem, cui nota Thraciae ora erat, quia mercaturas in ea regione fecerat, appellat, ut se sublatum in lembum ad Cotym deveheret. Demetrium est portus in promontorio quodam Samothracae: ibi lembus stabat. Sub occasum solis deferuntur, quae ad usum necessaria erant: defertur et pecunia, quanta clam deferri poterat. Rex ipse nocte media, cum tribus consciis fugae, per posticum aedium in propinquum cubiculo hortum, atque inde, maceriam aegre transgressus, ad mare pervenit. Oroandes iam tum, quum pecunia deferretur, primis tenebris solverat navem, ac per altum Cretam petebat. Postquam in portu navis non inventa est, vagatus Perseus aliquamdiu in litore, postremo timens lucem iam appropinquantem, in hospitium redire

Occiditur a Perseo.

6. Persei amici transfugiunt.

Rex fugam molitur.

8 *Sevocato Euandro*] Seorsum vocato, ut cum solo Evandro, non audiente Theonda vel quovis alio arbitro, colloqueretur. Drak.

9 *Protraheret*] Patefaceret, in lucem proferret. cf. supr. xliv. 26.

1 *Oroandes iam tum, quum pecunia deferretur, primis tenebris solverat*] Ipso temporis puncto, quo delatam ad se pecuniam acceperat. Ceterum Bekkerus *Oroandes tantum, dum pecunia deferretur . . . . primis tenebris solverat* reponit, aliquid intercidisse existimans.

non ausus, in latere templi prope angulum obscurum delituit. Pueri regii apud Macedonas vocabantur principum liberi, ad ministerium electi regis. Ea cohors, persecuta regem fugientem, ne tum quidem abscedebat, donec iussu Cn. Octavii pronuntiatum est per praeconem, 'Regios pueros Macedonasque alios, qui Samothracae essent, si transirent ad Romanos, incolumitatem, libertatemque et sua omnia servaturos, quae aut secum haberent, aut in Macedonia reliquissent.' Ad hanc vocem transitio omnium facta est, nominaque dabant ad C. Postumium tribunum militum. Liberos quoque parvos regios Ion Thessalonicensis Octavio tradidit: nec quisquam, praeter Philippum, maximum natu ex filiis, cum rege relictus. Tum sese filiumque Octavio tradidit; fortunam deosque, quorum templum erat, nulla ope supplicem iuvantes, accusans. In praetoriam navem imponi iussus: eodem et pecunia, quae superfuit, delata est: extemploque classis Amphipolim repetit. Inde Octavius regem in castra ad consulem misit, praemissis literis, ut in potestate eum esse et adduci sciret.

U. C. 584. A. C. 168.

Regii pueri transeunt ad Romanos.

Tradit se rex.

Adducitur ad Aemilium.

7. Secundam eam Paullus, sicut erat, victoriam ratus, victimas cecidit eo nuntio; et, consilio advocato, literas praetoris quum recitasset, Q. Aelium Tuberonem obviam regi misit: ceteros manere in praetorio frequentes iussit. Non alias ad ullum spectaculum tanta multitudo occurrit. Patrum aetate Syphax rex captus in castra Romana adductus erat: praeterquam quod nec sua, nec gentis fama comparandus, tunc accessio Punici belli fuerat, sicut Gentius Macedonici. Perseus caput belli erat: nec ipsius tantum
2 patris avique, quos sanguine ac genere contingebat, fama conspectum eum efficiebat, sed effulgebant Philippus ac Magnus Alexander, qui summum imperium in orbe terra-
3 rum Macedonum fecerant. Pullo amictus * illo Perseus
4 ingressus est castra, nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis miserabiliorem eum faceret. Progredi prae

2 *Patris avique, quos sanguine*] Aliquid intercidisse existimat Crevierius, qui voces *et ceterorum regum* ante *quos sanguine* reponendas censet. Leviore coniectura Perizonius *et quos* emendandum censet.

3 *Pullo amictus * illo Perseus*] Depravatum hunc locum varii variis coniecturis tentarunt. Nihil probabilius, quam quod suggerit Gronovius, qui vocem *illo* corruptam esse putat ex *filio*, et praeterea male traiectam fuisse in vetere exemplari. Legit ergo: *Pullo amictus Perseus ingressus est castra; filio, nullo suorum alio comite.* Crev. Drakenborchius coniecturam Graevii probat *pullo amictus cum filio*, modo mox pro *faceret* legatur *faciebat*.

4 *Nullo suorum alio comite, qui socius calamitatis*] Nimirum solus cum filio minorem misericordiam fletumque movebat videntibus, quam si grex circa eum plangeret amicorum, luctumque incenderet: quod ipsi contigit postea, quum in triumpho Aemilii duceretur. Hoc ideo notavimus, quia Douiatius hunc locum sanum non esse suspicatus est. Crev.

U. C. 584. A. C. 168. turba occurrentium ad spectaculum non poterat, donec a consule lictores missi essent, qui summoto iter ad praetorium facerent. Consurrexit consul, et, iussis sedere aliis, progressusque paullum, introeunti regi dextram porrexit, summittentemque se ad pedes sustulit: nec attingere genua passus, introductum in tabernaculum adversus advocatos in consilium considere iussit. Prima percunctatio fuit, 'qua 'subactus iniuria contra populum Romanum bellum tam 'infesto animo suscepisset, quo se regnumque suum ad 'ultimum discrimen adduceret?' Quum, responsum exspectantibus cunctis, terram intuens, diu tacitus fleret, rursum consul: 'Si iuvenis regnum accepisses, minus equi- 'dem mirarer, ignorasse te, quam gravis aut amicus, aut 'inimicus esset populus Romanus: nunc vero, quum et 'bello patris tui, quod nobiscum gessit, interfuisses, et 'pacis postea, quam cum summa fide adversus eum colui- 'mus, meminisses, quod consilium, quorum et vim in bello, 'et fidem in pace expertus esses, cum iis tibi bellum esse, 'quam pacem, malle?' Nec interrogatus, nec accusatus quum responderet; 'Utcunque tamen haec, sive errore 'humano, seu casu, seu necessitate inciderunt, bonum ani- 'mum habe: multorum regum et populorum casibus cog- 'nita populi Romani clementia non modo spem tibi, sed 5 'prope certam fiduciam salutis, praebet.' Haec Graeco 6 sermone Perseo: Latine deinde suis, 'Exemplum insigne 'cernitis,' inquit, 'mutationis rerum humanarum. Vobis 'hoc praecipue dico, iuvenes. Ideo in secundis rebus nihil 'in quemquam superbe ac violenter consulere decet, nec 'praesenti credere fortunae; quum, quid vesper ferat, in- 7 'certum sit. Is demum vir erit, cuius animum neque 'prospera flatu suo efferet, nec adversa infringet.' Consilio dimisso, tuendi cura regis Q. Aelio mandatur. Eo die et invitatus ad consulem Perseus, et alius omnis ei honos habitus est, qui haberi in tali fortuna poterat. Exercitus deinde in hiberna dimissus est. Maximam partem copiarum Amphipolis, reliquas propinquae urbes acceperunt.

8. Cos. eum alloquitur.

9. Regni Macedonici finis

Hic finis belli, quum quadriennium continuum bellatum esset, inter Romanos ac Persea fuit: idemque finis incluti

5 *Fiduciam salutis*] sc. *Vitae*, ut apparet ex Val. Max. v. 1. 8. Ceterum Plutarchus alios auctores in vita Aemilii secutus est, qui Aemilium Perseo ad genua suppliciter advoluto exprobrasse narrat, quod turpem vitam honestae morti praeferret.

6 *Haec Graeco sermone*] Scilicet Aemilius antea Graece Persea allocutus fuerat: deinde Latine cum ceteris verba fecit, tum quia hi Romani erant, tum ut Perseus nihil intelligeret. Hinc autem cognoscimus Livium utramque orationem ex Polybio derivasse. cf. Polyb. Exc. Vat. xxvi. 26.

7 *Quid vesper ferat*] Proverbium est, quo Varro usus est, unam Satirarum inscribens, *nescis, quid vesper serus vehat*. DRAK.

per Europae plerumque atque Asiam omnem regni. Vicesimum ab Carano, qui primus regnavit, Persea numerabant. Perseus, Q. Fulvio, L. Manlio consulibus, regnum accepit: a senatu rex est appellatus, M. Iunio, A. Manlio consulibus: regnavit undecim annos. Macedonum obscura admodum fama usque ad Philippum Amyntae filium fuit: inde ac per eum crescere quum coepisset, Europae se tamen finibus continuit, Graeciam omnem et partem Thraciae atque Illyrici amplexa. Superfudit deinde se in Asiam: et tredecim annis, quibus Alexander regnavit, primum omnia, qua Persarum prope immenso spatio imperium fuerat, suae ditionis fecit. Arabas hinc Indiamque, qua terrarum ultimos fines Rubrum mare amplectitur, peragravit. Tum maximum in terris Macedonum regnum nomenque; inde morte Alexandri distractum in multa regna, dum ad se quisque opes rapiunt, lacerantes suis viribus: a summo culmine fortunae ad ultimum finem centum quinquaginta annos stetit. U. C. 584. A. C. 168.

Victoriae Romanae fama quum pervasisset in Asiam, Antenor, qui cum classe lemborum ad Phanas stabat, Cassandream inde traiecit. C. Popillius, qui ad Delum praesidio navibus Macedoniam petentibus erat, postquam debellatum in Macedonia, et statione summotos hostium lembos audivit, dimissis et ipse Atticis navibus, ad susceptam legationem peragendam navigare Aegyptum pergit: ut prius occurrere Antiocho posset, quam ad Alexandreae moenia accederet. Quum praeterveherentur Asiam legati, et Loryma venissent, qui portus viginti paullo amplius millia ab Rhodo abest, ex adverso urbi ipsi positus; principes Rhodiorum occurrunt (iam enim eo quoque victoriae fama perlata erat) orantes, 'ut Rhodum deveherentur: 'pertinere id ad famam salutemque civitatis, noscere ipsos 'omnia, quae acta essent, agerenturque Rhodi, et comperta 'per se, non vulgata fama, Romam referre.' Diu negantes perpulerunt, ut moram navigationis brevem pro salute sociae urbis paterentur. Postquam Rhodum ventum est, in concionem quoque eos iidem precibus pertraxerunt. Ad- 10.

Rhodum invitantur legati Romanorum ad Antiochum.

8 *Europae plerumque*] Locutionem hanc, ut *plerumque noctis, exiguum spatii, medium campi*, illustrat Ciaccon. ad Sall. Iugurth. 21.

9 *Regni*] Consentit ad amussim Diodorus de Macedonici regni ab Alexandro ad Persea statu. cf. Diodor. Exc. Vat. xxvi. 20.

1 *Vicesimum ab Carano*] Numerus haud dubie mendosus est. Iustinus xxxiii. 2. triginta Macedoniae reges numerat: Eusebius in Chronico, novem et triginta. Crev.

2 *Rubrum mare*] Rubri maris nomine intelligi mare Indicum iam monuimus supr. xlii. 52. Crev.

3 *Lacerantes suis viribus*] Emendationem Gronovii *laceratis viribus* reposuit Bekker.

4 *Centum quinquaginta annos*] Polybii locum in Exc. Vat. xxx. 3. ante oculos habuisse Livius videtur.

U. C. 584. A. C. 168. Popillii asperitas.

ventus legatorum auxit potius timorem civitati, quam minuit. Omnia enim Popillius, quae singuli universique eo bello hostiliter dixerant, fecerantque, retulit: et, vir asper ingenio, augebat atrocitatem eorum, quae dicerentur, vultu truci et accusatoria voce: ut, quum propriae simultatis nulla causa cum civitate esset, ex unius senatoris Romani acerbitate, qualis in se universi senatus animus esset, coniectarent. C. Decimii moderatior oratio fuit, qui, 'in plerisque eorum, quae commemorata a Popillio essent, culpam non penes populum, sed penes paucos concitores vulgi esse,' dixit. 'Eos, venalem linguam habentes, decreta plena regiae assentationis fecisse: et eas legationes misisse, quarum Rhodios semper non minus puderet, quam poeniteret. Quae omnia, si ea mens populo foret, 5 in capita noxiorum versura.' Cum magno assensu auditus est, non magis eo, quod multitudinem noxa levabat, quam quod culpam in auctores verterat. Itaque quum principes eorum Romanis responderent, nequaquam tam grata oratio eorum fuit, qui, quae Popillius obiecerat, diluere utcunque conati sunt; quam eorum, qui Decimio in auctoribus ad piaculum noxae obiiciendis assensi sunt. Decretum igitur extemplo, ut, qui pro Perseo adversus Romanos dixisse quid, aut fecisse, convincerentur, capitis condemnarentur. Excesserunt urbe sub adventu Romanorum quidam, 6 alii mortem sibi consciverunt. Legati, non ultra quam quinque dies Rhodi morati, Alexandream proficiscuntur. Nec eo segnius iudicia ex decreto coram his facto Rhodi exercebantur: quam perseverantiam in exsequenda re Decimii lenitas *. 7

Decimii moderatio.

Damnati qui Perseo faverant.

11. Quum haec gererentur, Antiochus frustra tentatis moenibus Alexandreae abscesserat: ceteraque Aegypto potitus, relicto Memphi maiore Ptolemaeo, cui regnum quaeri suis viribus simulabat, ut victorem mox aggrederetur, in Syriam exercitum abduxit. Nec huius voluntatis eius ignarus Ptolemaeus dum conterritum obsidionis metu minorem fratrem haberet, posse se recipi Alexandreae, et sorore adiuvante, et non repugnantibus fratris amicis, ratus; primum ad sororem, deinde ad fratrem amicosque eius, non prius destitit mittere, quam pacem cum iis confirmaret. Suspectum Antiochum effecerat, quod, cetera Aegypto sibi 8

Res Aegypti.

5 *Si ea mens populo foret*] Ita emendavit Iac. Gronovius pro vulg. *si tamen populo foret.*

6 *Sub adventu*] Frobenius *sub adventum* reposuit, sed veterem lectionem revocavit Gronovius. Utraque locutio *sub adventu*, et *sub adventum* recte dicitur. cf. supr. ii. 55.

7 *Decimii lenitas* *] Vocem *afferebat* post *lenitas* reponendam censet Sigonius; *efficiebat* Douiatius, *accenderat* Crevierius supplet.

8 *Antiochus frustra*] cf. Polyb. Exc. Vat. xxxi. 1.

radita, Pelusii validum relictum erat praesidium. Ap- U. C. 584.
arebat, claustra Aegypti teneri, ut, quum vellet, rursus A. C. 168.
exercitum induceret: bello intestino cum fratre eum exium fore, ut victor, fessus certamine, nequaquam par Antiocho futurus esset. Haec, prudenter animadversa a maiore, cum assensu minor frater, quique cum eo erant, acceperunt: soror plurimum adiuvit, non consilio modo, sed etiam precibus. Itaque, consentientibus cunctis pace facta, Alexandream recipitur, ne multitudine quidem adversante: quae in bello, non per obsidionem modo, sed etiam postquam a moenibus abscessum est, quia nihil ex Aegypto subvehebatur, omnium rerum attenuata inopia erat. His quum laetari Antiochum conveniens esset, si reducendi eius causa exercitum Aegyptum induxisset, quo specioso titulo ad omnes Asiae et Graeciae civitates, legationibus recipiendis literisque dimittendis, usus erat, adeo est offensus, ut multo acrius infestiusque adversus duos, quam ante adversus unum, pararet bellum. Cyprum extemplo classem misit: ipse, primo vere cum exercitu Aegyptum petens, in Coelen Syriam processit. Circa Rhinocolura Ptolemaei legatis agentibus gratias, quod per eum regnum
2 patrium recepisset, petentibusque, ut suum munus tueretur, et diceret potius, quid fieri vellet, quam, hostis ex socio factus, vi atque armis ageret, respondit: 'Non aliter neque 'classem revocaturum, neque exercitum reducturum, nisi 'sibi et tota Cypro, et Pelusio, agroque, qui circa Pelusia- 'cum ostium Nili esset, cederet;' diemque praestituit, in-
3 tra quam de conditionibus peractis responsum acciperet.
4 Postquam dies data indutiis praeteriit, * navigantibus ostio 12.
Nili ad Pelusium, per deserta Arabiae * ad Memphim incolebant, et ab ceteris Aegyptiis, partim voluntate, partim
5 metu, ad Alexandream modicis itineribus descendit. Ad Occurrunt Antiocho legati Romani.
Eleusinem transgresso flumen, qui locus quattuor millia ab Alexandrea abest, legati Romani occurrerunt. Quos quum advenientes salutasset, dextramque Popillio porrigeret; tabellas ei Popillius senatusconsultum habentes tradit, atque omnium primum id legere iubet. Quibus perlectis, quum

9 *Pelusii*] cf. Diodor. Exc. Vat. xxvi. 24.

1 *Attenuata inopia erat*] Propter omnium rerum inopiam ad tenuem et trepidum statum redacta erat. Doer.

2 *Suum munus*] Regnum nempe, quod tanquam munus per Antiochum receperat. Doer.

3 *De conditionibus peractis*] Vox *peractis* Crevierio mendosa esse videtur, pro qua Livium scripsisse *delatis* coniicit. Aliquid latere mendi Drakenborchio certum videtur, nisi forte *peractis* exponas *perfectis*.

4 **Navigantibus ostio Nili*] Locus haud dubie mancus et depravatus est, quem Sigonius et Crevierius alter altero modo supplet.

5 *Ad Eleusinem*] Ita emendavit Turnebus pro vulg. *Leusinem*. Ceterum *Eleusis* vicus fuit ad fossam Canopicam, cuius meminerunt Strabo xvii. 800. et Athenaeus xiii. p. 576.

U. C. 584. A. C. 168. Popillius virga circumscribit regem.

se consideraturum, adhibitis amicis, quid faciendum sibi esset, dixisset; Popillius, pro cetera asperitate animi, virga, 6 quam in manu gerebat, circumscripsit regem: ac, 'Priusquam hoc circulo excedas,' inquit, 'redde responsum, 'senatui quod referam.' Obstupefactus tam violento imperio parumper quum haesitasset, 'Faciam,' inquit, 'quod 'censet senatus.' Tum demum Popillius dextram regi, tanquam socio atque amico, porrexit. Die deinde finita quum excessisset Aegypto Antiochus, legati, concordia etiam auctoritate sua inter fratres firmata, inter quos vixdum convenerat pax, Cyprum navigant: et inde, quae iam vicerat proelio Aegyptias naves, classem Antiochi dimittunt. Clara ea per gentes legatio fuit, quod haud dubie adempta Antiocho Aegyptus habenti iam, redditumque patrium regnum stirpi Ptolemaei fuerat.

Licinii Cos. res gestae.

Consulum eius anni, sicut alterius clarus consulatus insigni victoria, ita alterius obscura fama, quia materiam res gerendi non habuit. Iam primum quum legionibus ad conveniendum diem dixit, non auspicato templum intravit. 8 Vitio diem dictam esse augures, quum ad eos relatum est, decreverunt. Profectus in Galliam circa Macros campos ad montes Siciminam et Papinum stativa habuit: deinde circa eadem loca cum sociis nominis Latini hibernabat: legiones Romanae, quod vitio dies exercitui ad conveniendum dicta erat, Romae manserant. Et praetores, praeter C. Papirium Carbonem, cui Sardinia evenerat, in provincias iere. Eum tum ius dicere Romae (nam eam quoque 9 sortem habebat) inter cives et peregrinos Patres censuerant.

13. Et Popillius et ea legatio, quae missa ad Antiochum erat, Romam rediit. Retulit, controversias inter reges sublatas 1 esse, exercitumque ex Aegypto in Syriam reductum. Post ipsorum regum legati venerunt: Antiochi legati, referentes, 'Omni victoria potiorem pacem regi, quae senatui pla- 'cuisset, visam: eumque haud secus, quam deorum imperio, 'legatorum Romanorum iussis paruisse.' Gratulati deinde victoriam sunt, 'quam summa ope, si quid imperatum 'foret, adiuturum regem fuisse.' Ptolemaei legati, com- 2

Legati Antiochi.

Ptolemaei.

6 *Virga*] cf. Diodor. Exc. Vat. xxxi. 3.

7 *Convenerat pax*] Perizonius *pax* pro vulg. *pars* emendavit. Hunc librariorum lapsum saepissime in antiquis monumentis observari idem animadvertit.

8 *Templum intravit*] Templum hic intelligimus locum auguriis consecratum, unde diem dici ad conveniendum exercitui mos esset, ut scilicet initia rei gerendae sub deorum numine sumerentur. CREV.

9 *Nam eam quoque sortem habebat*] Nimirum intelligendum est, misso adversus Gentium Anicio, cuius ea sors fuerat, ad Carbonem sortem eius translatam fuisse. CREV.

1 *Romam rediit*] Vocem *rediit* delendam censet Crevier. ut quae plane superflua sit.

2 *Ptolemaei legati*] sc. Ptolemaei minoris. Is enim solus auxilium imploraverat Romanorum, et propter

muni nomine regis et Cleopatrae, gratias egerunt, 'Plus eos 'senatui populoque Romano, quam parentibus suis, plus, 'quam diis immortalibus, debere: per quos obsidione 'miserrima liberati essent, regnum patrium prope amissum 'recepissent.' Responsum ab senatu est: 'Antiochum 'recte atque ordine fecisse, quod legatis paruisset, gra-'tumque id esse senatui populoque Romano.' Regibus Aegypti, Ptolemaeo Cleopatraeque: 'Si quid per se boni 'commodique evenisset, id magnopere senatum laetari: 'daturumque operam, ut regni sui maximum semper prae-'sidium positum esse in fide populi Romani ducant.' Munera legatis ut ex instituto mittenda curaret, C. Papirio praetori mandatum. Literae deinde e Macedonia allatae, quae victoriae laetitiam geminarent: 'Persea regem in 'potestatem consulis venisse.' U. C. 584. A. C. 168.

Dimissis legatis disceptatum inter Pisanos Lunensesque legatos: Pisanis querentibus, agro se a colonis Romanis pelli; Lunensibus affirmantibus, eum, de quo agatur, ab triumviris agrum sibi assignatum esse. Senatus, qui de finibus cognoscerent statuerentque, quinqueviros misit, Q. Fabium Buteonem, P. Cornelium Blasionem, T. Sempronium Muscam, L. Naevium Balbum, C. Appuleium Saturninum.

Et ab Eumene et ab Attalo et ab Athenaeo fratribus, communis legatio de victoria gratulatum venit. Et Masgabae, regis Masinissae filio, Puteolis nave egresso, praesto fuit, obviam missus cum pecunia, L. Manlius quaestor, qui Romam eum publico sumptu perduceret. Advenienti extemplo senatus datus est. Is adolescens ita locutus est, ut, quae rebus grata erant, gratiora verbis faceret. Commemoravit, 'quot pedites equitesque, quot elephantos, 'quantum frumenti eo quadriennio pater suus in Mace-'doniam misisset. Sed duas res ei rubori fuisse: unam, 'quod rogasset eum per legatos senatus, quae ad bellum 'opus essent, et non imperasset: alteram, quod pecuniam 'ei pro frumento misisset. Masinissam meminisse, regnum 'a populo Romano partum auctumque et multiplicatum 'habere: usu regni contentum scire, dominium et ius [3] 'eorum, qui dederint, esse. Sumere itaque eosdem, non [4] 'se rogare, aequum esse, neque emere ea ex fructibus agri

Masgaba Masinissae F.

eum missa legatio a Romanis fuerat. cf. supr. xliv. 19.

3 *Non se rogare*] Perizonius ad Sanct. Minerv. ii. 12. monuit reciprocum *se* in hoc orationis contextu bis positum ad diversos referri: posterius enim *se* manifeste referri ad Romanos, quos non oporteat emere aliquid ex rebus, quae ipsi dederint; prius ad Masinissam, cuius nomine instituitur oratio.

4 *Ex fructibus agri ab se dati*] Vox *fructibus* voci *usu* opponitur, et Masinissa fructus agri sui tanquam vectigalis populi Romani arbitrio Romanorum modeste subiecit. Ceterum

U. C. 584. A. C. 168. 'ab se dati, quae ibi proveniant. Id Masinissae satis esse, 'et fore, quod populo Romano superesset. Cum iis mandatis a patre profectum postea consecutos equites, qui 'devictam Macedoniam nuntiarent, gratulatumque senatui; 'iuberent indicare, tantae eam rem laetitiae patri suo esse. 'ut Romam venire velit, Iovique Optimo Maximo in Capitolio sacrificare, et grates agere: id, nisi molestum sit. 14. 'ut ei permittatur, ab senatu petere.' Responsum regulo est: 'Facere patrem eius Masinissam, quod virum gratum 'bonumque facere deceat, ut pretium honoremque debito 'beneficio addat. Et populum Romanum ab eo, bello 'Punico, forti fidelique opera adiutum, et illum, favente 'populo Romano, regnum adeptum; aequitate sua postea[5] 'trium regum bellis deinceps omnibus eum functum officiis. 'Victoria vero populi Romani laetari eum regem mirum 'non esse, qui sortem omnem fortunae regnique sui cum 'rebus Romanis immiscuisset. Grates diis pro populi Romani victoria apud suos penates ageret; Romae filium 'pro eo acturum. Gratulatum quoque satis suo ac patris 'nomine esse. Ipsum relinquere regnum, et Africa ex'cedere, praeterquam quod illi inutile esset, non esse e 'republica populi Romani, senatum censere.' Petenti Masgabae, ut Hanno Hamilcaris filius obses in locum[7] * exigeret. Munera ex senatusconsulto emere regulo quaestor iussus ex centum pondo argenti, et prosequi eum Puteolos, omnemque sumptum, quoad in Italia esset, praebere, et duas naves conducere, quibus ipse comitesque[8] regis in Africam deveherentur: et comitibus omnibus, liberis servisque, vestimenta data. Haud ita multo post de altero Masinissae filio Misagene literae allatae sunt, 'Missum eum ab L. Paullo post devictum Persea in 'Africam cum equitibus suis; navigantem, dispersa classe 'in Hadriatico mari, Brundisium tribus navibus aegrum 'delatum.' Ad eum cum iisdem muneribus, quae data Romae fratri eius erant, L. Stertinius quaestor Brundisium missus: iussusque curare, ut aedes hospi[tio reguli, simul omnia, quae ad valetudinem opus essent, praeberentur; impensaeque liberaliter quum ipsi tum toti comitatui praestarentur; naves etiam ut prospicerentur, quibus se bene

Misagenes alter filius Masinissae.

sibi, i. e. Romanis, *proveniant* Perizon. coniicit.

5 *Gratulatumque senatui iuberent indicare*] Et iuberent se, postquam gratulatus esset senatui, indicare. Crev.

Aequitate sua] Has voces loco alienas esse Crevierius suspicatur, qui *ac virtute sua* reponendum censet, ita ut haec consentanea sint cum reliqua oratione, quae tota in eo est, ut cum Masinissae gratulatione et modestia certent Romani comitate et laudibus.

7 *In locum* * *exigeret*] Locus haud dubie mancus, cui medela adhuc desideratur, quum sententia Livii omnino obscura sit.

8 *Comitesque regis*] *Eius* pro *regis* Gronovius emendandum censet.

ac tuto in Africam traiiceret. Equitibus singulae librae U. C. 584.
argenti, et quingeni sestertii dari iussi. Comitia creandis A. C. 168.
in sequentem annum consulibus habita sunt a C. Licinio consule. Creati Q. Aelius Paetus, M. Iunius Pennus. Inde praetores facti Q. Cassius Longinus, M'. Iuventius Thalna, Ti. Claudius Nero, A. Manlius Torquatus, Cn. Fulvius Gillo, C. Licinius Nerva. Eodem anno censores Ti. Sempronius Gracchus et C. Claudius Pulcher rem diu inter se variis altercationibus agitatam tandem concordi animo decreverunt. Gracchus, quum libertini iterum iterumque in quattuor tribus urbanas redacti sese rursus per omnes effudissent, repullulans semper malum radicitus exstirpare voluerat, omnesque, qui servitutem servissent, censu excludere. Nitebatur contra Claudius, et maiorum instituta commemorabat, qui libertinos coercere saepius, nunquam prohibere omnino civitate tentassent. Quin etiam ab censoribus C. Flaminio, L. Aemilio aliquid ex pristina severitate laxatum esse referebat. Sane quum tum quoque faex illa populi per omnes tribus sese divisisset, eamque rursus redigere in antiquam velut sedem necessarium videretur, nonnullis tamen eius ordinis aliquid prae-
9 cipuum concessum erat. Nam ab illis censoribus] in quat- 15.
tuor urbanas tribus descripti erant libertini, praeter eos,
1 quibus filius quinquenni maior ex se natus esset. Eos, ubi
3 proximo lustro censi essent, censeri iusserunt: et eos, qui
4 praedium praediave rustica pluris sestertium triginta mil-
5 lium haberent, censendi ius factum est. Hoc quum ita

9 *In quattuor urbanas tribus*] cf. supr. ix. 46.

1 *Ex se natus esset*] Ita quoque Bekkerus pro vulg. *ex senatusconsulto esset*, quod haud dubie depravatum est.

2 *Ubi proximo lustro*] sc. Quo loco, ut supr. xxxviii. 28. et 36. ex senatusconsulto, *ubi censerentur Campani*, Romae censebantur; vel in qua tribu, ut supr. xxv. 3. *ubi Latini*.

3 *Censeri iusserunt*] Haec verba de censoribus prioris lustri, sc. C. Flaminio et M. Aemilio, intelligit Crevier. Tempus autem verbi *descripti erant* ad Q. Fabii Maximi censuram referendum est. supr. ix. 46.

4 *Sestertium triginta millium*] h. e. Qui censum supra quinque et septuaginta millia aeris haberent, quo censu *secundam classem* ordine Serviano fuisse auctor est Livius supr. i. 43. Verum iam non amplius *aeris*, sed *sestertium* millia numerabantur.

5 *Censendi ius factum est*] Credimus hic aliquid excidisse, et sensum vix aliter constare posse, quam si legamus, *in tribubus rusticis censendi ius factum est*. Nam L. Aemilio, C. Flaminio censoribus, non agebatur utrum censerentur libertini, sed ubi censerentur. Bene autem ii in tribus rusticas admittuntur, qui praedia rustica haberent. Potest venire in mentem, non contemnendas fuisse divitias illis temporibus sestertiûm triginta millia in praediis rusticis, quum aliquot annis post Cn. Scipionis filiae dos e publico constituta sit, teste Valer. Max. iv. 4. quadraginta millium aeris gravis, id est, sedecim millium sestertiûm. Sed facile respondebimus hanc ipsam fuisse censorum mentem, ut in tribus rusticas non admitterentur, nisi ditissimi quique ex libertinis. Porro quicquid hic afferimus, id non pro certo affirmare in animo est, sed, in rebus perobscuris, tanquam non omnino improbabile lectori expendendum permittere. Crev.

U. C. 584. A. C. 168. servatum esset, negabat Claudius, 'suffragii lationem 'iniussu populi censorem cuiquam homini, nedum ordini 'universo, adimere posse. Neque enim, si tribu movere 'posset, quod sit nihil aliud, quam mutare iubere tribum, 'ideo omnibus quinque et triginta tribubus emovere posse; 'id est, civitatem libertatemque eripere; non, ubi cen-'seatur, finire, sed censu excludere.' Haec inter ipsos disceptata: postremo eo descensum est, ut ex quattuor urbanis tribubus unam palam in atrio Libertatis sortirentur, in quam omnes, qui servitutem servissent, coniicerent. Esquilinae sors exiit: in ea Ti. Gracchus pronuntiavit, libertinos omnes censeri placere. Magno ea res honori censoribus apud senatum fuit. Gratiae actae et Sempronio, qui in bene coepto perseverasset; et Claudio, qui non impedisset. Plures, quam ab superioribus, et senatu remoti sunt, et equos vendere iussi. Omnes iidem ab utroque et tribu emoti, et aerarii facti: neque ullius, quem alter notaret, ab altero levata ignominia. Petentibus, ut ex instituto ad sarta tecta exigenda, et ad opera, quae locassent, probanda, anni et sex mensium tempus prorogaretur, Cn. Tremellius tribunus, quia lectus non erat in senatum, intercessit.

In Esquilinam tribum coniecti libertini.

Censura severe gesta.

Eodem anno C. Cicereius aedem Monetae in monte Albano dedicavit quinquennio post, quam vovit. Flamen Martialis inauguratus est eo anno L. Postumius Albinus.

16. U. C. 585. A. C. 167. Q. Aelio, M. Iunio Coss. Provinciae. Q. Aelio, M. Iunio consulibus de provinciis referentibus, censuere Patres, duas provincias Hispaniam rursus fieri, quae una per bellum Macedonicum fuerat: et Macedoniam Illyricumque eosdem, L. Paullum et L. Anicium, obtinere, donec de sententia legatorum res et bello turbatas, et in

6 *Adimere posse*] Niebuhrius Zonaram vii. 19. et A. Gell. xvi. 31. et Pseud. Ascon. ad Cic. Divin. 3. citans, censores civem Romanum ex albo centuriae suae movere et in aerarios referre potuisse censet, ita ut ius suffragii omnino adimeretur: sed Wachsmuthius hoc loco fretus, rem aliter fuisse contendit. cf. Niebhr. ii. n. 875. Wachsmuth. n. 891.

7 *Esquilinae sors exiit*] Unde Esquilinam extremo loco inter urbanas tribus habitam fuisse existimat Niebuhrius iii. n. 569.

8 *Senatu remoti*] Vulg. *emoti*. Bekkerus *moti* reposuit.

9 *Tribu emoti*] Vulg. *remoti*. Bekkerus hic quoque *moti* legit.

1 *Ad sarta tecta exigenda*] Opera publica, quae locantur, ut integra praestentur. cf. supr. xxix. 37.

2 *Sex mensium*] Vulgo *bimensis* legebatur, quod haud dubie depravatum est. De quo Crevierius haec animadvertit; Livium scilicet dedisse *anni et VI. mensium*: quod quum hoc modo scriptum esset, primo litera *V* in *B* ob affinitatem soni mutata est: unde aliquis librarius quum reperiret *bimensium*, existimavit se facturum esse operae pretium, si corrigeret *bimensis*. Igitur quum censores intra anni et sex mensium spatium, quo censura finiebatur, non potuissent et sarta tecta exigere, et opera quae locassent probare, postulabant, ut exacto magistratu prorogaretur sibi tempus, non quo totam censurae vim tenerent, sed cum potestate essent ad haec, quae supererant, perficienda.

statum alium ex regno formandas composuissent. Consulibus Pisae et Gallia decretae cum binis legionibus U. C. 585. A. C. 167.
3 quinum millium peditum, et equitum quadringenorum. Praetorum sortes fuere, Q. Cassii urbana, M'. Iuventii Thalnae inter peregrinos, Ti. Claudii Neronis Sicilia, Cn. Fulvii Hispania citerior, C. Licinii Nervae ulterior. A. Manlio Torquato Sardinia obvenerat. Nequiit ire in provinciam, ad res capitales quaerendas ex senatusconsulto retentus.

Prodigia.

De prodigiis deinde nuntiatis senatus est consultus. Aedes deum Penatium in Velia de coelo tacta erat: et in oppido Minervio duae portae et muri aliquantum. Anagniae terra pluerat; et Lanuvii fax in coelo visa erat; et
4 Calatiae in publico agro M. Valerius civis Romanus nuntiabat ex foco suo sanguinem per triduum et duas noctes manasse. Ob id maxime decemviri libros adire iussi, supplicationem in diem unum populo edixerunt, et quinquaginta capris in foro sacrificaverunt. Et aliorum prodigiorum causa diem alterum supplicatio circa omnia pulvinaria
5 fuit, et hostiis maioribus sacrificatum est, et urbs lustrata. Inde, quod ad honorem deum immortalium pertineret, decrevit senatus, 'Ut, quoniam perduelles superati, Perseus 'et Gentius reges cum Macedonia atque Illyrico in po-'testate populi Romani essent, ut, quanta dona, Ap. 'Claudio, M. Sempronio consulibus, ob devictum Antio-'chum regem data ad omnia pulvinaria essent, tanta Q. 'Cassius et M'. Iuventius praetores curarent danda.'

17.

Legati in Macedoniam et Illyricum.

Legatos deinde, quorum de sententia imperatores L.
6 Paullus, L. Anicius componerent res, decreverunt decem in Macedoniam, quinque in Illyricum. In Macedoniam sunt hi nominati, A. Postumius Luscus, C. Claudius, ambo censorii, C. Licinius Crassus, collega in consulatu Paulli; tum prorogato imperio provinciam Galliam habebat. His consularibus addidere Cn. Domitium Ahenobarbum, Ser. Cornelium Sullam, L. Iunium, C. Antistium Labeonem, T. Numisium Tarquiniensem, A. Terentium Varronem. In Illyricum autem hi nominati, P. Aelius Ligus consularis, C. Cicereius, et Cn. Baebius Tamphilus, (hic priore anno,

3 *Quinum millium*] Numerum addidit Drakenborchius, qui pro *quadringentenis*, quod vulgo exstat, *quadringenorum* emendat. cf. supr. xxii. 36.

4 *Calatiae in publico agro M. Valerius civis Romanus nuntiabat ex foco suo*] Calatia erat urbs Campaniae, cuius ager, quemadmodum et Capuae, publicus factus fuerat populi Romani. Is igitur ager fruendus locabatur colonis a censoribus. M. Valerius, de quo hic agitur, unus videlicet erat ex iis qui aliquam partem huius publici agri conduxerant. Crev.

5 *Urbs lustrata*] Amburbiali sacro, de quo supr. xxi. 62. et xxii. 60.

6 *Decem in Macedoniam*] At novem tantum nominantur. Intercidit unum nomen, quod Iac. Gronovius suspicatur esse Q. Marcii Philippi.

U. C. 585. A. C. 167. Cicereius multis ante annis praetor fuerat) P. Terentius Tuscivicanus, P. Manilius. Moniti deinde consules a Patribus, ut, quoniam alterum ex his succedere C. Licinio, qui legatus nominatus erat, in Galliam oporteret, primo quoque tempore provincias aut compararent inter se, aut sortirentur, sortiti sunt. M. Iunio Pisae obvenerunt, (quem prius, quam in provinciam iret, legationes, quae undique Romam gratulatum convenerunt, introducere in senatum; placuit) Q. Aelio Gallia. Ceterum quanquam tales viri mitterentur, quorum de consilio sperari posset imperatores nihil indignum nec clementia nec gravitate populi Romani decreturos esse, tamen in senatu quoque agitata est summa consiliorum, ut inchoata omnia legati ab domo ferre ad imperatores possent. 'Omnium primum liberos esse' placebat 'Macedonas atque Illyrios, ut omnibus gentibus appareret, arma populi Romani non liberis servitutem, sed contra servientibus libertatem afferre; ut et in libertate gentes quae essent, tutam eam sibi perpetuamque sub tutela populi Romani esse, et quae sub regibus viverent, et in praesens tempus mitiores eos iustioresque respectu populi Romani habere se, et, si quando bellum cum populo Romano regibus fuisset suis, exitum eius victoriam Romanis, sibi libertatem allaturum crederent. Metallis quoque Macedonici, quod ingens vectigal erat, locationesque praediorum rusticorum tolli' placebat. 'Nam neque sine publicano exerceri posse; et, ubi publicanus esset, ibi aut ius publicum vanum, aut libertatem sociis nullam esse. Ne ipsos quidem Macedonas idem exercere posse. Ubi in medio praeda administrantibus esset, ibi nunquam causas seditionum et certaminis defore. Commune concilium gentis esset, ne improbum vulgus ab senatu aliquando libertatem salubri moderatione datam ad licentiam pestilentem traheret. In quattuor regiones describi Ma-

18. S. C. de Macedonia.

7 *Convenerunt*] *Convenerant*, ex emendatione Dukeri, reposuit Bekker.

8 *Populi Romani*] Has voces addidit Sigonius.

9 *Metalli quoque Macedonici*] Dubium esse potest, utrum haec verba referenda sint ad *vectigal*, an ad *locationes*. Posterius magis placet. Quid sint hoc loco *locationes praediorum rusticorum*, haud facile definire possumus. Fortasse hoc intelligendum est de praediis, quae proprium essent regum Macedonicorum patrimonium, quae quum locarentur a regibus, a Romanis vel venduntur, vel donantur. Crev.

1 *Ibi aut ius publicum vanum*] Ubi publicanus est, alterutrum accidere necesse est. Aut remissius agere publicani iubebuntur: tunc ius publicum vanum erit, id est, ex iure illo publico, vel metalli, vel portorii, nihil aut perpaullulum pecuniae recipietur. Aut publicanus rigide et districte aget: tunc libertas sociis nulla erit. Crev.

2 *Idem exercere posse*] *Id* pro *idem* mavult Crevierius.

3 *Gentis esset*] *Gentis nullum esset* Crevierius et Drakenborchius, auctore Sigonio, reponendum censent, quorum ille *consilium* pro *concilium* legendum suadet.

'cedoniam, ut suum quaeque concilium haberet,' placuit; U. C. 585.
4 'et dimidium tributi, quam quod regibus ferre soliti erant, A. C. 167.
'populo Romano pendere.' Similia his et in Illyricum mandata. Cetera ipsis imperatoribus legatisque relicta, in quibus praesens tractatio rerum certiora subiectura erat consilia.

Inter multas regum gentiumque et populorum legationes 19.
Attalus, frater regis Eumenis, maxime convertit in se omnium oculos animosque. Exceptus enim est ab his, qui Attalus Romae.
5 simul eo bello militaverunt, haud paullo benignius, quam si ipse rex Eumenes venisset. Adduxerant eum duae in speciem honestae res: una, gratulatio, conveniens in ea victoria, quam ipse adiuvisset: altera, querimonia Gallici
6 tumultus, acceptaeque cladis, qua regnum in dubium adductum esset. Suberat et secreta spes honorum prae-
7 miorumque ab senatu, quae vix salva pietate eius contingere poterant. Erant enim quidam Romanorum quoque non boni auctores, qui spe cupiditatem eius elicerent: 'Eam opinionem de Attalo et Eumene Romae esse, tan'quam de altero Romanis certo amico, altero nec Romanis, 'nec Persi fido socio. Itaque vix statui posse, utrum, 'quae pro se, an, quae contra fratrem petiturus esset, ab 'senatu magis impetrabilia forent: adeo universos omnia
8 'et huic tribuere, et illi vero negare.' Eorum hominum, Attali spes
ut res docuit, Attalus erat, qui, quantum spes spopondisset, pravae.
cuperent, ni unius amici prudens monitio veluti frenos animo eius, gestienti secundis rebus, imposuisset. Stratius cum eo fuit medicus, ad id ipsum a non securo Eumene Romam missus, speculator rerum, quae a fratre agerentur, monitorque fidus, si decedi fide vidisset. Is, ad occupatas iam aures sollicitatumque iam animum quum venisset, ag-
9 gressus tempestivis temporibus rem prope prolapsam restituit, 'Aliis alia regna crevisse rebus,' dicendo: 'regnum Castigantur
'eorum novum, nullis vetustis fundatum opibus, fraterna a Stratio.
'stare concordia: quod unus nomen regium et praecipuum 'capitis insigne gerat, omnes fratres regnent. Attalum 'vero, quia aetate proximus sit, quis non pro rege habeat? 'neque eo solum, quia tantas praesentes eius opes cernat, 'sed quod haud ambiguum propediem regnaturum eum

4 *Quam quod*] Coniunctionem *quam* delendam censent Gronovius et Crevierius. *Dimidium, quod* supr. xxiv. 19. et infr. 26. et 29. occurrit.

5 *Militaverunt*] *Militaverant* reposuit Bekker.

6 *Acceptaeque cladis*] Haec optima emendatio pro *advertaeque gladiis*, quod Crevierius pro conclamato habuit, e manu Walchii provenit.

7 *Pietate eius contingere*] *Ei* pro *eius*, auctore Crevierio, reposuit Bekker.

8 *Vero negare*] *Vero* hic cum emphasi quadam affirmatur.

9 *Tempestivis temporibus*] *Sermonibus* Gronovius coniecit, probante Drakenborchio et Crevierio.

U. C. 585. A. C. 167. 'infirmitate aetateque Eumenis esset, nullam stirpem liberum habentis:' (necdum enim agnoverat eum, qui postea regnavit). 'Quid attinere vim afferre rei, sua sponte ad eum mox venturae? Accessisse etiam novam tempestatem regno tumultus Gallici, cui vix consensu et concordia regum resisti queat. Si vero ad externum bellum domestica seditio adiiciatur, sisti non posse; nec aliud eum, quam, ne frater in regno moriatur: sibi ipsi spem propinquam regni erepturum. Si utraque gloriosa res esset, et servasse fratri regnum, et eripuisse; servati tamen regni, quae iuncta pietati sit, potiorem laudem fuisse. Sed enimvero quum detestabilis altera res et proxima parricidio sit, quid ad deliberationem dubii superesse? Utrum enim partem regni petiturum esse, an totum erepturum? Si partem; ambo infirmos, distractis viribus, et omnibus iniuriis probrisque obnoxios fore: si totum; privatumne ergo maiorem fratrem, an exsulem illa aetate, illa corporis infirmitate, ad ultimum moriturum? Egregium enim, ut fabulis traditus impiorum fratrum eventus taceatur, Persei exitum videri, qui ex fraterna caede raptum diadema in templo Samothracum, velut praesentibus diis exigentibus poenas, ad pedes victoris hostis prostratus posuerit. Eos ipsos, qui, non illi amici, sed Eumeni infesti, stimulent eum, pietatem constantiamque laudaturos, si fidem ad ultimum fratri praestitisset.' Haec plus valuere in Attali animo. Itaque introductus in senatum, gratulatus victoriam est, et sua merita eo bello fratrisque, si qua erant, et Gallorum defectionem, quae nuper ingenti motu facta erat, exposuit. Petiit, ut legatos mitteret ad eos, quorum auctoritate ab armis avocarentur. His pro regni utilitate editis mandatis, Aenum sibi et Maroneam petiit. Ita destituta eorum spe, qui, fratre accusato, partitionem regni petiturum crediderant, curiam excessit. Ut raro alias quisquam, rex aut privatus, tanto favore tantoque omnium assensu est auditus; omnibus honoribus muneribusque, et praesens est cultus, et profiscentem prosecuti sunt.

20. Stratio obtemperat Attalus.

1 *Eum, qui postea regnavit*] Attalam Philometora, qui regnavit post hunc Attalum patruum suum, et herede populo Romano decessit. Crev.

2 *Nec aliud eum*] *Effecturum* subintelligit Crevier.

3 *Ad ultimum*] *An ultimum* vulgo legitur, quod Crevierius et Douiatius tuentur, *ultimum* tanquam *ad ultimum*, quemadmodum supr. xxxv. 35. xl. 38. *summum* tanquam *ad summum*, exponendum censentes.

4 *Curiam excessit*] Quemadmodum supr. ii. 37. *ut urbem excederent*. Vulgo *curia* legitur, sed prima editio *curiam* exhibet, teste Gronovio.

5 *Ut raro alias*] Particulam *ut*, forte natam ex ultimis literis praecedentis vocis *excessit*, Gronovio auctore, delendam censent Crevier. et Bekker.

6 *Profiscentem prosecuti sunt*] Hic operae pretium est supplere ea

Inter multas Asiae Graeciaeque legationes Rhodiorum naxime legati civitatem converterunt. Nam quum primo n veste candida visi essent, quod et gratulantes decebat, :t, si sordidam vestem habuissent, lugentium Persei casum ɔraebere speciem poterant; postquam consulti ab M. Iunio ɔonsule Patres, stantibus in comitio legatis, an locum, lautia, ɔenatumque darent, nullum hospitale ius in iis servandum ɔensuerunt; egressus e curia consul, quum Rhodii, gratulatum se de victoria purgatumque civitatis crimina dicentes venisse, petissent, ut senatus sibi daretur, pronuntiat: 'Sociis et amicis et alia comiter atque hospitaliter praestare 'Romanos, et senatum dare consuesse: Rhodios non ita 'meritos eo bello, ut amicorum sociorumque numero habendi sint.' His auditis, prostraverunt se omnes humi, consulemque et cunctos, qui aderant, orantes, ne nova falsaque crimina plus obesse Rhodiis aequum censerent, quam antiqua merita, quorum ipsi testes essent. Extemplo, veste sordida sumpta, domos principum cum precibus ac lacrimis circumibant, orantes, ut prius cognoscerent causam, quam condemnarent. M'. Iuventius Thalna praetor, cuius inter cives et peregrinos iurisdictio erat, populum adversus Rhodios incitabat: rogationemque promulgaverat, 'Ut Rhodiis bellum indiceretur: et ex magistratibus eius anni deligerent, qui ad id bellum cum classe 'mitteretur,' se eum sperans futurum esse. Huic actioni M. Antonius et M. Pomponius tribuni plebis adversabantur. Sed et praetor novo maloque exemplo rem ingressus erat, quod, ante non consulto senatu, non consulibus certioribus factis, de sua unius sententia rogationem ferret, 'Vellent, iuberentne, Rhodiis bellum indici?' quum antea 8 semper prius senatus de bello consultus esset, deinde ex

U. C. 585. A. C. 167. Rhodiorum legati.

Male excepti.

21.

Thalnae rogatio contra Rhodios.

ex Polybio quae Livius, quum cetera ex eo exscriberet, omisit, seu quia falsa putabat, seu quia Romanis parum decora, nimium indulgens caeco in patriam amori, noluit historiae suae inserere. Tradit ergo Polybius, legat. 93. Aenum et Maroneam primo concessas esse Attalo, et decretam legationem ad Gallos, et omnibus honoribus muneribusque eum magnifice cultum esse, quia sperabant Patres iterum illum aditurum ad eos, postulaturumque ut regnum Eumenis secum divideretur. Quae ubi spes eos frustrata est, tum vero eos, quum etiamnum esset in Italia Attalus, liberas esse iussisse Aenum et Maroneam urbes, promissionis factae Attalo oblitos. Praeterea misisse quidem legationem ad Gallos. Sed quomodo de ea loquitur Graecus scriptor, quamvis rem clare non explicet, satis indicat ea mandata legatis data, ex quibus potius confirmarentur Gallorum animi ad bellum, quam Eumeni et Attalo conciliarentur. Idem suspicari possumus ex ipso Livio infr. 34. Crev.

7 *Sociorumque*] *Sociorum* vulgo legitur, pro quo *sociorumve* reponit Gronovius.

8 *Ex auctoritate Patrum*] Has voces addidit Kreyssigius, sequente Bekkero. Sed supr. vi. 21. quando Patres, ut ad populum ferretur de bello Veliternis indicendo, decreverunt, scribit noster *latum ad populum* fuisse, omissis vocibus *ex auctoritate Patrum*.

U. C. 585. A. C. 167. auctoritate Patrum ad populum latum; et tribuni plebis, quum ita traditum esset, ne quis prius intercederet legi, quam privatis suadendi dissuadendique legem potestas facta esset; eoque persaepe evenisset, ut et, qui non professi essent se intercessuros, animadversis vitiis legis ex oratione dissuadentium, intercederent; et, qui ad intercedendum venissent, desisterent, victi auctoritatibus suadentium legem. Tum inter praetorem tribunosque omnia intempestive agendi certamen erat. Tribuni festinationem praetoris ante tempus intercedendo, [quum damnarent, imitabantur. Hoc tamen intercessioni suae praetendebant,] in adventum im[peratoris et decem legatorum ex Macedonia, qui, re diligentissime ex literis tabulisque perpensa, certo indicaturi essent, quo quaeque civitas in Persea Romanosve animo fuisset, totam de Rhodiis consultationem reiici opus esse. Sed quum nihilo minus praetor propositum urgeret, eo res processit, ut Antonius tribunus, productis ad populum legatis, procedentem contra Thalnam et dicere incipientem de Rostris detraheret, Rhodiisque concionem praeberet. Ceterum, etsi praecipitem ac fervidum praetoris conatum par tribuni pervicacia discusserat, nondum tamen cura decesserat Rhodiorum animis. Patres enim erant infensissimi: ut imminenti malo levati magis in praesens Rhodii, quam omnino liberati essent. Igitur quum diu multumque precantibus tandem senatus datus esset; introducti a consule, primo prostratis humi corporibus diu flentes iacuerunt: deinde, quum excitatos consul dicere iussisset, Astymedes, quam maxime composito ad commovendam miserationem habitu, in hunc modum verba fecit.

22. Oratio Rhodiorum in senatu.

'Hic luctus et squalor paullo ante florentium amicitia 'vestra sociorum, Patres conscripti, non potest non esse 'etiam iratis miserabilis. At quanto iustior vestras mentes 'subibit miseratio, si cogitare volueritis, quam dura condi'tione causam hic apud vos prope iam damnatae civitatis 'agamus? Ceteri rei fiunt, antequam damnentur: nec 'prius luunt supplicia, quam de culpa constet. Rhodii] * * 'est, peccaverimusne, adhuc dubium est: poenas, igno'minias omnes iam patimur. Antea, Carthaginiensibus 'victis, Philippo, Antiocho superatis, quum Romam venis-

9 *Ex oratione*] Ita Gronovius pro vulg. *ratione*.

1 *Ante tempus intercedendo*] Exciderunt pauca, quae ad rem Rhodiorum, de quibus loquitur, pertinebant. Exciderunt etiam prima verba orationis Rhodiorum, quam pro se dixerunt in senatu. Huius autem orationis capita una cum sententiis quibusdam orationis eius quam dixit Cato pro Rhodiis, exstant apud A. Gell. vii. 3. Catonianae autem orationis post etiam meminit Livius. SIGON.

2 *Antonius tribunus*] cf. Polyb. xxx. 4.

3 *Peccaverimusne*] Exstat hic locus iisdem fere verbis in Dionys. Exc. Vat. xxxi. 4.

semus, ex publico hospitio in curiam gratulatum vobis, U. C. 585.
Patres conscripti, ex curia in Capitolium ad deos vestros A. C. 167.
dona ferentes; nunc ex sordido deversorio, vix mercede recepti, ac prope hostium more extra urbem manere iussi, in hoc squalore venimus in curiam Romanam Rhodii, quos provinciis nuper Lycia atque Caria, quos praemiis atque honoribus amplissimis donastis. Et Macedonas Illyriosque liberos esse, ut audimus, iubetis, quum servierint, antequam vobiscum bellarent: (nec cuiusquam fortunae invidemus, imo agnoscimus clementiam populi Romani) Rhodios, qui nihil aliud quam quieverunt hoc bello, 'hostes ex sociis facturi estis? Certe quidem vos estis 'Romani, qui ideo felicia bella vestra esse, quia iusta sint, 'prae vobis fertis; nec tam exitu eorum, quod vincatis, 'quam principiis, quod non sine causa suscipiatis, glori-'amini. Messana in Sicilia oppugnata Carthaginienses, 'Athenae oppugnatae et Graecia in servitutem petita, et 'adiutus Hannibal pecunia, auxiliis, Philippum hostem fe-'cerunt. Antiochus ipse, ultro ab Aetolis hostibus vestris 'arcessitus, ex Asia classe in Graeciam traiecit; Deme-'triade, et Chalcide, et saltu Thermopylarum occupato, de 'possessione imperii vos deiicere conatus. Cum Perseo 'socii vestri oppugnati, alii interfecti reguli principesque
5 'gentium aut populorum, causa belli vobis fuere. Quem 'tandem titulum nostra calamitas habitura est, si perituri
6 'sumus? Nondum segrego civitatis causam a Polyarato 'et Dinone, civibus nostris, et iis, quos, ut traderemus vo-'bis, adduximus. Si omnes Rhodii aeque noxii essemus, 'quod nostrum in hoc bello crimen esset? Persei partibus 'favimus; et, quemadmodum Antiochi Philippique bello 'pro vobis adversus reges, sic nunc pro rege adversus vos 'stetimus. Quemadmodum soleamus socios iuvare, et quam
7 'impigre capessere bella, C. Livium, L. Aemilium Regil-'lum interrogate, qui classibus vestris in Asia praefuerunt. 'Nunquam vestrae naves pugnavere sine nobis: nostra 'classe pugnavimus semel ad Samum, iterum in Pamphylia 'adversus Hannibalem imperatorem. Quae victoria nobis 'eo gloriosior est, quod, quum ad Samum magnam partem

4 *Dona ferentes*] *Deducebamur* intelligit Crevierius.

5 *Quem tandem titulum*] Quae tandem praetendi poterit causa sive culpa, a qua, si perituri sumus, calamitas nostra repetenda videbitur. cf. supr. xxxvii. 54. *quem titulum praetenderitis*. Dorr.

6 *Nondum segrego civitatis causam*] Nondum cupio omnem culpam a civitate ad Polycratum et Dinonem, principes civitatis, transferre. cf. supr. xlii. 23. et 29. Polyb. xxx. 8. et 9.

7 *C. Livium*] Perizonius incuriae nostrum arguere videtur, quod C. Livius iam mortuus fuerit. Sed Drakenborchius duos fuisse C. Livios Salinatores, quorum alter adhuc superstes fuerit, copiose ad hunc locum probat.

U. C. 585. 'navium adversa pugna et egregiam iuventutem amisse-
A. C. 167. 'mus, ne tanta quidem clade territi, iterum ausi sumus
'regiae classi ex Syria venienti obviam ire. Haec non
'gloriandi causa retuli, (neque enim ea nunc nostra est
'fortuna) sed ut admonerem, quemadmodum adiuvare so-
23. 'cios solerent Rhodii. Praemia, Philippo et Antiocho
'devictis, amplissima accepimus a vobis. Si, quae vestra
'nunc est fortuna deum benignitate et virtute vestra, ea
'Persei fuisset, et praemia petitum ad victorem regem re-
'nissemus in Macedoniam, quid tandem diceremus? Pecu-
'ninane a nobis adiutum, an frumento? auxiliis terrestribus,
'an navalibus? quod praesidium tenuisse nos? ubi pu-
'gnasse aut sub illius ducibus, aut per nos ipsos? Si quae-
'reret, ubi miles noster, ubi navis intra praesidia sua fuis-
'set; quid responderemus? Causam fortasse diceremus
'apud victorem, quemadmodum apud vos dicimus. Hoc
'enim legatos utroque de pace mittendo consecuti sumus,
'ut ne ab utraque parte gratiam iniremus; ab altera etiam
'crimen et periculum esset. Quanquam Perseus vere
'obiiceret, id quod vos non potestis, Patres conscripti, nos
'principio belli misisse ad vos legatos, qui pollicerentur
'vobis, quae ad bellum opus essent; navalibus, armis, in-
'ventute nostra, sicut prioribus bellis, ad omnia paratos
'fore. Ne praestaremus, per vos stetit, qui de quacunque
'causa tum aspernati nostra auxilia estis. Neque fecimus
'igitur quicquam tanquam hostes, neque bonorum sociorum
'defuimus officio; sed a vobis prohibiti praestare fuimus.
'Quid igitur? nihilne factum neque dictum est in civitate
'vestra, Rhodii, quod nolletis, quo merito offenderetur
'populus Romanus? Hic iam non, quod factum est, de-
'fensurus sum, (non adeo insanio) sed publicam causam a
'privatorum culpa segregaturus. Nulla enim est civitas,
'quae non et improbos cives aliquando, et imperitam mul-
'titudinem semper habeat. Etiam apud vos fuisse audivi,
'qui assentando multitudini grassarentur: et secessisse ali-
'quando a vobis plebem, nec in potestate vestra rempubli-
'cam fuisse. Si hoc in hac tam bene morata civitate acci-
'dere potuit, mirari quisquam potest, aliquos fuisse apud
'nos, qui, regis amicitiam petentes, plebem nostram consi-
'liis depravarent? qui tamen nihil ultra valuerunt, quam
'ut in officio cessaremus. Non utique praeteribo id, quod
'gravissimum est in hoc bello crimen civitatis nostrae.

8 *Ut ne ab utraque parte*] Gronovius *ut ab neutra parte* legendum censet, ut legatus Rhodius dicat, cives suos neque a Romanis neque a Perseo gratiam inisse. *Ne ab utra quidem parte* Bekker. reposuit.

9 *Navalibus, armis*] Gronovius *navibus* pro *navalibus* reponit, quem secutus est Bekker. Fieri potest ut *navalia* Rhodiorum, in quibus Romanae naves reficerentur, hic intelligantur.

'Legatos eodem tempore et ad vos, et ad Persea de pace U. C. 585.
'misimus: quod infelix consilium furiosus, ut postea au- A. C. 167.
'divimus, orator stultissimum fecit: quem sic locutum con-
'stat, tanquam C. Popillius legatus Romanus, quem ad
'summovendos a bello Antiochum et Ptolemaeum reges
'misistis, loqueretur. Sed tamen ea, sive superbia sive
'stultitia appellanda est, eadem, quae apud vos, et apud
'Persea fuit. Tam civitatium, quam singulorum hominum
'mores sunt: gentes quoque aliae iracundae, aliae audaces,
'quaedam timidae: in vinum, in Venerem proniores aliae
'sunt. Atheniensium populum fama est celerem et supra
'vires audacem esse ad conandum: Lacedaemoniorum
'cunctatorem, et vix in ea, quibus fidit, ingredientem. Non
'negaverim, et totam Asiae regionem inaniora parere in-
'genia, et nostrorum tumidiorem sermonem esse, quod ex-
'cellere inter finitimas civitates videamur; et id ipsum non
'tam viribus nostris, quam vestris honoribus ac iudiciis.
'Satis quidem et tunc in praesentia castigata illa legatio
'erat, cum tam tristi responso vestro dimissa. Si tum pa-
'rum ignominiae pensum est, haec certe tam miserabilis ac
'supplex legatio etiam insolentioris, quam illa fuit, lega-
'tionis satis magnum piaculum esset. Superbiam, verbo-
'rum praesertim, iracundi oderunt, prudentes irrident; uti-
'que si inferioris adversus superiorem est: capitali poena
1 'nemo unquam dignam iudicavit. Id enimvero periculum
'erat, ne Romanos Rhodii contemnerent. Etiam deos
'aliqui verbis ferocioribus increpant, nec ob id quemquam
'fulmine ictum audimus. Quid igitur superat, quod pur- 24.
'gemus, si nec factum hostile ullum nostrum est, et verba
'tumidiora legati offensione aurium non perniciem civitatis
2 3 'meruerunt? Voluntatis nostrae tacitae velut litem aesti-
'mari vestris inter vos sermonibus audio, Patres conscripti:
'favisse nos regi, et illum vincere maluisse; ideo bello per-
'sequendos esse credunt. Alii vestrum, voluisse quidem
'nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse: neque
'moribus, neque legibus ullius civitatis ita comparatum
4 'esse, ut, si qui vellet inimicum perire, si nihil fecerit, quo
'id fiat, capitis damnetur. His, qui nos poena, non cri-

1 *Id enimvero periculum erat*] Haec ironice dicta sunt. RASCH.

2 *Voluntatis nostrae tacitae*] Occultae voluntatis nostrae; nam non apertis verbis Rhodii declaraverant, Perseo se favere. PERIZON.

3 *Velut litem aestimari*] Expendere quam mulctam poenamve voluntas mala mereatur. cf. supr. xxxviii. 55.

4 *Si qui vellet*] *Si quis* vulgo legitur. Utra lectio hoc loco praeferenda sit, Drakenborchius pro certo affirmare se non audere dicit, licet Burmanno ad Phaedr. i. 13. 6. assentiatur, "veteres certos fuisse elegantiae suae, et ubi *qui*, ubi *quis* praestaret, usu fuisse doctos, licet nos saepe in his fluctuemus." cf. supr. xxix. 21. *si qui Pleminium*.

U. C. 585. A. C. 167. 'mine, liberant, gratiam quidem habemus: ipsi nobis hanc
'dicimus legem: si omnes voluimus, quod arguimur, non
'distinguimus voluntatem a facto: omnes plectamur. Si
'alii principum nostrorum vobis, alii regi faverunt; non
'postulo, ut propter nos, qui partium vestrarum fuimus,
'regis fautores salvi sint: illud deprecor, ne nos propter
'illos pereamus. Non estis vos illis infestiores, quam civi-
'tas ipsa; et hoc qui sciebant, plerique eorum aut profu- 5
'gerunt, aut mortem sibi consciverunt: alii, damnati a
'nobis, in potestate vestra erunt, Patres conscripti. Ceteri
'Rhodii, sicut gratiam nullam meriti hoc bello, ita ne poe-
'nam quidem sumus. Priorum nostrorum benefactorum
'cumulus hoc, quod nunc cessatum in officio est, expleat.
'Cum tribus regibus gessistis bella per hos annos. Ne
'plus obsit nobis, quod uno bello cessavimus, quam quod 6
'duobus bellis pro vobis pugnavimus. Philippum, Antio-
'chum, Persea, tanquam tres sententias, ponite. Duae nos
'absolvunt: una autem dubia est, ut gravior sit. Illi de 7 8
'nobis si iudicarent, damnati essemus. Vos iudicate, Pa-
'tres conscripti, sit Rhodus in terris, an funditus deleatur.
'Non enim de bello deliberatis, Patres conscripti, quod in-
'ferre potestis, gerere non potestis; quum nemo Rhodio-
'rum arma adversus vos laturus sit. Si perseverabitis in
'ira, tempus a vobis petemus, quo hanc funestam legatio-
'nem domum referamus: omnia libera capita, quicquid
'Rhodiorum virorum, feminarum est, cum omni pecunia
'nostra naves conscendemus: ac, relictis penatibus publicis
'privatisque, Romam veniemus: et, omni auro et argento,
'quicquid publici, quicquid privati est, in comitio, in vesti-
'bulo curiae vestrae, cumulato, corpora nostra coniugumque
'ac liberorum vestrae potestati permittemus, hic passuri,
'quodcunque patiendum erit. Procul ab oculis nostris urbs
'nostra diripiatur, incendatur. Hostes Rhodios esse, Ro-
'mani iudicare possunt: est tamen et nostrum aliquod de
'nobis iudicium, quo nunquam iudicabimus nos vestros 9
'hostes: nec quicquam hostile, etiam si omnia patiemur,
'faciemus.'

5 *Et hoc qui sciebant*] *Quia* auctore Perizonio reposuit Bekker.

6 *Quam quod*] Una vox excidisse, ac legendum videtur, *quam prosit, quod duobus bellis.* Idem etiam Crevierio in mentem venit. DRAK.

7 *Una autem dubia est*] *Autem* addidit Kreyssigius. Hunc locum ita vertit Crevier. *Una* sententia, inquiunt Rhodii, *ut gravior sit*, id est, etiamsi severior, durior sit, *dubia est.* Gronovius voces *tantum abest* excidisse censet, ita ut *una dubia est, tantum abest, ut gravior sit* legat. Haud scio an, si forte locus mancus sit, reponendum suadeam *una autem dubia est, utrum gravior sit*, vocula *necne* subaudita.

8 *Illi*] Hanc vocem ad Philippum, Antiochum, atque etiam Persea, Crevierius referendam existimat, Doeringius ad Philippum et Antiochum.

9 *Quo nunquam iudicabimus*] *Quod nunquam* tuetur Bekker. Nostra lectio Gronovio debetur.

Secundum talem orationem universi rursus prociderunt, ramosque oleae supplices iactantes, tandem excitati, curia excesserunt. Tunc sententiae interrogari coeptae. Infestissimi Rhodiis erant, qui consules praetoresve aut legati gesserant in Macedonia bellum. Plurimum causam eorum adiuvit M. Porcius Cato; qui, asper ingenio, tum lenem mitemque senatorem egit. Non inseram simulacrum viri copiosi, quae dixerit, referendo: ipsius oratio scripta exstat, Originum quinto libro inclusa. Rhodiis responsum ita redditum est, ut nec hostes fierent, nec socii permanerent. Philocrates et Astymedes principes legationis erant. Partem cum Philocrate renuntiare Rhodum legationem placuit, partem cum Astymede Romae subsistere, quae, quae agerentur, sciret, certioresque suos faceret. In praesentia praesidia deducere ante certam diem ex Lycia Cariaque iusserunt praefectos. Haec Rhodum nuntiata. Quae per se tristia fuissent, quia maioris mali levatus erat timor, quum bellum timuissent, in gaudium renuntiata verterunt. Itaque extemplo coronam viginti millium aureorum decreverunt: Theaetetum, praefectum classis, in eam legationem miserunt. Societatem ab Romanis ita volebant peti, ut nullum de ea re scitum populi fieret aut literis mandaretur: quod, nisi impetrarent, maior a repulsa ignominia esset. Praefecti classis id unius erat ius, ut agere de ea re sine rogatione ulla perlata posset. Nam ita per tot annos in amicitia fuerant, ut sociali foedere se cum Romanis non illigarent ob nullam aliam causam, quam ne spem regibus absciderent auxilii sui, si quid opus esset,

U. C. 585. A. C. 167. 25.

Rhodiis anceps responsum datum.

Rhodii societatem a Rom. petunt.

1 *Secundum talem orationem*] Longe diversam habuit orationem Astymedes, quam edidisse eum in vulgus tradit Polybius, Leg. xxx. 4. qui et hoc gravissime reprehendit, quod Rhodius orator ita suos liberare culpa conaretur, ut Graecos ceteros accusaret. Crev.

2 *Non inseram*] Non inseram hoc loco imaginem adumbratam eloquentiae Catonis, scribendo orationem tanquam ab illo habitam. Crev.

3 *Ipsius oratio scripta exstat*] Eius orationis multa capita refert, et defendit adversus Tironem A. Gellius vii. 3. Crev.

4 *Philocrates et Astymedes principes legationis*] Duplicem legationem a Rhodiis missam esse docet Polybius ibid. quarum alterius Philocrates, alterius Astymedes princeps erat. Crev.

5 *Quae, quae agerentur ... faceret*] Ita Sigonius emendavit quum in vulg. edd. prior *quae* exsularet. *Ut, quae* Clericus; *qui, quae ... facerent* Gronovius reponendum suadet, quem auctorem secutus est Bekker.

6 *Iusserunt*] Patres Romani.

7 *Viginti millium*] Ἀπὸ μυρίων χρυσῶν Polyb. xxx. 5. exhibet.

8 *Theaetetum*] Haec emendatio pro vulg. *Theodotum*, ex Polybio est.

9 *Ut nullum de ea re scitum populi*] sc. Rhodii. δίχα τοῦ ψηφίσματος καὶ πρεσβείας Polyb. xxx. 5. scribit.

1 *Quod, nisi impetrarent*] Quia, si non impetrarent, postquam populus et universa civitas id postulandum decresset, maior ignominia futura erat repulsis, quam si praefectus classis id quasi suo nomine petere videretur. Crev.

2 *Si quid opus esset*] *Si cui* vulgo legitur. *Si quo* Bekkerus reposuit. Verum operae est pretium, Rhodio-

U. C. 585. A. C. 167. neu sibi ipsis fructus ex benignitate et fortuna eorum percipiendi. Tunc utique petenda societas videbatur; non quae tutiores eos ab aliis faceret, (nec enim timebant quemquam, praeter Romanos) sed quae ipsis Romanis minus suspectos. Sub idem fere tempus et Caunii descivere ab his, et Mylasenses Euromensium oppida occuparunt. Non ita fracti animi civitatis erant, ut non sentirent, si Lycia et Caria ademptae ab Romanis forent, cetera aut se ipsa per defectionem liberarent, aut a finitimis occuparentur, includi se insulae parvae et sterilis agri litoribus, quae nequaquam alere tantae urbis populum posset. Missa igitur iuventute, propere et Caunios, quanquam Cibyratarum asciverant auxilia, coegerunt imperio parere; et Mylasenses Alabandenosque, qui, Euromensium provincia adempta, ad ipsos coniuncto exercitu venerunt, circa Orthosiam acie vicerunt.

26. Anicii res gestae in Epiro.

Dum haec ibi, alia in Macedonia, alia Romae geruntur; interim in Illyrico L. Anicius rege Gentio, sicut ante dictum est, in potestatem redacto, Scodrae, quae regia fuerat, praesidio imposito Gabinium praefecit, Rhizoni et Olcinio urbibus opportunis C. Licinium. Praepositis his Illyrico, cum reliquo exercitu in Epirum est profectus: ubi prima Phanota ei dedita, tota multitudine cum infulis obviam 3 effusa. Hinc, praesidio imposito, in Molossidem trans- 4 gressus: cuius omnibus oppidis, praeter Passaronem, et Tecmonem, et Phylacen, et Horreum, receptis, primum ad Passaronem ducit. Antinous et Theodotus principes eius civitatis erant, insignes et favore Persei, et odio adversus Romanos: iidem universae genti auctores desciscendi ab Romanis. Hi conscientia privatae noxae, quia ipsis nulla spes veniae erat, ut communi ruina patriae opprimerentur, clauserunt portas, multitudinem, ut mortem servituti praeponerent, hortantes. Nemo adversus praepotentes viros hiscere audebat. Tandem Theodotus quidam, nobilis et ipse adolescens, quum maior a Romanis metus timorem a principibus suis vicisset, 'Quae vos rabies,' inquit, 'agitat, 'qui duorum hominum noxae civitatem accessionem faci- 5 'tis? Equidem pro patria qui letum oppetissent, saepe 'fando audivi: qui patriam pro se perire aequum censere- 'rent, hi primi inventi sunt. Quin aperimus portas, et 'imperium accipimus, quod orbis terrarum accepit?' Haec

rum rationem in societate cum alio quovis populo non ineunda, cum simili Corcyraeorum consilio comparare, ut apud Thucyd. i. 32. exstat.

3 *Phanota*] Scribitur *Phanotia* apud Polyb. in Exc. Vat. xxx. 1.

4 *Hinc, praesidio*] *Hinc* Dukerus pro vulg. *hic* emendavit.

5 *Civitatem*] Ita quoque Bekkerus, Gronovium auctorem secutus, qui vulg. *civitatis* inelegantius poni censuit.

dicentem quum multitudo sequeretur, Antinous et Theo- U. C. 585.
6 dotus in primam stationem hostium irruperunt, atque ibi, A. C. 167.
offerentes se ipsi vulneribus, interfecti: urbs dedita est
7 Romanis. Simili pertinacia Cephali principis clausum Tecmonem, ipso interfecto, per deditionem recepit. Nec Phylace, nec Horreum, oppugnationem tulerunt. Pacata Epiro, divisisque in hiberna copiis per opportunas urbes, regressus ipse in Illyricum, Scodrae, quo quinque legati ab Roma venerant, evocatis ex tota provincia principibus, conventum habuit. Ibi pro tribunali pronuntiavit de sententia consilii: 'Senatum populumque Romanum Illyrios esse 'liberos iubere: praesidia ex omnibus oppidis, arcibus, et 'castellis sese deducturum. Non solum liberos, sed etiam
8 'immunes fore Issenses, et Taulantios, Dassaretiorum Pi-
9 'rustas, Rhizonitas, Olciniatas, quod, incolumi Gentio, ad 'Romanos defecissent. Daorseis quoque immunitatem 'dare, quod, relicto Caravantio, cum armis ad Romanos 'transissent. Scodrensibus, et Dassarensibus, et Selepi-
1 'tanis, ceterisque Illyriis, vectigal dimidium eius imposi-'tum, quod regi pependissent.' Inde in tres partes Illyri-
2 cum divisit. Unam eam fecit, quae supra dicta est; alte-
3 ram Labeatas omnes; tertiam Agravonitas, et Rhizonitas, et Olciniatas, accolasque eorum. Hac formula dicta in Illyrico, ipse in Epiri Passaronem in hiberna rediit.

Decretum de Illyriis.

27. Dum haec in Illyrico geruntur, Paullus ante adventum decem legatorum Q. Maximum filium, iam ab Roma regressum, ad Aeginium et Agassas diripiendas mittit: Agassas, quod, quum Marcio consuli tradidissent urbem, petita ultro societate Romana, defecerant rursus ad Persea:
4 Aeginiensium novum crimen erat. Famae de victoria Romanorum fidem non habentes, in quosdam militum, urbem ingressos, hostiliter saevierant. Ad Aeniorum quoque urbem diripiendam L. Postumium misit, quod pertinacius,

Macedoniae tres urbes direptae a Rom.

6 *Irruperunt*] *Eruperunt* ex auctoritate Perizonii reposuit Bekker.

7 *Cephali principis*] Sic nomen huius insignis viri edunt et Polybius xxvii. 13. et ipse Livius supr. xliii. 18. Vulgati hic habent *Cephalonis*. cf. supr. xliii. 18.

8 *Pirustas*] Sic legi iussit Sigonius ex Ptolemaeo et Strabone. Antea *Tirustas*.

9 *Incolumi Gentio*] Nondum in potestatem Romanorum redacto.

1 *Impositum*] Hanc vocem Muretus addidit.

2 *Unam eam fecit, quae supra dicta est*] Ubinam? Vel hic aliqua intercidunt, vel rem non parum sane fastidiosam indiligentius transcurrit Livius. Ut ut sit, certe haud facile definiri potest ex antecedentibus, quos populos habuerit prima haec Illyrici para. Crev.

3 *Agravonitas*] Fortasse *Ascrivionitas*. Ascrivium urbs est Dalmatiae, memorata Plinio et Ptolemaeo. Douiat. Sed ab *Ascrivio* urbe non bene formaretur nomen gentilitium *Ascrivionitae*. Liceat aliqua ignorare. Crev. *Agranonitas* reposuit Bekker.

4 *Aeginiensium*] Non satis apte cohaeret oratio, sed eiusmodi negligentia apud optimos scriptores saepius obvia est.

U. C. 585. A. C. 167. Paullus Graeciam peragrat.

quam finitimae civitates, in armis fuerant. Auctumni fere tempus erat; cuius temporis initio circumeundam Graeciam, visendaque, quae nobilitata fama maiora auribus accepta sunt, quam oculis noscuntur, ut statuit, praeposita castris C. Sulpicio Gallo, profectus cum haud magno comitatu, tegentibus latera Scipione filio et Athenaeo Eumenis regis fratre, per Thessaliam Delphos petit, inclutum oraculum: ubi, sacrificio Apollini facto, inchoatas in vestibulo columnas, quibus imposituri statuas regis Persei fuerant, suis statuis victor destinavit. Lebadiae quoque templum Iovis Trophonii adiit. Ubi quum vidisset os specus, per quod oraculo utentes sciscitatum deos descendunt, sacrificio Iovi Hercynaeque facto, quorum ibi templum est, Chalcidem ad spectaculum Euripi Euboeaeque insulae, ponte continenti iunctae, descendit. A Chalcide Aulidem rate traiicit, trium millium spatio distantem, portum inclutum statione quondam mille navium Agamemnoniae classis, Dianaeque templo, ubi navibus cursum ad Troiam, filia victima aris admota, rex ille regum petiit. Inde Oropum Atticae ventum est; ubi pro deo vates antiquus colitur, templumque vetustum est, fontibus rivisque circa amoenum. Athenas inde, plenas quidem et ipsas vetustate famae, multa tamen visenda habentes: arcem, portus, muros Piraeeum urbi iungentes, navalia magnorum imperatorum, simulacra deorum hominumque, omni genere et materiae
28. et artium insignia. Sacrificio Minervae praesidi arcis in urbe facto profectus, Corinthum altero die pervenit. Urbs erat tunc praeclara ante excidium, arx quoque et Isthmus praebuere spectaculum: arx intra moenia in immanem altitudinem edita, scatens fontibus: Isthmus duo maria, ab

5 *Quae nobilitata ... oculis noscuntur*] Quae vulgo plerique auribus accipere satis habent, nec curant etiam oculis noscere.

6 *Iovis Trophonii*] De Trophonii oraculo, et de Hercyna virgine, Proserpinae comite, cf. Pausan. ix. 39.

7 *Vates antiquus*] *Vates Amphiaraus* Bekker. *Vates Amphilochus*, qui Amphiarai filius erat, Douiatius et Crevierius reposuerunt.

8 *Plenas quidem et ipsas vetustate famae, multa tamen*] Plenas quidem monumentis vetustatis, quae nihil aliud insigne habeant, quam quod repraesentant heroicorum temporum memoriam; multa tamen habentes, quae per se ipsa, et ob structurae magnificentiam, aut excellentiam artificii, visenda sint. Crev.

9 *Portus*] In Piraeeo solo tres erant portus. Praeterea et duos alios ad Munychiam et ad Phalerum portus habebant Athenienses. cf. Pausan. Att. initio. Crev.

1 *Navalia magnorum imperatorum*] Navalia non sunt imperatorum, sed populi. Videtur excidisse aliqua vox, puta *monumenta*, aut alia non absimilis sensus. Sic igitur legendum et distinguendum erit: *navalia, magnorum imperatorum monumenta, simulacra deorum hominumque*. Crev.

2 *Ante excidium*] Corinthus excisa est a Nummio, altero et vicesimo post hunc anno. Crev.

3 *Arx intra moenia*] Ita emendavit Gronovius pro *inter omnia*. Docet enim Strabo viii. p. 379. Acro-Corinthum communi cum urbe muro cinctam fuisse. Crev.

occasu et ortu solis finitima, artis faucibus dirimens. Sicyonem inde et Argos nobiles urbes adit: inde haud parem opibus Epidaurum, sed inclutam Aesculapii nobili templo; quod, quinque millibus passuum ab urbe distans, nunc vestigiis revulsorum donorum, tum donis dives erat, quae remediorum salutarium aegri mercedem sacraverant deo. Inde Lacedaemonem adit, non operum magnificentia, sed
4 disciplina institutisque memorabilem, ac Pallantium: unde per Megalopolim Olympiam escendit; ubi et alia quidem
5 spectanda visa, et, Iovem velut praesentem intuens, motus animo est. Itaque, haud secus quam si in Capitolio immolaturus esset, sacrificium amplius solito apparari iussit. Ita peragrata Graecia, ut nihil eorum, quae quisque Persei bello privatim aut publice sensisset, inquireret, ne cuius
6 metu sollicitaret animos sociorum, Demetriadem quum revertitur, in itinere sordidata turba Aetolorum occurrit; mirantique et percunctanti, quid esset, defertur, quingentos quinquaginta principes ab Lycisco et Tisippo, circumsesso senatu per milites Romanos, missos a Baebio praefecto praesidii, interfectos; alios in exsilium actos esse: bonaque
7 eorum, qui interfecti essent, et exsulum possidere, qui
8 arguebant. Iussis Amphipoli adesse, ipse, convento Cn. Octavio Demetriade, postquam fama accidit, traiecisse iam mare decem legatos, omnibus aliis omissis, Apolloniam ad eos pergit. Quo quum Perseus obviam Amphipoli nimis soluta custodia processisset, (id diei iter est) ipsum quidem benigne allocutus est: ceterum, postquam in castra ad Amphipolim venit, graviter increpuisse traditur C. Sulpicium: primum, quod Persea tam procul a se vagari per provinciam passus esset: deinde, quod adeo indulsisset militibus, ut nudare tegulis muros urbis ad tegenda hibernacula sua
9 pateretur: referrique tegulas et resarciri tecta, sicut fuerant, iussit. Et Persea quidem cum maiore filio Philippo, traditos A. Postumio, in custodiam misit: filiam cum minore filio, a Samothrace accitos Amphipolim, omni liberali cultu habuit. Ipse, ubi dies venit, quo adesse Amphipoli denos principes civitatium iusserat, literasque omnes, quae ubique depositae essent, et pecuniam regiam conferri, cum decem legatis, circumfusa omni multitudine Macedonum, in tribunali consedit. Assuetis regio imperio tamen novum

U. C. 585. A. C. 167.

Redit Paullus in Macedoniam.

29. Amphipoli res Macedoniae componit.

4 *Ac Pallantium*] Has voces addidit Kreyssigius, probante Crevierio.

5 *Motus animo est*] Plutarchus refert memorabile Aemilii dictum: Phidias Iovis, inquit, affinxisse videtur eum Iovem, quem cecinit Homerus. Crev.

6 *Quum revertitur*] Ita Drakenborchius coniecit pro vulg. *revertit*, pro quo *revertisset* Gronovius legendum existimat.

7 *Possidere*] sc. Eos, qui arguebant.

8 *Iussis Amphipoli*] sc. Iis qui arguebantur. Verum *Amphipoli* Dukerus suasit pro vulg. *Amphipolim*.

9 *Tecta*] cf. Supr. xxv. 25.

U. C. 585. A. C. 167. formam terribilem praebuit tribunal, summoto aditus, praeco, accensus, insueta omnia oculis auribusque; quae vel socios, nedum hostes victos, terrere possent. Silentio per praeconem facto, Paullus Latine, quae senatui, quae sibi ex consilii sententia visa essent, pronuntiavit, ea Cn. Octavius praetor (nam et ipse aderat) interpretata sermone Graeco referebat. 'Omnium primum liberos esse iubere 'Macedonas, habentes urbes easdem agrosque, utentes le-'gibus suis, annuos creantes magistratus: tributum dimi-'dium eius, quod pependissent regibus, pendere populo 'Romano. Deinde in quattuor regiones dividi Macedo-'niam. Unam fore et primam partem, quod agri inter 'Strymonem et Nessum amnem sit: accessurum huic parti 'trans Nessum, ad orientem versum, qua Perseus tenuisset: 'vicos, castella, oppida, praeter Aenum, et Maroneam, et 'Abdera; trans Strymonem autem vergentia ad occasum, 'Bisalticam omnem cum Heraclea, quam Sinticen appel-'lant. Secundam fore regionem, quam ab ortu Strymo 'amplecteretur amnis, praeter Sinticen Heracleam et Bi-'saltas: ab occasu qua Axius terminaret fluvius, additis 'Paeonibus, qui prope Axium flumen ad regionem orientis 'colerent. Tertia pars facta, quam Axius ab oriente, Pe-'neus amnis ab occasu, cingunt: ad septentrionem Bora 'mons obiicitur. Adiecta huic parti regio Paeoniae, qua 'ab occasu praeter Axium amnem porrigitur: Edessa quo-'que et Beroea eodem concesserunt. Quarta regio trans 'Boram montem, una parte confinis Illyrico, altera Epiro. 'Capita regionum, ubi concilia fierent, primae regionis Am-'phipolim, secundae Thessalonicen, tertiae Pellam, quartae 'Pelagoniam fecit. Eo concilia suae cuiusque regionis in-'dici, pecuniam conferri, ibi magistratus creari iussit.' Pronuntiavit deinde, 'neque connubium, neque commercium 'agrorum aedificiorumque inter se placere cuiquam extra 'fines regionis suae esse. Metalla quoque auri atque ar-'genti non exerceri: ferri et aeris permitti.' Vectigal ex-

Decretum de Macedonibus.

9 *Summoto aditus*] Crevier. et Gronov. *summotor aditûs*, i. e. lictor qui summoveret obvios, scribunt. Bekkerus cum Kreyssigio *summoto aditus* i. e. *aditus* ad praetorem datus, *summoto* populo, quum *summoto* hoc sensu saepius adhibeatur. cf. supr. xxviii. 27. *Summoto inceperunt.* Verum Harduinus ad Plin. H. N. viii. 46. *summotu*, i. e. lictorum, mavult.

1 *Nedum hostes*] *Nedum* hoc loco pro *non solum* poni observat Crevierius et illustrat locis Cic. ad Att. x. 16. et rursus Ep. Balb. et Opp. apud Cic. ad Att. ix. 7. *nedum hominum humilium.*

2 *Ad orientem versum*] sc. *Agrum*, quae vox modo praecesset et inde commode hic repeti potest. Drak.

3 *Suae cuiusque regioni*] *Sua* auctore Gronovio reposuit Bekker. cf. supr. iii. 22. xxv. 17.

4 *Neque connubium neque commercium*] Iam olim similis lex a Romanis dicta Latinis et Hernicis erat, supr. viii. 14. ix. 43. Quippe ea ratione Romani rempublicam Macedonicam dissociabant, et quattuor populos ex uno efficiebant.

ercentibus dimidium eius impositum, quod pependissent U. C. 585.
regi. Et sale invecto uti vetuit. Dardanis repetentibus A. C. 167.
Paeoniam, quod et sua fuisset, et continens esset finibus suis, 'Omnibus dare libertatem' pronuntiavit, 'qui sub 'regno Persei fuissent.' Post non impetratam Paeoniam,
5 salis commercium dedit: tertiae regioni imperavit, ut Stobos Paeoniae deveherent, pretiumque statuit. Navalem materiam et ipsos caedere, et alios pati vetuit. Regionibus, quae affines barbaris essent, (excepta autem tertia, omnes erant) permisit, ut praesidia armata in finibus extremis haberent.

Haec, pronuntiata primo die conventus, varie affecerunt 30.
animos. Libertas praeter spem data arrexit, et levatum annuum vectigal. Regionatim commercia interruptis ita
6 videri lacerata, tanquam animalia in artus, alterum alterius indigentes, distracta: adeo, quanta Macedonia esset, quam Partes Macedoniae quattuor.
7 divisui facilis, et ut se ipsa quaeque contenta pars esset,
8 Macedones quoque ignorabant. Pars prima Bisaltas habet, fortissimos viros, (trans Nessum amnem incolunt et
9 circa Strymonem) et multas frugum proprietates, et metalla, et opportunitatem Amphipolis: quae obiecta claudit omnes ab oriente sole in Macedoniam aditus. Secunda pars celeberrimas urbes, Thessalonicen et Cassandream, habet; ad hoc Pallenen, fertilem ac frugiferam terram: maritimas quoque opportunitates ei praebent portus ad
1 Toronen ac montem Atho, (Aeneae vocant hunc) alii ad insulam Euboeam, alii ad Hellespontum opportune versi. Tertia regio nobiles urbes, Edessam et Beroeam et Pellam, habet, et Vettiorum bellicosam gentem: incolas quoque permultos Gallos et Illyrios, impigros cultores. Quartam regionem Eordaei et Lyncestae et Pelagones incolunt:
3 iuncta his Atintania, et Stymphalis, et Elimiotis. Frigida

5 *Salis commercium dedit*] Permisit Dardanis salem ex Macedonia mercari: quem ut facilius Dardani habere possent, imperavit tertiae regioni, ubi nimirum maxima salis copia erat, ut Stobos deveherent, quod oppidum haud procul aberat a Dardanorum finibus. Crev.

6 *Lacerata*] sc. *Macedonia*, quod vocabulum ex sequenti membro hic subintelligendum monet Gronovius.

7 *Divisui facilis*] Fortasse scripsit Livius *divisu*. Sed tamen tam videtur dici posse regio *divisui facilis*, quam *cibus facillimus ad concoquendum*, quomodo locutus est Cicero, de Fin. ii. 20. Crev.

8 *Ut se ipsa quaeque contenta pars esset*] Quam sibi ipsa quaeque pars sufficeret.

9 *Trans Nessum*] Praepositio *trans* hoc loco difficultatem pluribus viris doctis movet, quoniam *citra* potius requirimus, quum in cap. praec. Bisaltica regio inter Nessum et Strymonem fuisse dicta sit. Drakenborchio autem videtur, Bisaltas fuisse gentem longe ac late patentem, et habitasse ad dextram ripam Strymonis in Macedonia, deinde trans Strymonem inter eum fluvium et Nessum, et denique pertinuisse ultra Nessum ad ripam eius sinistram in Thracia.

1 *Metalla*] cf. Boeckh. Staatshaushaltung der Athener ii. § 5.

2 *Aeneae*] sc. Portum.

3 *Et Stymphalis*] *Stymphaeis* Palmer. in Graec. Ant. ii. 9. et Cellarius

U. C. 585. A. C. 167. haec omnis, duraque cultu, et aspera plaga est: cultorum quoque ingenia terrae similia habet. Ferociores eos et accolae barbari faciunt; nunc bello exercentes, nunc in pace miscentes ritus suos. Divisae itaque Macedoniae, partium usibus separatis, quanta universos teneat Macedo- 4 nas, formula dicta, quum leges quoque se daturum ostendisset.

31. Iudicium de Aetolis. Aetoli deinde citati: in qua cognitione magis, utra pars Romanis, utra regi favisset, quaesitum est, quam utri fecissent iniuriam, aut accepissent. Noxa liberati interfectores: exsilium pulsis aeque ratum fuit, ac mors interfectis. A. Baebius unus est damnatus, quod milites Romanos praebuisset ad ministerium caedis. Hic eventus Aetolorum causae in omnibus Graeciae gentibus populisque eorum, qui partis Romanorum fuerant, inflavit ad intolerabilem superbiam animos; et obnoxios pedibus eorum subiecit, quos aliqua parte suspicio favoris in regem contigerat. Tria genera principum in civitatibus erant: duo, quae adulando aut Romanorum imperium, aut amicitiam regum, sibi privatim opes oppressis faciebant civitatibus: medium 5 unum, utrique generi adversum, libertatem et leges tuebatur. His ut maior apud suos caritas, ita minor ad externos gratia erat. Secundis rebus elati Romanorum partis eius fautores, soli tum in magistratibus, soli in legationibus erant. Hi quum frequentes et ex Peloponneso, et ex Boeotia, et ex Graeciae conciliis adessent, implevere aures decem legatorum: 'Non eos tantum, qui se propalam per 'vanitatem iactassent, tanquam hospites et amicos Persei, 'sed multo plures alios ex occulto favisse: reliquos per 'speciem tuendae libertatis in conciliis adversus Romanos 'omnia instruxisse: nec aliter eas mansuras in fide gentes, 'nisi, fractis animis partium, aleretur confirmareturque 'auctoritas eorum, qui nihil praeter imperium Romanorum 'spectarent.' Ab his editis nominibus, evocati literis im- 6 peratoris ex Aetolia, Acarnaniaque, et Epiro, et Boeotia,

Assentatorum Romanae potentiae superbia.

Inquisitiones in eos qui faverant Perseo.

Geograph. Ant. ii. 13. legendum suadent, at vulgatum tueri videtur Gronovius, qui supr. xxxii. 13. pro *est in Triphyllia terrae Melotidis*, fortassis *est Stymphaliam inter et Elimiotiden* reponendum suspicatur.

4 *Quanta universos teneat*] *Quae antea universos tenuit*, reposuit Bekker. *Quae universos teneret* Gronovius emendat. Ceterum vox *formula* de iure et ditione, supr. xxvi. 24. xxxviii. 9. et de divisione terrarum, supr. 26, necnon de cognitione supr. xi. 12. dicitur. Hoc loco significari videtur formula, ex qua res controversae disceptari et iudicari deberent, atque ad quam astricti sint iudices, donec leges ab Aemilio datae fuerint, id quod infr. 32. narratur. Pro voce *dicta* Walchius *abolita* legendum censet, *interdicta* Heusingerus.

5 *Sibi privatim opes*] Sibi potentiam et auctoritatem parabant. Doer.

6 *Literis imperatoris*] Has literas invitus dedit Aemilius, ut discimus ex Polybio, xxx. 10. qui testatur ei nullo modo placuisse calumnias illas assentatorum Romanae potentiae, idque eum rebus ipsis satis significasse affirmat. Crev.

qui Romam ad causam dicendam sequerentur: in Achaiam ex decem legatorum numero profecti duo, C. Claudius et Cn. Domitius, ut ipsi edicto evocarent. Id duabus de causis factum: una, quod fiduciae plus animorumque esse Achaeis ad non parendum credebant, et forsitan etiam in periculo fore Callicratem et ceteros criminum auctores delatoresque: altera, cur praesentes evocarent, causa erat, quod ex aliis gentibus principum literas deprensas in commentariis regiis habebant: in Achaeis caecum erat crimen, nullis eorum literis inventis. U. C. 585. A. C. 167.

Aetolis dimissis, Acarnanum citata gens. In his nihil novatum, nisi quod Leucas exempta est Acarnanum concilio. Quaerendo deinde latius, qui publice aut privatim partium regis fuissent, in Asiam quoque cognitionem extendere: et ad Antissam in Lesbo insula diruendam, traducendos Methymnam Antissaeos, Labeonem miserunt; quod Antenorem, regium praefectum, quo tempore cum lembis circa Lesbum est vagatus, portu receptum commeatibus iuvissent. Duo securi percussi insignes; Andronicus Andronici filius Aetolus, quod, patrem secutus, arma contra populum Romanum tulisset: et Neo Thebanus, quo
7 auctore societatem cum Persea iunxerant.

His rerum externarum cognitionibus interpositis, Macedonum rursus advocatum concilium. Pronuntiatum, 32.
8 'Quod ad statum Macedoniae pertinebat, senatores, quos 'Synedros vocant, legendos esse, quorum consilio respublica 'administraretur.' Nomina deinde sunt recitata principum Macedonum, quos cum liberis, maioribus quam quindecim annos natis, praecedere in Italiam placeret. Id, prima specie saevum, mox apparuit multitudini Macedonum pro libertate sua esse factum. Nominati sunt enim regis amici
9 purpuratique, duces exercituum, praefecti navium aut praesidiorum; servire regi humiliter, aliis superbe imperare assueti: praedivites alii, alii, quos fortuna non aequarent, his sumptibus pares: regius omnibus victus vestitusque:
1 nulli civilis animus, neque legum neque libertatis aequae patiens. Omnes igitur, qui in aliquibus ministeriis regiis, etiam qui in minimis legationibus fuerant, iussi Macedonia excedere, atque in Italiam ire: qui non paruisset imperio, mors denuntiata. Leges Macedoniae dedit cum tanta cura, ut non hostibus victis, sed sociis bene meritis, dare vide-

Principes Macedones in Italiam ablegati.

Leges datae.

7 *Neo Thebanus quo auctore .... iunxerant*] sc. Thebani, quae vox latet in voce *Thebanus*. De hoc Neone, qui ad Persea confugerat, cf. supr. xliv. 43. Polyb. xxvii. 1.

8 *Pertinebat*] Crevierius, siquidem haec sunt verba legatorum Romanorum, *pertineat* legendum censet.

9 *Purpuratique*] cf. Supr. xxx. 42.

1 *Nulli civilis animus*] Nulli animus publicam salutem curans.

U. C. 585. A. C. 167. retur: et quas ne usus quidem longo tempore (qui unus est legum corrector) experiendo argueret.

Ab seriis rebus ludicrum, quod ex multo ante praeparatum et in Asiae civitates, et ad reges missis, qui denuntiarent, et quum circumiret ipse Graeciae civitates, indixerat principibus, magno apparatu Amphipoli fecit. Nam et artifices[2] cum omnis generis, qui ludicram artem faciebant, ex toto orbe terrarum multitudo, et athletarum, et nobilium equorum convenit: et legationes cum victimis, et quicquid aliud deorum hominumque causa fieri magnis ludis in Graecia solet. Ita factum est, ut non magnificentiam tantum, sed prudentiam in dandis spectaculis, ad quae rudes[3] tum Romani erant, admirarentur. Epulae quoque legationibus paratae et opulentia et cura eadem. Vulgo dictum ipsius ferebant: 'Et convivium instruere, et ludos parare
33. 'rare eiusdem esse, qui vincere bello sciret.' Edito ludicro omnis generis, clipeisque aereis in naves impositis, cetera omnis generis arma, cumulata in ingentem acervum, precatus Martem, Minervam, Luamque matrem, et ceteros[4] deos, quibus spolia hostium dicare ius fasque est, ipse imperator, face subdita, succendit. Deinde circumstantes tribuni militum pro se quisque ignes coniecerunt. Notata est in illo conventu Europae Asiaeque, undique partim ad gratulationem, partim ad spectaculum contracta multitudine, tantis navalibus terrestribusque exercitibus, ea copia rerum, ea vilitas annonae, ut et privatis, et civitatibus, et gentibus, dona data pleraque eius generis sint ab imperatore, non in usum modo praesentem, sed etiam quod domos aveherent. Spectaculo fuit ei, quae venerat, turbae non scenicum magis ludicrum, non certamina hominum, aut curricula equorum, quam praeda Macedonica omnis, ut viseretur, exposita statuarum, tabularumque, textilium, et vasorum ex auro et argento et aere et ebore factorum ingenti cura in ea regia: ut non in praesentem modo speciem, qualibus referta regia Alexandreae erat, sed in perpetuum usum fierent. Haec, in classem imposita, devehenda Romam Cn. Octavio data.

Munificentia Paulli.

Paullus, benigne legatis dimissis, transgressus Strymonem, mille passuum ab Amphipoli castra posuit: inde profectus, Pellam quinto die pervenit. Praetergressus urbem, ad Spelaeum, quod vocant, biduum moratus, P. Nasicam,

2 *Artificum*] Scenicorum. cf. supr. v. 1.

3 *Ad quae rudis*] Similem locutionem adeas supr. xxi. 25. xxiv. 48.

4 *Luamque matrem*] Haec dea nomen a *luendo* expiandoque sortita fuisse videtur, et praefuisse lustris, et lustrationibus post hostium caedem. cf. supr. viii. 1.

5 *In ea regia*] sc. Pellae, cui mox *regia Alexandria* opponitur.

et Q. Maximum filium cum parte copiarum ad depopulandos Illyrios, qui Persea iuverant bello, misit, iussos ad Oricum sibi occurrere: ipse, Epirum petens, quintis decimis castris Passaronem pervenit. Haud procul inde Anicii castra aberant. Ad quem literis missis, ne quid ad ea, quae fierent, moveretur; 'senatum praedam Epiri civitatium, quae ad Persea defecissent, exercitui dedisse,' summissis centurionibus in singulas urbes, qui se dicerent ad praesidia deducenda venisse, ut liberi Epirotae, sicut Macedones, essent, denos principes ex singulis evocavit civitatibus: quibus, quum denuntiasset, ut aurum atque argentum in publicum proferretur, per omnes civitates cohortes dimisit. Ante in ulteriores, quam in propiores, profecti, ut uno die in omnes perveniretur. Edita tribunis centurionibusque erant, quae agerentur. Mane aurum omne argentumque collatum: hora quarta signum ad diripiendas urbes datum est militibus: tantaque praeda fuit, ut in equitem quadringeni denarii, peditibus duceni dividerentur, centum quinquaginta millia capitum humanorum adducerentur. Muri deinde direptarum urbium diruti sunt: ea fuere oppida circa septuaginta. Vendita praeda omnium, de ea summa militi numeratum est. Paullus ad mare Oricum descendit, nequaquam, ut ratus erat, expletis militum animis: qui, tanquam nullum in Macedonia gessissent bellum, expertes regiae praedae esse indignabantur. Orici quum missas cum Scipione Nasica Maximoque filio copias invenisset, exercitu in naves imposito, in Italiam traiecit. Et post paucos dies Anicius, conventu reliquorum Epirotarum Acarnanumque acto, iussisque in Italiam sequi principibus, quorum cognitionem causae reservarat, et ipse, navibus exspectatis, quibus usus Macedonicus exercitus erat, in Italiam traiecit.

U. C. 585. A. C. 167.

34. Epiri praeda data exercitui.

Paullus in Italiam traiicit, ut et Anicius.

Quum haec in Macedonia Epiroque gesta sunt, legati, qui cum Attalo ad finiendum bellum inter Gallos et regem Eumenem missi erant, in Asiam pervenerunt. Indutiis per hiemem factis, et Galli domos abierant, et rex in hiberna concesserat Pergamum, gravique morbo aeger fuerat. Ver primum ex domo excivit: iamque Synnada pervenerant, quum Eumenes ad Sardes undique exercitum contraxerat. Ibi et Romani Solovettium ducem Gallorum Synnadis allocuti, et Attalus cum iis profectus; sed castra Gallorum intrare eum non placuit, ne animi ex discepta-

6 *Senatum praedam*] Intelligendum est hoc loco *scripsit, nuntiavit*, e quo pendeant sequentia. RASCH.

7 *Reservarat*] In aliud tempus distulerat. DOER.

8 *Ex domo excivit*] Satis intelligitur haec dici de Gallis. Res tamen clarior esset, si eorum nomina diserte exprimerentur. CREV.

U. C. 585. A. C. 167. tione irritarentur. P. Licinius cum regulo Gallorum est locutus, retulitque, ferociorem eum deprecando factum: ut mirum videri posset, inter tam opulentos reges, Antiochum Ptolemaeumque, tantum legatorum Romanorum verba valuisse, ut extemplo pacem facerent; apud Gallos nullius momenti fuisse.

35. Romam primum reges captivi, Perseus et Gentius, in custodiam cum liberis abducti; dein turba alia captivorum: tum quibus Macedonum denuntiatum erat, ut Romam venirent, principumque Graeciae. Nam hi quoque non solum praesentes exciti erant, sed etiam, si qui apud reges esse dicebantur, literis arcessiti sunt. Paullus ipse post dies paucos regia nave ingentis magnitudinis, quam sexdecim versus remorum agebant, ornata Macedonicis spoliis, non insignium tantum armorum, sed etiam regiorum textilium, adverso Tiberi ad urbem est subvectus, completis ripis obviam effusa multitudine. Paucos post dies Anicius et Octavius classe sua advecti. Tribus iis omnibus decretus est ab senatu triumphus: mandatumque Q. Cassio praetori, cum tribunis plebis ageret, ex auctoritate Patrum rogationem ad plebem ferrent, ut iis, quo die urbem triumphantes inveherentur, imperium esset. Intacta invidia media sunt: ad summa ferme tendit. Nec de Anicii, nec de Octavii triumpho dubitatum est: Paullum, cui ipsi quoque se comparare erubuissent, obtrectatio carpsit. Antiqua disciplina milites habuerat; de praeda parcius, quam speraverant ex tantis regiis opibus, dederat nihil relicturis, si aviditati indulgeretur, quod in aerarium deferret. Totus Macedonicus exercitus imperatori erat negligenter affuturus comitiis ferendae legis. Sed eos Ser. Sulpicius Galba qui tribunus militum secundae legionis in Macedonia fuerat, privatim imperatori inimicus, prensando ipse, et per suae legionis milites sollicitando, stimulaverat, ut frequentes ad suffragium adessent: 'Imperiosum ducem et malignum anti-[1] 'quando rogationem, quae de triumpho eius ferretur, ulciscerentur: plebem urbanam secuturam esse militum 'iudicia. Pecuniam illum dare non potuisse? Militem[2]

Paullus Romam appellit, dein Anicius et Octavius.

Triumphus iis decretus a senatu.

Triumphum Paullo milites abrogare volunt.

9 *P. Licinius*] Princeps legationis in Asiam missus, cuius occultis artibus fortasse evenit, ut Galli in potestate Romanorum, pacem inter eos et Eumenem conciliantium, esse noluerint, ut ita paullatim vires Eumenis a Gallis frangerentur. Suspicionem hanc palam iniicit Polyb. xxx. 3. Drak.

1 *Malignum*] Nimis parcum. supr. ix. 32. x. 46.

2 *Militem honorem dare posse*] *Dare non posse* Sigonius, Gronovius autem *pecuniam illum non dare potuisse, militem honorem non dare posse*, mavult. Crevierius, qui Sigonii coniecturam probat, intelligit non posse militem, qui non vult; quemadmodum imperatorem arguit Galba iactasse non posse se pecuniam dare, quum revera nollet.

'honorem dare posse! ne speraret ibi fructum gratiae, ubi 'non meruisset.' U. C. 585. A. C. 167.

His incitatis, quum in Capitolio rogationem eam Ti. Sempronius tribunus plebis ferret, et privatis de lege di- 3 cendi locus esset, sed ad suadendum, ut in re minime dubia, haud quisquam procederet; Ser. Galba repente processit, et a tribunis postulavit, 'Ut, quoniam hora iam 'octava diei esset, nec satis temporis ad demonstrandum 'haberet, cur L. Aemilium non iuberent triumphare, in 'posterum diem differrent, et mane eam rem agerent. 'Integro sibi die ad causam eam orandam opus esse.' Quum tribunus dicere eo die, si quid vellet, iuberet, in noctem rem dicendo extraxit, referendo admonendoque, 'Exacta acerbe munia militiae; plus laboris, 'plus periculi, quam desiderasset res, iniunctum; contra in 'praemiis, in honoribus, omnia artata: militiamque, si 4 'talibus succedat ducibus, horridiorem asperioremque 'bellantibus; eandem victoribus inopem atque inhonoratam 'futuram. Macedonas in meliore fortuna, quam milites 'Romanos, esse. Si frequentes postero die ad legem anti- 'quandam adessent, intellecturos potentes viros, non omnia 'in ducis, aliquid et in militum manu esse.' His vocibus incitati, postero die milites tanta frequentia Capitolium compleverunt, ut aditus nulli praeterea ad suffragium ferendum esset. Intro vocatae primae tribus quum antiquarent, concursus in Capitolium principum civitatis factus est, 'Indignum facinus esse,' clamitantium, 'L. Paullum, 'tanti belli victorem despoliari triumpho: obnoxios im- 5 'peratores tradi licentiae atque avaritiae militari. Nunc 'nimis saepe per ambitionem peccari. Quid, si domini 'milites imperatoribus imponantur?' In Galbam pro se quisque probra ingerere. Tandem, hoc tumultu sedato, M. Servilius, qui consul et magister equitum fuerat, ut de integro eam rem agerent, ab tribunis petere, dicendique sibi ad populum potestatem facerent. Tribuni, quum ad deliberandum secessissent, victi auctoritatibus principum, de integro agere coeperunt, revocaturosque se easdem

36.

Ser. Galba dissuadet legem de triumpho Paulli.

3 *Sed ad suadendum ... haud quisquam*] *Nec .... quisquam* Sigonius emendaverat, quem tantum non omnes secuti sunt. Gronovius primus *de lege* pro vulg. *lege* scripsit. Sed *locus dicendi de lege* a magistratibus dabatur, quando privatis copiam faciebant prodeundi in medium, populumque vel accipiendae eius vel antiquandae rationes edocendi.

4 *Si talibus succedat ducibus*] Si ducibus talibus, i. e. ita agentibus, res bene cedat. An scripsit Livius, *si talia succedant ducibus?* Doer.

5 *Nunc nimis saepe .... peccari*] Ita Iacobs. emendavit pro vulg. *in uno nimis se per ambitionem peccare.* Sensus est, nunc nimis saepe per ambitionem, i. e. disciplinam militarem ambitionis causa remittendo, peccari ab imperatoribus. *Ambitio* nihil aliud est, quam intempestiva captatio gratiae et favoris.

U. C. 585. A. C. 167. tribus renuntiarunt, si M. Servilius aliique privati, qui dicere vellent, dixissent.

37. Servilii oratio pro triumpho. Tum Servilius: 'Quantus imperator L. Aemilius fuerit, 'Quirites, si ex alia re nulla aestimari possit, vel hoc satis 'erat, quod, quum tam seditiosos et leves milites, tam 'nobilem, tam temerarium, tam eloquentem ad instigandam 'multitudinem inimicum in castris haberet, nullam in ex-'ercitu seditionem habuit. Eadem severitas imperii, quam 'nunc oderunt, tunc eos continuit. Itaque, antiqua di-'sciplina habiti, * neque fecerunt. Ser. quidem Galba, si 'in L. Paullo accusando tirocinium ponere, et documentum 'eloquentiae dare voluit, non triumphum impedire debuit, 'quem, si nihil aliud, senatus iustum esse iudicaverat: sed 'postero die, quam triumphatum est, privatum cum visurus 'esset, nomen deferret, et legibus interrogaret; aut serius 'paullo, quum primum magistratus ipse cepisset, diem 'diceret, inimicum ad populum accusaret. Ita et pretium 'recte facti triumphum haberet L. Paullus pro egregie bello 'gesto; et poenam, si quid et vetere gloria sua et nova 'indignum fecisset. Sed videlicet, cui crimen nullum, 'nullum probrum dicere poterat, eius obtrectare laudes 'voluit. Diem integrum hesterno die ad accusandum L. 'Paullum petiit: quattuor horas, quantum supererat diei, 'dicendo absumpsit. Quis unquam tam nocens reus fuit, 'cuius vitia vitae tot horis expromi non possent? Quid 'interim obiecit, quod L. Paullus, si causam dicat, negatum 'velit? Duas mihi aliquis conciones parumper faciat: 'unam militum Macedonicorum; puram alteram, inte-'grioris iudicii et a favore et odio, universo iudicante po-'pulo Romano. Apud concionem togatam et urbanam 'prius reus agatur. Quid apud Quirites Romanos, Ser. 'Galba, diceres? illa enim tibi tota abscisa oratio esset: '"In statione severius et intentius institisti; vigiliae acer-'"bius et diligentius circumitae sunt; operis plus, quam

6 *Renuntiarunt*] *Pronuntiarunt* ex emendatione Dukeri Bekkerus reposuit.

7 * *neque fecerunt*] *Tunc quieverunt*, quod Rubenius legendum coniecit, probat Crevierius. Ceterum ad marginem ed. Curionis virum doctum ascripsisse animadvertit Drakenborchius, "vocem forte excidisse, ac legendum *neque seditionem fecerunt*."

8 *Triumphatum est*] *Triumphatum esset* reposuit Bekker. *triumphatum et privatum* Gronovius mavult. *Privatum*, sc. Aemilium Paullum.

9 *Deferret*] *Deferre* et *interrogare*, sub. *debuit*, reposuit Bekker. atque infr. *dicere* et *accusare*, necnon supr. *privatum cum visurus esset*.

1 *Cuius vitia vitae*] *Initia* pro *vitia* reposuit Bekker.

2 *Et a favore et odio*] *Et a favore et ab odio* Crevierius mavult. Hac ad vocem *integrioris* referendae sunt.

3 *Reus agatur*] Crevierius et Douiatius causam non esse iudicarunt, cur Mureto *reus agatur* displicuerit. *Reum* enim *agere* ac *peragere* locutiones sunt optimis scriptoribus usitatae. Necnon Servilius hoc loco agit, quasi Paullus a Galba accusaretur ad populum. *Res* pro *reus* Bekkerus reposuit.

4 ‘ “ antea, fecisti, quum ipse imperator et exactor circum- U. C. 585.
‘ “ iret; eodem die et iter fecisti, et in aciem ex itinere A. C. 167.
‘ “ ductus es. Ne victorem quidem te acquiescere passus
‘ “ est: statim ad persequendos hostes duxit. Quum te
‘ “ praeda partienda locupletem facere posset, pecuniam
‘ “ regiam translaturus in triumpho est, et in aerarium
‘ “ laturus.” Haec sicut ad militum animos stimulandos
‘ aliquem aculeum habent, qui parum licentiae, parum
‘ avaritiae suae inservitum censent; ita apud populum
‘ Romanum nihil valuissent: qui, ut vetera atque au-
‘ dita a parentibus suis non repetat, quae ambitione impe-
‘ ratorum clades acceptae sint, quae severitate imperii
‘ victoriae partae, proximo certe Punico bello, quid inter
‘ M. Minucium magistrum equitum et Q. Fabium Maximum
5 ‘ dictatorem interfuerit, meminit. Itaque accusatorem id
‘ scire potuisse, et supervacaneam defensionem Paulli fuisse.
6 ‘ Transeatur ad alteram concionem: nec Quirites vos, sed
‘ milites videor appellaturus, si nomen hoc saltem ruborem
‘ incutere, et verecundiam aliquam imperatoris violandi
‘ afferre possit. Equidem ipse aliter affectus animo sum, 38.
‘ qui apud exercitum mihi loqui videar, quam paullo ante
7 ‘ eram, quum ad plebem urbanam spectabat oratio. Quid
‘ etiam dicitis, milites? Aliquis est Romae, praeter Persea,
‘ qui triumphari de Macedonibus nolit? et eum non iisdem
‘ manibus discerpitis, quibus Macedonas vicistis? Vincere
‘ vos prohibuisset, si potuisset, qui triumphantes urbem
‘ inire prohibet. Erratis, milites, si triumphum imperatoris
‘ tantum, et non militum quoque et universi populi Ro-
8 ‘ mani, esse decus censetis. Non unius in hoc Paulli.
‘ Multi etiam, qui ab senatu non impetrarunt triumphum,
9 ‘ in monte Albano triumpharunt. Nemo L. Paullo magis
‘ eripere decus perfecti belli Macedonici potest, quam C.
‘ Lutatio primi Punici belli, quam P. Cornelio secundi,
1 ‘ quam illis, qui post eos triumphaverunt. Nec L. Paullum

4 *Circumiret*] Gronovius *circumiret*, et *ductus es* pro vulg. *circumires*, et *duxisti* emendavit. Crevierius *institit* pro *institisti* reponendum suadet, cui Drakenborchius astipulatur, ita ut, quae in secunda persona dicuntur, ad militem, quae in tertia, ad imperatorem referantur.

5 *Itaque accusatorem*] Hic aliquid est quod offendat. Legit Gronovius: *itaque et accusator id scire potuisset, et supervacanea Paulli defensio fuisset.* Nos aliquid Livio dignius desideramus. Crev.

6 *Nec Quirites vos*] Vox *Quirites* proprie ad cives spectat; hinc milites appellatione *Quiritium* compellari, quasi genus poenae erat, et signum missionis inhonestae habebatur. Nota est occasio, qua seditionem militum hac voce sola pronuntiata Iul. Caesar compescuit. cf. Sueton. Caes. 70.

7 *Quid etiam*] *Quid enim* Muretus mavult.

8 *Hoc Paulli*] Supple, *decus est.* Sed Crevierius aliqua post vocem *Paulli* excidisse existimat, et asteriscum loco apponendum censet.

9 *In monte Albano*] cf. Supr. xxvi. 21. xxxiii. 23.

1 *Quam illis, qui post eos triumphaverunt*] Voces *post eos*, sc. Lutatium

U. C. 585. 'minorem aut maiorem imperatorem triumphus faciet
A. C. 167. 'Militum magis in hoc universique populi Romani fama
'agitur. Primum ne invidiae et ingrati animi adversus
'clarissimum quemque civem opinionem habeat, et imitar[1]
'in hoc populum Atheniensem, lacerantem invidia prin-
'cipes suos, videatur. Satis peccatum in Camillo a maio-
'ribus vestris est, quem tamen ante receptam per eum a
'Gallis urbem violarunt: satis insuper a vobis in P. Afri-
'cano. Literni domicilium et sedem fuisse domitoris
'Africae! Literni sepulcrum ostendi! Erubescamus, gloria
'si par illis viris L. Paullus, iniuria vestra exaequetur.
'Haec igitur primum infamia deleatur, foeda apud alias
'gentes, damnosa apud nostros. Quis enim aut Africani,
'aut Paulli, similis esse in ingrata et inimica bonis civitate
'velit? Si infamia nulla esset, et de gloria tantum agere-
'tur, qui tandem triumphus non communem nominis Ro-
'mani gloriam habet? Tot de Gallis triumphi, tot de
'Hispanis, tot de Poenis, ipsorum tantum imperatorum,
'an populi Romani, dicuntur? Quemadmodum non de
'Pyrrho modo, nec de Hannibale, [nec de Philippo,] sed
'de Epirotis, Carthaginiensibusque, et Macedonibus tri-
'umphi acti sunt, sic non M'. Curius tantum, nec P. Cor-
'nelius, [nec T. Quinctius,] sed Romani triumpharunt.
'Militum quidem propria est causa; qui et ipsi laureati, et
'quisque donis, quibus donati sunt, insignes, triumphum[2]
'nomine cient, suasque et imperatoris laudes canentes per
'urbem incedunt. Si quando non deportati ex provincia
'milites ad triumphum sint, fremunt: et tamen tum quoque
'se absentes, quod suis manibus parta victoria sit, tri-
'umphare credunt. Si quis vos interroget, milites, ad
'quam rem in Italiam deportati, et non statim, confecta
'provincia, dimissi sitis? quid Romam frequentes sub
'signis veneritis, quid moremini hic, et non diversi domos
'quisque abeatis vestras? quid aliud respondeatis, quam
'vos triumphantes videri velle? Vos certe victores con-
39. 'spici velle debebatis. Triumphatum nuper de Philippo,[3]
'patre huius, et de Antiocho est. Ambo regnabant, quum
'de his triumphatum est. De Perseo capto, in urbem cum
'liberis abducto, non triumphabitur? Quod si in curru[4]
'scandentes Capitolium, auratos purpuratosque, ex infe-

et Catulum, Sigonius addidit. Locum asterisco notavit Bekker.

1 *Opinionem habeat*] *Opinionem animi ingrati habere* ille dicitur, qui existimatur ingratus esse. Drak.

2 *Triumphum nomine cient*] Militari acclamatione, *Io triumphe.* cf. Hor. Od. iv. 2. Varr. de L. L. v. 58.

3 *Velle debebatis*] Addit, si id non responsuri essent, at saltem eos decere, ut victores conspici et spectatorum oculis in sollenni pompa notari vellent. Drak.

4 *Quodsi in curru*] *At praeteribus triumphabitur, quos si*, Iacobs. reponendum suadet.

'riore loco L. Paullus in turba togatorum unus privatus U. C. 585.
'interroget: L. Anici, Cn. Octavi, utrum vos digniores A. C. 167.
'triumpho esse, an me, censetis? currum ei cessuri, et
'prae pudore videntur insignia ipsi sua tradituri. Et vos
'Gentium, quam Persea, duci in triumpho mavultis, Qui-
'rites, et de accessione potius belli, quam de bello, tri-
'umphari? Et legiones ex Illyrico laureatae urbem
'inibunt, et navales socii? Macedonicae legiones, suo
'abrogato, triumphos alienos spectabunt? Quid deinde
5 'tam opimae praedae, tam opulentae victoriae spoliis fiet?
'Quonam abdentur illa tot millia armorum, detracta cor-
'poribus hostium? an in Macedoniam remittentur? Quo
'signa aurea, marmorea, eburnea, tabulae pictae, textilia,
'tantum argenti caelati, tantum auri, tanta pecunia regia?
'An noctu, tanquam furtiva, in aerarium deportabuntur?
'Quid? illud spectaculum maximum, nobilissimus opulen-
'tissimusque rex captus, ubi victori populo ostendetur?
'Quos Syphax rex captus, accessio Punici belli, concursus
'fecerit, plerique meminimus. Perseus rex captus, Phi-
'lippus et Alexander filii regis, tanta nomina, subtrahentur
'civitatis oculis? Ipsum L. Paullum, bis consulem, do-
'mitorem Graeciae, omnium oculi conspicere urbem curru
6 'ingredientem avent. Ad hoc fecimus consulem, ut bel-
7 'lum, per quadriennium ingenti etiam pudore nostro
'tractum, perficeret: cui sortito provinciam, cui proficis-
'centi praesagientibus animis victoriam triumphumque
'destinavimus, ei victori triumphum negaturi? et quidem
'non homines tantum, sed deos etiam suo honore frauda-
'turi? Diis quoque enim, non solum hominibus, debetur
'triumphus. Maiores vestri omnium magnarum rerum et
'principia exorsi ab diis sunt, et finem statuerunt. Consul,
'proficiscens, praetorve, paludatus cum lictoribus in pro-
'vinciam et ad bellum, vota in Capitolio nuncupat: victor,
'perpetrato eodem, in Capitolio triumphans ad eosdem
'deos, quibus vota nuncupavit, merita dona populi Romani
'transvehit. Pars non minima triumphi est victimae prae-
'cedentes; ut appareat, diis grates agentem imperatorem
'ob rempublicam bene gestam redire. Omnes illas victi-
8 'mas, quas traducendas in triumpho vindicavit, alias alio
'caedente, mactabitis? Quid? illas epulas senatus, quae

5 *Tam opimae praedae*] Emendationem Gronov. *tam opima praeda*, quam Sigonius in postrema editione sua praefert, Bekkerus probat.

6 *Ad hoc*] Ob hoc, propterea. DRAK.

7 *Per quadriennium*] Imo *triennium*. cf. infr. 41. CREV.

8 *Quas traducendas in triumpho vindicavit*] Vitium manifestum. Gronovius legendum putat, *quas traducendas in triumpho locavit:* satis belle, si modo intelligatur Paullus victimas non modo traducendas in triumpho, sed et praebendas locasse. CREV.

U. C. 585. A. C. 167. 'nec privato loco, nec publico profano, sed in Capitolio 'eduntur, (utrum hominum voluptatis causa, an deorum 'hominumque?) auctore Ser. Galba, turbaturi estis? L. 'Paulli triumpho portae claudentur? Rex Macedonum 'Perseus cum liberis et turba alia captivorum, spolia Ma- 'cedonum, citra flumen relinquentur? L. Paullus privatus, 'tanquam rure rediens, a porta domum ibit? Et tu, cen- 'turio, miles, quid de imperatore Paullo senatus decreri 'potius, quam quid Ser. Galba fabuletur, audi: et hoc 'dicere me potius, quam illum, audi. Ille nihil, praeter- 'quam loqui, et id ipsum maledice ac maligne, didicit: ego 'ter et vicies cum hoste per provocationem pugnavi: ex 'omnibus, cum quibus manum conserui, spolia retuli: in- 'signe corpus honestis cicatricibus, omnibus adverso cor- 'pore exceptis, habeo.' Nudasse deinde se dicitur, et, quo quaeque bello vulnera accepta essent, retulisse. Quae dum ostentat, adapertis forte, quae velanda erant, tumor inguinum proximis risum movit. Tum, 'Hoc quoque, quod 'ridetis,' inquit, 'in equo dies noctesque persedendo 'habeo: nec magis me eius, quam cicatricum harum, 'pudet poenitetque; quando nunquam mihi impedimento 'ad rempublicam bene gerendam domi militiaeque fuit. 'Ego hoc ferro saepe vexatum corpus vetus miles adoles- 'centibus militibus ostendi: Galba nitens et integrum 'denudet. Revocate, si videtur, tribuni, ad suffragium 'tribus; ego ad vos, milites, [descendam, euntesque ad 'suffragia assectabor, et notabo improbos ingratosque, et 'eos, qui non regi se ab imperatore, sed eum ultro sibi per 'ambitionem servire aequum censent.' Hac oratione castigata militaris turba ita mutavit animum, ut tribus ad suffragium revocatae ad unam omnes rogationem de triumpho iuberent. Victa igitur inimicorum malevolentia et obtrectatione, triumphavit Paullus de Perseo rege et Macedonibus per triduum, ante diem quartum et tertium et pridie Kalendas Decembres. Fuit hic triumphus, sive magnitudinem victi regis, sive speciem simulacrorum, sive pecuniae vim spectes, longe magnificentissimus, ut omnium ante actorum comparationem amplitudine superaret. Po-

Servilius nudat corpus et vulnera ostentat.

9 *Utrum hominum voluptatis causa, an deorum hominumque*] Non haec sincera videntur Crevierio, qui fortasse legendum coniecit, *non hominum voluptatis causa, sed deorum honoris.* Aliam medicinam ex integriore codice desiderat Drakenborchius.

1 *Et tu, centurio*] *At tu, centurio* Gronovius emendat, qui pro voce *dicere* legendum *dicentem* suadet.

2 *Ego ad vos milites*] Intercidit finis orationis, qua usus est M. Servilius pro triumpho Aemilii Paulli. Qui tamen finis apud Plutarchum in Aemil. p. 272. servatur. Excidit quoque initium expositionis triumphi Paulli, quem per triduum egit quarto, tertio, et pridie Kal. Decembr. ut in triumphis Capitolinis scribitur. Sigon.

ulus, exstructis per forum et cetera urbis loca, qua traduci U. C. 585.
ompam oportebat, tabulatis theatrorum in modum, spec- A. C. 167.
avit in candidis togis. Aperta templa omnia et sertis
oronata ture fumabant. Lictores satellitesque confluen-
em temere turbam et vage discurrentem summoventes e
nedio, patentes late vias vacuasque praebebant. Quum in
res, ut diximus, dies distributa esset pompa spectaculi,
primus dies vix suffecit transvehendis signis tabulisque
captivis, in ducentos quinquaginta currus impositis. Se-
quenti die multis plaustris translatum, quicquid Macedoni-
corum armorum pulcherrimum et magnificentissimum fuit,
quae et ipsa ferri aut aeris recens tersi nitore splendebant,
et ita structa erant inter se, ut, quum acervatim potius
cumulata, quam artificiose digesta, viderentur, miram
quandam hac ipsa velut temeraria et fortuita concursione
speciem obiicerent oculis: galeae scutis, et loricae ocreis,
et peltae Creticae, et Thracicae caetrae, et pharetrae eques-
tribus permixtae frenis, strictique gladii hinc inde mucrone
exserto minaces, et e lateribus eminentes sarissae. Atque
haec omnia quum laxius vincta inter se forent, si quando in
transvehendo sibi mutuo alliderentur, Martium quendam
ac terribilem edebant sonum, ut ne victa quidem conspici
possent sine quodam animorum horrore. Tum onusta
argento signato vasa quinquaginta supra septingenta a
tribus millibus hominum portabantur. Tria talenta in sin-
gulis a quaternis gestata hominibus. Erant et qui crateras
argenteos, et phialas, et calices, et cornua ferebant, tum
apte inter se collocata, tum magnitudine, et pondere, et
exstantis insigniter caelaturae artificio conspicua. Tertio
autem die ducere agmen primo statim mane coepere tu-
bicines, non festos sollennium pomparum modos, sed bel-
licum canentes, quasi in aciem procedendum foret. Post
hos agebantur pingues, cornibus auratis, et vittis sertisque
redimiti boves centum et viginti. Ducebant eos cincti
fasciis eximio opere textis iuvenes, quibus comites additi
pueri pateras aureas argenteasque gestabant. Sequebantur
ii, qui signatum aurum in vasis septem et septuaginta fere-
bant, quorum unumquodque, quemadmodum et ea, in
quibus argentum translatum fuerat, tria talenta habebat.
Tum visebatur sacra phiala decem talentorum pondo auri,
pretiosis distincta gemmis, quam Paullus faciendam cura-
verat, et Antigonides, Seleucidesque, et Thericlea, ceteraque
pocula ex auro, quibus Persei triclinia ornabantur. Su-
bibat Persei currus, eius armis onustus, addito diademate.
Sequebatur captivorum agmen: Bithys, Cotyis regis filius,
obses in Macedoniam a patre missus, ac deinde cum Persei
liberis captus a Romanis; tum ipsi Persei liberi, comitante

U. C. 585. A. C. 167. educatorum et magistrorum agmine, manus ad spectatores cum lacrimis miserabiliter tendentium, et docentium pueros, implorandam suppliciter victoris populi misericordiam. Filii erant duo, puella una, qui eo maiorem movebant miserationem spectantibus, quod ipsi per aetatem vix mala sua intelligere poterant. Itaque plurimi lacrimas tenere non potuerunt, et omnibus confudit animum tacitus quidam maeror, qui sincero eos frui gaudio, quam diu sub oculis pueri fuerunt, non sineret. Pone filios incedebat cum uxore Perseus, pullo amictu, cum crepidis Graeci moris, stupenti et attonito similis, et cui magnitudo malorum mentem omnino eripuisse videretur. Sequebatur amicorum et familiarium turba, quorum in vultu dolor gravis eminebat, quique, quum semper oculos in eum figerent, lacrimis rigantes ora, satis indicabant, sese illius dolere malis, suorum immemores. Hanc quidem ignominiam deprecatus erat Perseus, missis ad Aemilium, qui orarent, ne in triumpho duceretur. Risit Aemilius hominis ignaviam, et 'Id quidem,' inquit, 'in ipsius et pridem fuit, et nunc est, 'manu ac potestate:' tacite monens, ut generosa morte id, 'quod metuebat, dedecus effugeret. Sed forte consilium non admisit mollis animus, et nescio qua spe delinitus, maluit in praedae suae parte ipse numerari. Quadringentae inde coronae aureae portabantur, Paullo ab omnibus fere Graeciae et Asiae civitatibus in gratulationem victoriae per legatos dono missae: grandis sane, si per se ipsae spectarentur, pretii, sed mediocris accessio immanium
40. opum, quae in hoc triumpho transvectae fuerant.] Summam omnis captivi auri argentique translati sestertium millies ducenties fuisse, Valerius Antias tradit: quae haud 3
dubie maior aliquanto summa ex numero plaustrorum pon- 4

3 *Quae haud dubie maior aliquanto summa*] Lege cum Gronovio *qua*. Ceterum quod hic observat Livius, summam a Valerio Antiate notatam minorem iusto esse, id astruitur ex ceteris quoque scriptoribus. Ex Plutarcho in Aemil. solum aurum argentumque signatum ab illa summa non multum abit. Velleius i. 9. scribit Aemilium bis millies centies aerario intulisse. Plinius H. N. xxxiii. 3. bis millies trecenties; sic enim legendum esse contendit Harduinus ad h. l. Et sane maximam fuisse illam pecuniam necesse est, quae populo Romano finem attulerit tributorum, ut habet Cic. de Off. ii. 76. cui astipulantur Plinius loco memorato, et Plutarchus in Paullo. Cave tamen mutes in Livio notam numeri, quod voluit Gronovius. Ideo enim carpit Valerium noster, quia numerum parum accurate notatum iudicavit. Crev.

4 *Ex numero plaustrorum*] Non est verisimile plaustris aurum argentumque transvectum: nec ita Plutarchus, qui et signatos nummos, et omnia aurea argenteaque vasa ab hominibus gestata esse memorat. Ergo libenter cum Perizonio reponeremus *Philippeorum*; vel, quomodo magis placet Iac. Gronovio, *ph. aureorum*, qua ex scriptura facile vulgata manare potuit. Certe frequens erat usus Philippeorum apud Graecas et Asiaticas nationes; frequens item eorum mentio in triumphis quos Romani ex illis gentibus egerunt. supr. xxxiv. 52. xxxvii. 59. xxxix. 5. Crev.

deribusque auri, argenti, generatim ab ipso scriptis, efficitur. Alterum tantum aut in bellum proximum absumptum, aut in fuga, quum Samothracen peteret, dissipatum tradunt: eoque id mirabilius erat, quod tantum pecuniae intra tringinta annos post bellum Philippi cum Romanis, partim ex fructu metallorum, partim ex vectigalibus aliis, coacervatum fuerat. Itaque admodum inops pecuniae Philippus, Perseus contra praedives, bellare cum
5 Romanis coepit. Ipse postremo Paullus in curru magnam, quum dignitate alia corporis, tum senecta ipsa, maiestatem prae se ferens: post currum inter alios illustres viros filii duo, Q. Maximus et P. Scipio: deinde equites turmatim, et cohortes peditum suis quaeque ordinibus. Pediti in
6 singulos dati denarii centeni, duplex centurioni, triplex
7 equiti. Tantum pediti daturum fuisse credunt, et pro rata aliis, si aut non refragati honori eius fuissent, aut benigne hac ipsa summa pronuntiata acclamassent.

U. C. 585. A. C. 167.

Paullus in curru.

Sed non Perseus tantum per illos dies documentum humanorum casuum fuit, in catenis ante currum victoris ducis per urbem hostium ductus; sed etiam victor Paullus, auro purpuraque fulgens. Nam duobus e filiis, quos, duobus
8 datis in adoptionem, solos nominis, sacrorum, familiaeque heredes retinuerat domi, minor, ferme duodecim annos natus, quinque diebus ante triumphum, maior, quattuordecim annorum, triduo post triumphum decessit: quos praetextatos curru vehi cum patre, sibi ipsos similes praedestinantes triumphos, oportuerat. Paucis post diebus, data a M. Antonio tribuno plebis concione, quum de suis rebus gestis more ceterorum imperatorum disseruisset, memorabilis eius oratio et digna Romano principe fuit.

Paullus duos filios amittit.

41. Oratio Aemilii ad populum.

'Quanquam et quam feliciter rempublicam administra-
9 'verim, et quod duo fulmina domum meam per hos dies 'perculerint, non ignorare vos, Quirites, arbitror, quum 'spectaculo vobis nunc triumphus meus, nunc funera libe-'rorum meorum fuerint; tamen paucis, quaeso, sinatis me 'cum publica felicitate comparare eo, quo debeo, animo 'privatam meam fortunam. Profectus ex Italia, classem a 'Brundisio sole orto solvi; nona diei hora cum omnibus

5 *Ipse postremo Paullus*] Ordinem narrationis a librariis corruptum esse credit Crevierius, et totam periodum *ipse postremo . . . ordinibus*, praecedere priorem *summam omnis . . . . coepit*, debere existimat.

6 *Dati centeni*] sc. Denarii.

7 *Tantum*] *Alterum tantum*, quod Muretus coniecit, reposuit Bekker. Ceterum *alterum tantum* hoc loco idem quod *tantundem* significat. cf. supr. viii. 8. cf. supr. xxii. 51. *tanta prope civium . . .*

8 *Datis in adoptionem*] Fabio nempe et Scipioni. Verum Eutropius iv. 3. hos duos filios una cum patre in curru triumphali vectos esse tradit.

9 *Et quod duo fulmina*] *Quae duo* ex emendatione Gronovii reposuit Bekker.

U. C. 585. A. C. 167. 'meis navibus Corcyram tenui. Inde quinto die Delphis
'Apollini pro me, exercitibusque, et classibus lustrandis
'sacrificavi. A Delphis quinto die in castra perveni: ubi
'exercitu accepto, mutatis quibusdam, quae magna impe-
'dimenta victoriae erant, progressus inde, quia inexpugna-
'bilia castra hostium erant, neque cogi pugnare potera
'rex, inter praesidia eius saltum ad Petram evasi, et, ad
'pugnam rege coacto, acie vici: Macedoniam in potesta-
'tem populi Romani redegi, et, quod bellum per quadrien-
'nium quattuor ante me consules ita gesserunt, ut semper
'successori traderent gravius, id ego quindecim diebus
'perfeci. Aliarum deinde secundarum rerum velut pro-
'ventus secutus. Civitates omnes Macedoniae se dedide-
'runt; gaza regia in potestatem venit; rex ipse, traden-
'tibus prope ipsis diis, in templo Samothracum cum liberis
'est captus. Mihi quoque ipsi nimia iam fortuna mea
'videri, eoque suspecta esse. Maris pericula timere coepi,
'in tanta pecunia regia in Italiam traiicienda, et victore
'exercitu transportando. Postquam omnia secundo na-
'vium cursu in Italiam pervenerunt, neque erat, quod
'ultra precarer, illud optavi, ut, quum ex summo retro
'volvi fortuna consuesset, mutationem eius domus mea
'potius, quam respublica, sentiret. Itaque defunctam
'esse fortunam publicam mea tam insigni calamitate *spero*;
'quod triumphus meus, velut ad ludibrium casuum huma-
'norum, duobus funeribus liberorum meorum est inter-
'positus. Et, quum ego et Perseus nunc nobilia maxime
'sortis mortalium exempla spectemur, ille, qui ante se cap-
'tivos, captivus ipse, duci liberos vidit, incolumes tamen
'eos habet: ego, qui de illo triumphavi, ab alterius funere
'filii curru in [Capitolium, ad alterum] ex Capitolio prope
'iam exspirantem veni: neque ex tanta stirpe liberum
'superest, qui L. Aemilii Paulli nomen ferat. Duos enim,

9 *Classibus lustrandis*] *Lustra* vulgo legitur, quod haud dubie depravatum est. *Vestris* Sigonius, *lustris* Bekkerus emendat.

1 *Saltum ad Petram*] Locus vocatur *Pythium*, supr. xliv. 35. Plut. in Aemilio, ubi saltum hunc superatum narrat, utrumque nomen coniungit, τὴν (εἰσβολὴν) παρὰ τὸ Πύθιον καὶ τὴν Πέτραν. Crev.

2 *Per quadriennium quattuor ante me consules*] Mirum videri debet, et supr. 39. et hic rursus perperam numerari annos, quibus bellum adversus Persea gestum est. Constat enim, ut quod maxime, ex praecedentibus libris, tres tantum consules ante Aemilium Paullum per triennium hoc bellum administrasse, nempe P. Licinium Crassum, A. Hostilium Mancinum, Q. Marcium Philippum. Credere vix audemus hunc errorem esse a Livio. Incusemus igitur corruptoris pervicaciam. Crev.

3 *Defunctam esse fortunam publicam*] Liberam et immunem factam esse fortunam publicam ab omni malorum metu ac periculo, per meam calamitatem; in meam scilicet domum verso quidquid calamitatis, in compensationem nimis laetarum rerum, impendere Reipublicae poterat. Crev.

'tanquam ex magna progenie liberorum in adoptionem U. C. 585.
'datos, Cornelia et Fabia gens habent; Paulli in domo, A. C. 167.
'praeter senem, nemo superest. Sed hanc cladem domus
'meae vestra felicitas et secunda fortuna publica conso-
'latur.' Haec, tanto dicta animo, magis confudere audien- 42.
tium animos, quam si miserabiliter orbitatem suam deflendo locutus esset.

Cn. Octavius Kalendis Decembribus de rege Perseo navalem triumphum egit. Is triumphus sine captivis fuit, sine spoliis. Dedit sociis navalibus in singulos denarios septuagenos quinos; gubernatoribus, qui in navibus 4 fuerant, duplex; magistris navium quadruplex. Triumphus navalis Cn. Octavii.

Senatus deinde habitus est. Patres censuerunt, ut Q. Cassius Persea regem cum Alexandro filio Albam in custodiam duceret; comites, pecuniam, argentum, instrumentum quod haberet. Bithys, regis Thracum filius, cum obsidibus in custodiam Carseolos est missus. Ceteros captivos, qui in triumpho ducti erant, in carcerem condi placuit. Paucos post dies, quam haec acta, legati, ab Cotye rege Thracum venerunt, pecuniam ad redimendum filium aliosque obsides apportantes. Iis, in senatum intro- 5 ductis, et id ipsum argumenti praetendentibus orationis, non sua voluntate Cotyn bello iuvisse Persea, quod obsides dare coactus esset, orantibusque, ut eos pretio, quantum ipsi statuissent Patres, redimi paterentur, responsum ex auctoritate senatus est: 'Populum Romanum meminisse 'amicitiae, quae cum Cotye, maioribusque eius, et gente 'Thracum fuisset. Obsides datos crimen, non criminis 6 'defensionem, esse: quum Thracum genti ne quietus 'quidem Perseus, nedum bello Romano occupatus, timen- 'dus fuerit. Ceterum, etsi Cotys Persei gratiam prae- 7 'tulisset amicitiae populi Romani, magis, quid se dignum 8 'esset, quam quid merito eius fieri posset, aestimaturum: 'filium atque obsides ei remissurum. Beneficia gratuita 'esse populi Romani: pretium eorum malle relinquere in 'accipientium animis, quam praesens exigere.' Legati tres nominati, T. Quinctius Flamininus, C. Licinius Nerva, M. Caninius Rebilus, qui obsides in Thraciam reducerent: et Thracibus munera data in singulos binum millium aeris. Bithys, cum ceteris obsidibus ab Carseolis arcessitus, ad patrem cum legatis missus. Naves regiae, captae de Ma- Perseus Albam missus.

4 *Magistris navium*] Navium praefectis. cf. supr. xxix. 26. xliii. 8.

5 *Praetendentibus orationis*] *Orationi*, auctore Gronovio, reposuit Bekker.

6 *Ne quietus quidem*] Non occupatus alio bello.

7 *Quid se dignum . . . . aestimaturum*] sc. Populum Romanum.

8 *Merito*] Pro eius culpa et laesa Romanorum amicitia. Doer.

U. C. 585. A. C. 167. cedonibus, invisitatae ante magnitudinis, in campo Martio subductae sunt.

43. Haerente adhuc, non in animis modo, sed paene in oculis, memoria Macedonici triumphi, L. Anicius Quirinalibus triumphavit de rege Gentio Illyriisque. Simili omnia magis visa hominibus, quam paria. Minor ipse imperator, et nobilitate Anicius cum Aemilio, et iure imperii praetor cum consule collatus: non Gentius Perseo, non Illyrii Macedonibus, non spolia spoliis, non pecunia pecuniae, non dona donis comparari poterant Itaque sicut praefulgebat huic triumphus recens; ita apparebat ipsum per se intuentibus nequaquam esse contemnendum. Perdomuerat intra paucos dies, terra marique ferocem, locis munimentisque fretam, gentem Illyriorum: regem regiaeque omnes stirpis ceperat: transtulit in triumpho multa militaria signa, spoliaque alia, et supellectilem regiam: auri pondo viginti et septem, argenti decem et novem pondo: denarium decem et tria miilia, et centum viginti millia Illyrii argenti. Ante currum ducti Gentius rex cum coniuge et liberis, et Caravantius frater regis et aliquot nobiles Illyrii. De praeda militibus in singulos quadragenos quinos denarios, duplex centurioni, triplex equiti, sociis nominis Latini quantum civibus, et sociis navalibus dedit quantum militibus. Laetior hunc triumphum est secutus miles, multisque dux ipse carminibus celebratus. Sestertium ducenties ex ea praeda redactum esse, auctor est Antias, praeter aurum argentumque, quod in aerarium sit latum: quod quia unde redigi potuerit, non apparebat, auctorem pro re posui. Rex Gentius cum liberis, et coniuge, et fratre Spoletium in custodiam ex senatusconsulto ductus, ceteri captivi Romae in carcerem conjecti: recusantibusque custodiam Spoletinis, Iguvium reges traducti. Reliquum ex Illyrico praedae ducenti viginti lembi erant; de Gentio rege captos eos Corcyraeis, et Apolloniatibus, et Dyrrhachinis Q. Cassius ex senatusconsulto tribuit.

L. Anicii triumphus.

Gentius cum suis Spoletium missus, tum Iguvium.

44. Consules eo anno, agro tantum Ligurum populato, quum hostes exercitus nunquam eduxissent, nulla re memorabili gesta, Romam ad magistratus subrogandos redierunt; et

9 *Invisitatae*] sc. Romanis. cf. supr. v. 35. Haec vox pro vulg. *inusitatae* a Gronovio invecta est.

1 *Quirinalibus*] Sollennibus in honorem Quirini sive Romuli mense Februario A. D. XIII. Kal. Mart. celebratis. cf. Ovid. Fast. ii. 513. et Fest. in voce. *Quirinalia.*

2 *Centum viginti millia Illyrii argenti*] Non abs re suspicatur Douatius hic designari *Victoriatos*, quos ex Illyrico primum advectos esse memorat Plinius, H. N. XXXIII. 3. *Victoriatus* autem erat quinarius, sive dimidia pars denarii. CREV.

3 *Reges traducti*] Intellige Gentium cum uxore et omni stirpe. CREV.

primo comitiali die consules crearunt M. Claudium Marcellum, C. Sulpicium Gallum. Deinde praetores postero die L. Iulium, L. Appuleium Saturninum, A. Licinium Nervam, P. Rutilium Calvum, P. Quintilium Varum, M. Fonteium. His praetoribus duae urbanae provinciae sunt decretae, duae Hispaniae, Sicilia ac Sardinia. U. C. 585. A. C. 167. Comitia.

4 Intercalatum eo anno: postridie Terminalia Kalendae intercalares fuerunt. Augur eo anno mortuus est C. Claudius: in eius locum augures legerunt T. Quinctium Flamininum. Et flamen Quirinalis mortuus Q. Fabius Pictor.

Eo anno rex Prusias venit Romam cum filio Nicomede. Is, magno comitatu urbem ingressus, ad forum a porta tribunalque Q. Cassii praetoris perrexit: concursuque undique facto, 'Deos, qui urbem Romam incolerent, senatumque 'et populum Romanum salutatum se' dixit 'venisse: et 'gratulatum, quod Persea Gentiumque reges vicissent; 'Macedonibusque et Illyriis in ditionem redactis, auxissent imperium. Quum praetor senatum ei, si velit, eo die daturum dixisset; biduum petiit, quo templa deum urbemque et hospites amicosque viseret. Datus, qui circumduceret eum, L. Cornelius Scipio quaestor, qui et Capuam ei obviam missus fuerat: et aedes, quae ipsum comitesque eius benigne reciperent, conductae. Tertio post die senatum adiit; gratulatus victoriam est; merita sua in eo bello commemoravit; petiit, 'Ut votum sibi solvere, Romae 'in Capitolio decem maiores hostias, et Praeneste unam 'Fortunae, liceret: ea vota pro victoria populi Romani 'esse. Et ut societas secum renovaretur; agerque sibi, de 'rege Antiocho captus, quem nulli datum a populo Romano 'Galli possiderent, daretur.' Filium postremo Nicomedem senatui commendavit. Omnium, qui in Macedonia imperatores fuerant, favore est adiutus. Itaque cetera, quae petebat, concessa: de agro responsum est, 'Legatos ad
5 'rem inspiciendam missuros. Si is ager populi Romani 'fuisset, nec cuiquam datus esset, dignissimum eo dono 'Prusiam habituros esse. Si autem Antiochi non fuisset, 'eo ne populi quidem Romani factum apparere: aut, si 'datus Gallis esset, ignoscere Prusiam debere, si ex nullius
6 'iniuria quicquam ei datum vellet populus Romanus. Ne 'cui detur quidem, gratum esse donum posse, quod eum, 'qui det, ubi vellet, ablaturum esse sciat. Facile Nico- Prusias rex Romam venit.

4 *Kalendae intercalares*] Vocem *Kalendae* reponendam suasit Crevierius.

5 *Missuros*] Post hanc vocem et sequentem *habituros* supple *se*, i. e. Romanos.

6 *Ne cui detur*] *Quod* pro *cui* vulgo legitur, sed Muretus in voce *quod* antiquam formam *quoi* latere coniecit.

U. C. 585. A. C. 167. 'medis commendationem accipere. Quanta cura regum 'amicorum liberos tueatur populus Romanus, documento 'Ptolemaeum Aegypti regem esse.' Cum hoc responso Prusias est dimissus. Munera ei ex * sestertiis iussa dari et vasorum argenteorum pondo quinquaginta. Et filio regis Nicomedi ex ea summa munera dari censuerunt, ex qua Masgabae filio regis Masinissae data essent: et ut victimae aliaque, quae ad sacrificium pertinerent, seu Romae, seu Praeneste immolare vellet, regi ex publico, sicut magistratibus Romanis, praeberentur: et ut ex classe, quae Brundisii esset, naves longae viginti assignarentur, quibus uteretur, donec ad classem, dono datam ei, rex pervenisset. L. Cornelius Scipio ne ab eo abscederet, sumptumque ipsi et comitibus praeberet, donec navem conscendisset. Mire laetum ea benignitate in se populi Romani regem fuisse, ferunt: munera sibi ipsi emi non sisse; filium iussisse donum populi Romani accipere. Haec de Prusia nostri scriptores. Polybius, eum regem indignum maiestate nominis tanti, tradit; pileatum, capite raso, obviam ire legatis solitum, libertumque se populi Romani ferre; et ideo insignia ordinis eius gerere. Romae quoque, quum veniret in curiam, summisisse se, et osculo limen curiae contigisse: et 'deos servatores suos' senatum appellasse, aliamque orationem, non tam honorificam audientibus, quam sibi deformem, habuisse. Moratus circa urbem triginta haud amplius dies in regnum est profectus, actumque in Asia bellum * * *.

Prusiae vilitas.

7 *Ex * sestertiis*] Excidit numerus sestertiorum.

8 *Ad classem dono datum ei*] Discimus ex hoc loco, si modo sanus est, datam esse a Romanis Prusiae regi classem, ex navibus nimirum Perseo ereptis.

9 *Conscendisset*] Nempe Prusias. Gronovianae editiones habent *conscendissent*, contra primae editionis fidem.

1 *Emi non sisse*] Ita quoque Bekkerus reposuit pro vulg. *emisse*, pro quo Gronovius *renuisse* legendum vult.

2 *Polybius*] cf. Polyb. xxx. 16. Appian. Mithridat. p. 172.

3 *Pileatum, capite raso*] Tanquam servitute exemptum. cf. supr. xxxiv. 52.

4 *Obviam ire legatis solitum*] Vocem *solitum* pro alia irrepsisse suspicatur Dukerus. Ceterum haec de legatis olim missis, non de eo tempore quo Prusias Romam venit, intelligenda esse censet Crevierius, quum L. Cornelius Scipio quaestor ad Prusiam Romam venientem missus fuerat.

5 *Profectus*] Lambecius, citante Hearnio, observat in Biblioth. Vindobon. ii. p. 947. post vocem *profectus* sequi in unico exemplari *actumque*, aliosque etiam duos versus olim fuisse, qui nunc prorsus evanuerunt, nec ulla ratione ex eorum vestigiis certi quidquam posse colligi. Totum denique illud volumen claudi monet subscriptione hac, quae ob vetustatem pene oculos fugit:

TITI LIVI
AB URBE CONDITA
LIB. XLV. EXP.
INC. LIB. XLVI. FELICITER.

EPITOMAE

LIBRORUM

DEPERDITORUM.

T. LIVII PATAVINI

EPITOMAE LIBRORUM DEPERDITORUM.

EPITOME XLVI.

EUMENES rex Romam venit: qui, quia Macedonico bello medium egerat, ne aut hostis iudicatus videretur, si exclusus esset, aut liberatus crimine, si admitteretur; in commune lex lata est, ne cui regi Romam venire liceret. Claudius Marcellus consul Alpinos Gallos, C. Sulpicius Gallus consul Ligures subegit. Legati Prusiae regis conquesti sunt de Eumene, quod fines suos popularetur: dixeruntque, eum conspirasse cum Antiocho contra populum Romanum. Societas cum Rhodiis deprecantibus iuncta est. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civum capita trecenta viginti septem millia, viginti duo. Princeps senatus lectus M. Aemilius Lepidus. Ptolemaeus Aegypti rex, pulsus regno a minore fratre, missis ad eum legatis, restitutus est. Ariarathe Cappadociae rege mortuo, filius eius Ariarathes regnum accepit, et amicitiam cum populo Romano per legatos renovavit. Res praeterea adversus Ligures, et Corsos, et Lusitanos, vario eventu gestas, et motus Syriae, mortuo Antiocho, qui filium Antiochum puerum admodum reliquerat, continet. Hunc Antiochum puerum cum Lysia tutore Demetrius, Seleuci filius, qui Romae obses fuerat, clam, quia non dimittebatur a Romanis, interemit; et ipse in regnum receptus. L. Aemilio Paullo, qui Persen vicerat, mortuo, tanta eius abstinentia fuit, ut, quum ex Hispania et ex Macedonia immensas opes retulisset, vix ex auctione eius redactum sit, unde uxori eius dos solveretur. Pomptinae paludes a Cornelio Cethego consule, cui ea provincia evenerat, siccatae, agerque ex iis factus.

XLVII.

CN. TREMELLIO tribuno plebis multa dicta est, quod cum M. Aemilio Lepido pontifice maximo iniuriose contenderat; sacrorumque, quam magistratuum, ius potentius fuit. Lex de ambitu lata. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta triginta octo millia, trecenta quattuordecim. Princeps senatus lectus Aemilius Lepidus. Inter Ptolemaeos fratres, qui dissidebant, foedus ictum, ut alter in Aegypto, alter Cyrenis regnaret. Ariarathes, Cappadociae rex, consilio Demetrii, regis Syriae, et viribus pulsus regno, a senatu restitutus est. Missi a senatu, qui inter Masinissam et Carthaginienses de agro iudicarent. C. Marcius consul adversus Dalmatas parum prospere primum, postea feliciter pugnavit; cum quibus bello confligendi causa fuit, quod Illyrios, populi Romani socios, vastaverant; eandemque gentem Cornelius Nasica consul domuit. Q. Opimius consul Transalpinos Ligures, qui Massiliensium oppida, Antipolim et Nicaeam, vastabant, subegit. Praeterea res in Hispania a compluribus parum prospere gestas continet. Consules anno quingentesimo nonagesimo octavo ab urbe condita magistratum, peractis comitiis, insequentisque anni consulibus creatis, inire coeperunt. Mutandi comitia causa fuit, quod Hispani rebellabant. Legati, ad disceptandum inter Masinissam et Carthaginienses missi, renuntiaverunt, vim navalis materiae se Carthagine deprehendisse. Aliquot praetores, a provinciis avaritiae nomine accusati, damnati sunt.

XLVIII.

LUSTRUM a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti quattuor millia. Semina tertii belli Punici referuntur. Quum in finibus Carthaginiensium ingens Numidarum exercitus, duce Ariobarzane, Syphacis nepote, diceretur esse, M. Porcius Cato suasit, ut Carthaginiensibus, quum Ariobarzanem, specie contra Masinissam regem, sed re vera contra Romanos, accitum in finibus haberent, bellum indiceretur. Contradicente P. Cornelio Nasica, placuit, legatos mitti Carthaginem, qui specularentur, quid ageretur. Castigato senatu

Carthaginiensium, quod contra foedus et exercitum et navales materias haberent, pacem inter eos et Masinissam facere voluerunt, Masinissa agro de quo lis erat, cedente. Sed Gisgo, Hamilcaris filius, homo seditiosus, qui tunc in magistratu erat, quum senatus pariturum se iudicio legatis dixisset, ita bellum adversus Romanos suadendo concitavit, ut legatos, quo minus violarentur, fuga explicuerit. Id nuntiantes, infestum iam senatum Carthaginiensibus, infestiorem fecerunt. M. Porcius Cato filii, in praetura mortui, funus tenuissimo, ut valuit, (nam pauper erat) sumptu fecit. Andriscus, qui se Persei filium, regis quondam Macedoniae, ingenti asseveratione mentiretur, Romam missus. M. Aemilius Lepidus, qui princeps senatus ab sextis iam censoribus erat lectus, antequam exspiraret, praecepit filiis, lecto se strato sine linteis, sine purpura efferrent; in reliquum funus ne plus, quam aeris denos, consumerent: imaginum specie, non sumptibus, nobilitari magnorum virorum funera solere. De veneficiis quaesitum. Publicia et Licinia, nobiles feminae, quae viros suos consulares necasse insimulabantur, cognita causa, quum praetori pro se vades dedissent, cognatorum decreto necatae sunt. Gulussa, Masinissae filius, denuntiavit, Carthagine delectus agi, classem comparari, et haud dubium bellum strui. Quum Cato suaderet, ut iis bellum indiceretur, P. Cornelio Nasica dicente, nihil temere faciundum, placuit, decem mitti legatos exploratum. L. Licinius Lucullus, A. Postumius Albinus consules, quum delectum severe agerent, nec quemquam gratia dimitterent, ab tribunis plebis, qui pro amicis suis vacationem impetrare non poterant, in carcerem coniecti sunt. Quum Hispaniense bellum, parum prospere aliquoties gestum, ita confudisset civitatem Romanam, ut ne ii quidem invenirentur, qui aut tribunatum exciperent, aut legati ire vellent, P. Cornelius Aemilianus processit, et excepturum se militiae genus, quodcunque imperatum esset, professus est. Quo exemplo omnes ad studium militandi concitavit. L. Lucullus consul, qui M. Claudio Marcello successerat, quum lacessere omnes Celtiberiae populi viderentur, Vaccaeos, et Cantabros, et alias adhuc incognitas nationes in Hispania subegit. Ibi P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus, L. Paulli filius, Africani nepos, sed adoptivus, provocatorem barbarum tribunus militum occidit: et in oppugnatione Intercatiae urbis, maius etiam periculum adiit. Nam murum primus transcendit. Ser. Sulpicius Galba praetor male adversus Lusitanos pugnavit. Quum legati ex Africa cum oratoribus Carthaginiensium, et Gulussa, Masinissae filio, redissent, dicerentque, et exercitum

se et classem Carthagine deprehendisse, perrogari sententias placuit. Catone et aliis principibus senatui suadentibus, ut in Africam confestim transportaretur exercitus, quod P. Cornelius Nasica dicebat, nondum sibi iustam causam belli videri, placuit, ut bello abstinerent, si Carthaginienses classem exussissent, et exercitum dimisissent: sin minus, proximi consules de Punico bello referrent. Quum locatum a censoribus theatrum exstrueretur; P. Cornelio Nasica auctore, tanquam inutile et nociturum publicis moribus, ex senatusconsulto destructum est, populusque aliquamdiu stans ludos spectavit. Carthaginienses quum adversus foedus bellum Masinissae intulissent, victi ab eo, annos habente nonaginta duos, et sine pulpamine mandere et gustare panem tantum solito, insuper Romanum bellum meruerunt.

XLIX.

TERTII Punici belli initium altero et sexcentesimo anno ab urbe condita, intra quintum annum, quam erat coeptum, consummati. Inter M. Porcium Catonem et Scipionem Nasicam, quorum alter sapientissimus vir in civitate habebatur, alter etiam vir optimus a senatu iudicatus erat, diversis certatum sententiis est; Catone suadente bellum, et ut tolleretur delereturque Carthago, Nasica dissuadente. Placuit tamen, quod contra foedus naves haberent, quod exercitum extra fines duxissent, quod socio populi Romani et amico Masinissae arma intulissent, quod filium eius Gulussam, qui cum legatis Romanis erat, in oppidum non recepissent, bellum iis indici. Priusquam ullae copiae in naves imponerentur, Uticenses legati Romam venerunt, se suaque omnia dedentes. Ea legatio, veluti omen, grata Patribus, acerba Carthaginiensibus fuit. Diti patri ludi ad Terentum, ex praecepto librorum Sibyllinorum, facti: qui ante annum centesimum, primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita, facti erant. Legati triginta Romam venerunt, per quos se Carthaginienses dedebant. Catonis sententia pervicit, ut in decreto perstaretur, et ut consules quam primum ad bellum proficiscerentur. Qui ubi in Africam transierunt, acceptis, quos imperaverant, trecentis obsidibus, et armis, omnibusque instrumentis bellicis, si qua Carthagine erant; tunc, quum ex auctoritate Patrum iuberent, ut in alium locum, dum a mari decem millia passuum, ne minus, remotum, oppidum

facerent, indignitate rei ad rebellandum Carthaginienses compulerunt. Obsideri oppugnarique coepta est Carthago ab L. Marcio, M'. Manilio consulibus. In qua oppugnatione quum neglectos ab una parte muros duo tribuni temere cum cohortibus suis irrupissent, et ab oppidanis graviter caederentur, a Scipione Africano expliciti sunt: per quem et castellum Romanorum, quod nocte expugnabant, paucis equitibus iuvantibus, liberatum est: castrorumque, quae Carthaginienses, omnibus copiis ab urbe pariter egressi, oppugnabant, liberatorum is ipse praecipuam gloriam tulit. Praeterea, quum ab irrita oppugnatione Carthaginis consul (alter enim Romam ad comitia ierat) exercitum duceret adversus Hasdrubalem, qui cum altera manu iniquum saltum insederat, suasit primo consuli, ne tam iniquo loco confligeret. Victus deinde complurium, qui et prudentiae eius et virtuti invidebant, sententiis, et ipse saltum ingressus est: quumque, sicut praedixerat, fusus fugatusque esset Romanus exercitus, et duae cohortes ab hoste obsiderentur, cum exiguis equitum turmis in saltum reversus, liberavit eas, et incolumes reduxit. Quam virtutem eius et Cato, vir promptioris ad vituperandum linguae, in senatu sic prosecutus est, ut diceret, Reliquos, qui in Africa militarent, umbras militare, Scipionem vigere: et populus Romanus eo favore complexus, ut comitiis plurimae eum tribus consulem scriberent, quum hoc per aetatem non liceret. Quum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui, in fidem populi Romani dediti, a Ser. Galba in Galliam venissent, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. Exstat oratio in Annalibus eius inclusa. Q. Fulvius Nobilior, et saepe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba. Ipse quoque Galba, quum se damnari videret, complexus duos filios praetextatos, et Sulpicii Galli filium, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. Exstant tres orationes eius: duae adversus Libonem tribunum plebis rogationemque eius, habitae de Lusitanis: una contra L. Cornelium Cethegum, in qua Lusitanos propter sese castra habentes caesos fatetur, quod compertum habuerit, equo atque homine suo ritu immolatis, per speciem pacis adoriri exercitum suum in animo habuisse. Andriscus quidam, ultimae sortis homo, Persei regis se filium ferens, et mutato nomine Philippus vocatus, quum ab urbe Romana, quo illum Demetrius, Syriae rex, ob hoc ipsum mendacium miserat, clam profugisset, multis ad falsam eius fabulam, velut ad veram, coeuntibus, contracto exercitu, totam Macedoniam aut voluntate incolentium, aut armis occupavit. Fabulam autem

talem finxerat. Ex pellice se et Perseo rege ortum, traditum educandum Cretensi cuidam esse, ut in belli casu, quod ille cum Romanis gereret, aliquod velut semen regiae stirpis exstaret. Perseo demortuo, Adramyttei se eductum usque ad duodecimum annum aetatis, patrem eum esse credentem, a quo educaretur, ignarum generis fuisse sui. Affecto deinde eo, quum prope ad vitae finem ultimum esset, detectam tandem ibi originem suam, falsaeque matri libellum datum, signo Persei regis signatum, quem sibi traderet, quum ad puberem aetatem venisset: obtestationesque ultimas adiectas, ut res in occulto ad id tempus servaretur. Pubescenti libellum traditum: in quo relicti sibi duo thesauri a patre dicerentur. Tum scienti mulierem subditum se esse, veram stirpem ignoranti, edidisse genus: atque obtestatam, ut prius, quam manaret ad Eumenem res, Perseo inimicum, excederet iis locis, ne interficeretur. Eo se exterritum, simul sperantem aliquod a Demetrio auxilium, in Syriam se contulisse: atque ibi primum, quis esset, palam expromere ausum.

L.

THESSALIA, quum et illam invadere armis atque occupare Pseudophilippus vellet, per legatos Romanorum auxiliis Achaeorum defensa est. Prusias, rex Bithyniae, omniumque humillimorum vitiorum, a Nicomede filio, adiuvante Attalo, rege Pergami, occisus est. Habebat alium filium, qui, pro superiore ordine dentium, enatum habuisse unum os continens dicitur. Quum tres legatos ad pacem inter Nicomedem et Prusiam faciendam Romani misissent, et unus ex iis multis cicatricibus sparsum caput haberet, alter pedibus aeger esset, tertius ingenio socors haberetur; dixit Cato, Eam legationem nec caput, nec pedes, nec cor habere. In Syria, quae eo tempore stirpe generis parem regi Macedonum, inertia socordiaque similem Prusiae regem habebat, iacente eo in ganea et lustris, Ammonius regnabat; per quem et amici omnes regis, et Laodice regina, et Antigonus, Demetrii filius, occisi. Masinissa, Numidiae rex, maior nonaginta annis decessit, vir insignis. Inter cetera opera iuvenilia, quae ad ultimum edidit, adeo, etiam versus in senectam, viguit, ut post sextum et octogesimum annum filium genuerit. Inter tres liberos eius, maximum natu Micipsam, Gulussam, Mastanabalem, qui etiam Graecis literis eruditus erat, P. Scipio

Aemilianus, quum commune iis pater regnum reliquisset, et dividere eos arbitro Scipione iussisset, partes administrandi regni divisit. Item Phamaeae Himilconi, praefecto equitum Carthaginiensium, viro forti, et cuius praecipua opera Poeni utebantur, persuasit, ut ad Romanos cum equitatu suo transiret. Ex tribus legatis, qui ad Masinissam missi fuerant, Claudius Marcellus, coorta tempestatè, fluctibus obrutus est. Carthaginienses Hasdrubalem, Masinissae nepotem, quem praetorem habebant, proditionis suspectum, in curia occiderunt: quae suspicio inde emanavit, quod propinquus esset Gulussae, Romanos auxilio iuvantis. P. Scipio Aemilianus, quum aedilitatem peteret, consul a populo dictus, quoniam per annos consulem fieri non licebat, cum magno certamine suffragantis plebis, et repugnantibus aliquamdiu Patribus, legibus solutus, et consul creatus est. M'. Manilius aliquot urbes circumpositas Carthagini expugnavit. Pseudophilippus in Macedonia, caeso cum exercitu P. Iuventio praetore, a Q. Caecilio victus captusque est, et recepta Macedonia.

LI.

CARTHAGO, in circuitu millia viginti tria passuum patens, magno labore obsessa, et per partes capta est; primum a Mancino legato, deinde a Scipione consule, cui extra sortem provincia Africa data erat. Carthaginienses, portu novo, quia vetus obstructus a Scipione erat, facto, et contracta clam exiguo tempore ampla classe, infeliciter navali proelio pugnaverunt. Hasdrubalis quoque ducis eorum castra, ad Nepherim oppidum loco difficili sita, cum exercitu deleta sunt a Scipione; qui tandem urbem expugnavit septingentesimo anno, quam erat condita. Spoliorum maior pars Siculis, quibus ablata erant, reddita. Ultimo urbis excidio, quum se Hasdrubal Scipioni dedidisset, uxor eius, quae paucis ante diebus de marito impetrare non potuerat, ut ad victorem transfugerent, in medium se flagrantis urbis incendium, duobus cum liberis, ex arce praecipitavit. Scipio exemplo patris sui naturalis Aemilii Paulli, qui Macedoniam vicerat, ludos fecit, transfugasque ac fugitivos bestiis obiecit. Belli Achaici semina referuntur haec: quod legati populi Romani ab Achaeis pulsati sint Corinthi, missi, ut eas civitates, quae sub ditione Philippi fuerant, ab Achaico concilio secernerent.

LII.

CUM Achaeis, qui in auxilio Boeotos et Chalcidenses habebant, Q. Caecilius Metellus ad Thermopylas bello conflixit: quibus victis, dux eorum Critolaus veneno sibi mortem conscivit. In cuius locum Diaeus, Achaici motus primus auctor, ab Achaeis dux creatus, ad Isthmon a L. Mummio consule victus est: qui, omni Achaia in deditionem accepta, Corinthon ex senatusconsulto diruit, quia ibi legati Romani violati erant. Thebae quoque et Chalcis, quae auxilio fuerant, dirutae. Ipse L. Mummius abstinentissimum virum egit: nec quicquam ex iis opibus ornamentisque, quae praedives Corinthos habuit, in domum eius pervenit. Q. Caecilius Metellus de Andrisco triumphavit; P. Cornelius Scipio Africanus Aemilianus de Carthagine et de Hasdrubale. Viriathus in Hispania primum ex pastore venator, ex venatore latro, mox iusti quoque exercitus dux factus, totam Lusitaniam occupavit; C. Vetilium praetorem, fuso eius exercitu, cepit: post quem C. Plautius praetor nihilo felicius rem gessit: tantumque terroris is hostis intulit, ut adversus eum consulari opus esset et duce, et exercitu. Praeterea motus Syriae, et bella inter reges gesta referuntur. Alexander, homo ignotus et incertae stirpis, occiso, sicut ante dictum est, Demetrio rege, in Syria regnabat. Hunc Demetrius, Demetrii filius, qui a patre quondam ob incertos belli casus ablegatus Gnidon fuerat, contempta socordia inertiaque eius, adiuvante Ptolemaeo, Aegypti rege, cuius filiam Cleopatram in matrimonium acceperat, bello interemit. Ptolemaeus, in caput graviter vulneratus, inter curationem, dum ossa medici terebrare contendunt, exspiravit: atque in locum eius frater minor Ptolemaeus, qui Cyrenis regnabat, successit. Demetrius ob crudelitatem, quam per tormenta in suos exercebat, a Diodoto quodam, uno ex subiectis, qui Alexandri filio, bimulo admodum, regnum asserebat, bello superatus, Seleuciam confugit. L. Mummius de Achaeis triumphavit: signa aerea, marmoreaque, et tabulas pictas in triumpho tulit.

LIII.

AP. CLAUDIUS consul Salassos, gentem Alpinam, domuit. Alter Pseudophilippus in Macedonia a L. Tremellio

quaestore cum exercitu caesus est. Q. Caecilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit. A Q. Fabio proconsule pars magna Lusitaniae, expugnatis aliquot urbibus, recepta est. C. Iulius senator Graece res Romanas scribit.

LIV.

Q. POMPEIUS consul in Hispania Termestinos subegit: cum iisdem et Numantinis pacem a populo Romano infirmatam fecit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa civium capita trecenta viginti octo millia, quadringenta quadraginta duo. Quum Macedonum legati conquestum de D. Iunio Silano praetore venissent, quod acceptis pecuniis provinciam spoliasset, et senatus de querelis eorum vellet cognoscere; T. Manlius Torquatus, pater Silani, petiit, impetravitque, ut sibi cognitio mandaretur: et, domi causa cognita, filium condemnavit, abdicavitque; ac ne funeri quidem eius, quum suspendio vitam finisset, interfuit; sedensque domi potestatem consultantibus ex instituto fecit. Q. Fabius proconsul rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit, pace cum Viriatho aequis conditionibus facta. Viriathus a proditoribus, consilio Servilii Caepionis, interfectus est, et ab exercitu suo multum comploratus, ac nobiliter sepultus; vir duxque magnus, et per quattuordecim annos, quibus cum Romanis bellum gessit, frequentius superior.

LV.

P. CORNELIO NASICA, cui cognomen Serapion fuit ab irridente Curiatio tribuno plebis impositum, et D. Iunio Bruto consulibus delectum habentibus, in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est: nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset: damnatusque, sub furca diu virgis caesus est, et sestertio nummo veniit. Tribuni plebis, quia non impetrarent, ut sibi denos, quos vellent, milites eximere liceret, consules in carcerem duci iusserunt. Iunius Brutus consul in Hispania iis, qui sub Viriatho militaverant, agros et oppidum dedit, quod Valentia vocatum est. M. Popillius a Numantinis, cum quibus pacem factam senatus irritam fieri censuerat, cum exercitu fusus fugatusque est. C. Hostilio Mancino consule sacrificante, pulli ex cavea evolaverunt. Conscendenti deinde navim, ut in Hispaniam

proficisceretur, accidit vox, Mane, Mancine: quae auspicia tristia fuisse, eventu probatum est. Victus enim a Numantinis et castris exutus, quum spes nulla servandi exercitus esset, pacem cum iis fecit ignominiosam, quam ratam esse senatus vetuit. Triginta millia Romanorum a Numantinorum millibus quattuor victa erant. D. Iunius Lusitaniam, triginta urbium expugnationibus, usque ad occasum et Oceanum perdomuit; et, quum fluvium Oblivionem transire nollent milites, ereptum signifero signum ipse transtulit, et sic, ut transgrederentur, persuasit. Alexandri filius, rex Syriae, decem annos admodum habens, a Diodoto, qui Tryphon cognominabatur, tutore suo, per fraudem occisus est; corruptis medicis, qui, eum calculi dolore consumi ad populum mentiti, dum secant, occiderunt.

LVI.

D. IUNIUS BRUTUS in Hispania ulteriore feliciter adversus Gallaecos pugnavit. Dissimili eventu M. Aemilius Lepidus proconsul adversus Vaccaeos rem gessit, clademque similem Numantinae passus est. Ad exsolvendum Numantini foederis religione populum, Mancinus, quum huius rei auctor fuisset, deditus Numantinis, non est receptus. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta viginti tria millia, nongenta viginti tria. Fulvius Flaccus consul Vardaeos in Illyrico subegit. M. Cosconius praetor in Thracia cum Scordiscis prospere pugnavit. Quum bellum Numantinum vitio ducum non sine pudore publico duraret, delatus est ultro Scipioni Africano a senatu populoque Romano consulatus: quem quum illi capere ob legem, quae vetabat, quemquam iterum consulem fieri, non liceret, sicuti priori consulatu, legibus solutus est. Bellum servile, in Sicilia ortum, quum opprimi a praetoribus non potuisset, C. Fulvio consuli mandatum est. Huius belli initium fuit Eunus servus, natione Syrus; qui, contracta agrestium servorum manu, et solutis ergastulis, iusti exercitus numerum implevit. Cleon quoque, alter servus, ad septuaginta millia servorum contraxit; et, copiis iunctis, contra populum Romanum exercitumque eius bellum saepe gesserunt.

LVII.

SCIPIO AFRICANUS NUMANTIUM obsedit, et corruptum licentia luxuriaque exercitum ad severissimam

militiae disciplinam revocavit. Omnia deliciarum instrumenta recidit; duo millia scortorum a castris eiecit; militem quotidie in opere habuit, et triginta dierum frumentum ad septenos vallos ferre cogebat: aegre propter onus incedenti dicebat, Quum gladio te vallare scieris, vallum ferre desinito. Alii, scutum parvum habiliter ferenti, scutum amplius iusto ferre iussit: neque id se reprehendere, quando melius scuto, quam gladio, uteretur. Quem militem extra ordinem deprehendit, si Romanus esset, vitibus, si extraneus, fustibus cecidit. Iumenta omnia, ne exonerarent militem, vendidit. Saepe adversus eruptiones hostium feliciter pugnavit. Vaccaei obsessi, liberis coniugibusque trucidatis, ipsi se interemerunt. Scipio amplissima munera, missa sibi ab Antiocho rege Syriae quum celare aliis imperatoribus regum munera mos esset, pro tribunali acceptum se esse dixit, omniaque ea referre quaestorem in publicas tabulas iussit: ex iis se viris fortibus dona daturum. Quum undique Numantiam obsidione clausisset, et obsessos fame videret urgeri; hostes, qui pabulatum exierant, vetuit occidi; quod diceret, velocius eos absumpturos, frumenti quod haberent, si plures fuissent.

LVIII.

TI. SEMPRONIUS GRACCHUS tribunus plebis, quum legem agrariam ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis, Ne quis ex publico agro plus, quam quingenta iugera, possideret, in eum furorem exarsit, ut M. Octavio collegae, causam diversae partis defendenti, potestatem lege lata abrogaret, seque, et C. Gracchum fratrem, et Ap. Claudium socerum, triumviros ad dividendum agrum crearet. Promulgavit et aliam legem agrariam, qua sibi latius agrum patefaceret, Ut iidem triumviri iudicarent, qua publicus ager, qua privatus esset. Deinde, quum minus agri esset, quam quod dividi posset sine offensa etiam plebis, quoniam eos ad cupiditatem amplum modum sperandi incitaverat, legem se promulgaturum ostendit, Ut iis, qui Sempronia lege agrum accipere deberent, pecunia, quae regis Attali fuisset, divideretur. Heredem autem populum Romanum reliquerat Attalus, rex Pergami, Eumenis filius. Tot indignitatibus commotus graviter senatus, ante omnes T. Annius consularis, qui, quum in senatu in Gracchum perorasset, raptus ab eo ad populum, delatusque plebi, rursus in eum pro rostris concionatus est. Quum iterum tribunus plebis creari vellet Gracchus, auctore P.

Cornelio Nasica, in Capitolio ab optimatibus occisus est. ictus primum fragmentis subselliorum, et inter alios, qui in eadem seditione occisi erant, insepultus in flumen proiectus. Res praeterea in Sicilia vario eventu adversus fugitivos gestas continet.

LIX.

NUMANTINI, fame coacti, ipsi se per vicem tradentes trucidaverunt. Captam urbem Scipio Africanus delevit, et de ea triumphavit, quarto decimo anno post Carthaginem deletam. P. Rupilius consul in Sicilia cum fugitivis debellavit. Aristonicus, regis Eumenis filius, Asiam occupavit; quum, testamento Attali regis legata populo Romano, libera esse deberet. Adversus eum P. Licinius Crassus consul, quum idem pontifex maximus esset, quod nunquam antea factum erat, extra Italiam profectus, proelio victus et occisus est. M. Perperna consul victum Aristonicum in deditionem accepit. Q. Pompeius et Q. Metellus, tunc primum uterque ex plebe facti censores, lustrum condiderunt. Censa sunt civium capita trecenta septendecim millia, octingenta viginti tria, praeter pupillos et viduas. Q. Metellus censor censuit, ut omnes cogerentur ducere uxores, liberorum creandorum causa. Exstat oratio eius, quam Augustus Caesar, quum de maritandis ordinibus ageret, velut in haec tempora scriptam in senatu recitavit. C. Atinius Labeo tribunus plebis Q. Metellum censorem, a quo in senatu legendo praeteritus erat, de saxo deiici iussit: quod ne fieret, ceteri tribuni plebis auxilio fuerunt. Quum Carbo tribunus plebis rogationem tulisset, ut eundem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret; rogationem eius P. Africanus gravissima oratione dissuasit: in qua dixit, T. Gracchum iure caesum videri. Gracchus contra suasit rogationem: sed Scipio tenuit. Bella inter Antiochum Syriae, et Phraatem Parthorum regem gesta, nec magis quietae res Aegypti referuntur. Ptolemaeus, Euergetes cognominatus, ob nimiam crudelitatem suis invisus, incensa a populo regia, clam Cyprum profugit: et, quum sorori eius Cleopatrae, quam, filia eius virgine per vim compressa, atque in matrimonium ducta, repudiaverat, regnum a populo datum esset, infensus filium, quem ex illa habebat, Cypri occidit, caputque eius et manus, et pedes matri misit. Seditiones a triumviris Fulvio Flacco, et C. Graccho, et C. Papirio Carbone, agro dividendo creatis, excitatae: quibus quum P. Scipio Africanus adversaretur, fortisque ac validus de die domum

se recepisset, mortuus in cubiculo inventus est. Suspecta fuit, tanquam ei venenum dedisset, Sempronia uxor, hinc maxime, quod soror esset Gracchorum, cum quibus simultas Africano fuerat. De morte tamen eius nulla quaestio acta. Eo defuncto, seditiones triumvirales acrius exarserunt. C. Sempronius consul contra Iapydas primo rem male gessit: mox victoria cladem acceptam emendavit virtute D. Iunii Bruti, eius, qui Lusitaniam subegerat.

LX.

L. AURELIUS consul rebellantes Sardos subegit. M. Fulvius Flaccus primus Transalpinos Ligures bello domuit, missus in auxilium Massiliensibus adversus Salluvios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur. L. Opimius praetor Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit, Fregellas diruit. Pestilentia in Africa ab ingenti locustarum multitudine, et deinde necatarum strage, fuisse traditur. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta millia, septingenta triginta sex. C. Gracchus, Tiberii frater, tribunus plebis, eloquentior quam frater, perniciosas aliquot leges tulit: inter quas frumentariam, Ut semisse et triente frumentum plebi daretur: alteram legem agrariam, quam et frater eius tulerat: tertiam, qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet, Ut sexcenti ex equitibus in curiam sublegerentur: et, quia illis temporibus trecenti tantum senatores erant, sexcenti equites trecentis senatoribus admiscerentur: id est, ut equester ordo bis tantum virium in senatu haberet: et, continuato in alterum annum tribunatu, legibus agrariis latis effecit, ut complures coloniae in Italia deducerentur, et una in solo dirutae Carthaginis; quo ipse triumvir creatus coloniam deduxit. Praeterea res a Q. Metello adversus Baliares gestas continet: quas Graeci Gymnesias appellant, quia aestatem nudi exigant: Baliares a teli missu appellati, aut a Baleo, Herculis comite, ibi relicto tunc, quum Hercules ad Geryonem navigaret. Motus quoque Syriae referuntur, in quibus Cleopatra Demetrium virum suum et Seleucum filium, indignata, quod, occiso patre eius a se, iniussu suo diadema sumpsisset, interemit.

LXI.

C. SEXTIUS proconsul, victa Salluviorum gente, coloniam Aquas Sextias condidit, ob aquarum copiam e calidis frigidisque fontibus, atque a nomine suo ita appellatas. Cn. Domitius proconsul adversus Allobrogas ad oppidum Vindalium feliciter pugnavit. Quibus bellum inferendi causa fuit, quod Teutomalium, Salluviorum regem, fugientem recepissent, et omni ope iuvissent; quodque Aeduorum agros, sociorum populi Romani, vastassent. C. Gracchus, seditioso tribunatu acto, quum Aventinum quoque armata multitudine occupasset, a L. Opimio consule, ex senatusconsulto vocato ad arma populo, pulsus et occisus est; et cum eo Fulvius Flaccus consularis, socius eiusdem furoris. Q. Fabius Maximus consul, Paulli nepos, adversus Allobrogas et Bituitum, Arvernorum regem, feliciter pugnavit. Ex Bituiti exercitu caesa millia hominum centum viginti. Ipse, quum ad satisfaciendum senatui Romam profectus esset, Albam custodiendus datus est, quia contra pacem videbatur, ut in Galliam remitteretur. Decretum quoque est, ut Congentiatus, filius eius, comprehensus Romam mitteretur. Allobroges in deditionem accepti. L. Opimius, accusatus apud populum a Q. Decio tribuno plebis, quod indemnatos cives in carcerem coniecisset, absolutus est.

LXII.

Q. MARCIUS consul Stoenos, gentem Alpinam, expugnavit. Micipsa, Numidarum rex, mortuus regnum tribus filiis reliquit, Adherbali, Hiempsali, et Iugurthae, fratris filio, quem adoptaverat. L. Caecilius Metellus Dalmatas subegit. Iugurtha Hiempsalem fratrem bello petiit, quem victum occidit: Adherbalem regno expulit: is a senatu restitutus est. L. Caecilius Metellus, Cn. Domitius Ahenobarbus, censores, duos et triginta senatu moverunt. Praeterea motus Syriae regum continet.

LXIII.

CATO PORCIUS consul in Thracia male adversus Scordiscos pugnavit. Lustrum a censoribus conditum est. Censa sunt civium capita trecenta nonaginta quattuor

millia, trecenta triginta sex. Aemilia, Licinia, Marcia, virgines Vestales, incesti damnatae sunt: idque incestum quemadmodum et commissum, et deprehensum, et vindicatum sit, refertur. Cimbri, gens vaga, populabundi in Illyricum venerunt: ab iis Papirius Carbo consul cum exercitu fusus est. Livius Drusus consul adversus Scordiscos, gentem a Gallis oriundam, in Thracia feliciter pugnavit.

LXIV.

ADHERBAL, bello petitus a Iugurtha, et in oppido Cirta obsessus, contra denuntiationem senatus ab eo occisus est. Ob hoc ipsi Iugurthae bellum indictum: idque Calpurnius Bestia consul gerere iussus, pacem cum Iugurtha iniussu populi et senatus fecit. Iugurtha, fide publica evocatus ad indicandos auctores consiliorum suorum, quod multos pecunia in senatu corrupisse dicebatur, Romam venit: et, propter caedem, admissam in regulum quendam, nomine Massivam, qui regnum eius populo Romano invisi affectabat, Romae interfectum, quum periclitaretur, causam capitis dicere iussus, clam profugit, et, cedens urbe, fertur dixisse: O urbem venalem, et cito perituram, si emptorem invenerit! A. Postumius legatus infeliciter proelio adversus Iugurtham gesto pacem quoque adiecit ignominiosam, quam non esse servandam senatus censuit.

LXV.

Q. CAECILIUS METELLUS consul duobus proeliis Iugurtham fudit, totamque Numidiam vastavit. M. Iunius Silanus consul adversus Cimbros infeliciter pugnavit. Legatis Cimbrorum sedem et agros, in quibus consisterent, postulantibus senatus negavit. M. Minucius proconsul adversus Thracas prospere pugnavit. L. Cassius consul a Tigurinis Gallis, pago Helvetiorum, qui a civitate secesserant, in finibus Allobrogum cum exercitu caesus est. Milites, qui ex ea clade superaverant, obsidibus datis, et dimidia rerum omnium parte, ut incolumes dimitterentur, cum hostibus pacti sunt.

LXVI.

IUGURTHA, pulsus a C. Mario Numidia, auxilio Bocchi, Maurorum regis, adiutus est: et, caesis proelio Bocchi

quoque copiis, nolente Boccho bellum infeliciter susceptum diutius sustinere, vinctus ab eo et Mario traditus est: in qua re praecipua opera L. Cornelii Sullae, questoris Marii, fuit.

LXVII.

M. AURELIUS SCAURUS, legatus consulis, a Cimbris fuso exercitu, captus est: et, quum, in consilium ab iis evocatus, deterreret eos, ne Alpes transirent Italiam petituri, eo quod diceret, Romanos vinci non posse, a Boiorige, feroci iuvene, occisus est. Ab iisdem hostibus Cn. Manlius consul et Q. Servilius Caepio proconsul, victi proelio castrisque binis exuti sunt. Militum millia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta, secundum Arausionem. Caepionis, cuius temeritate clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, primi post regem Tarquinium; imperiumque ei abrogatum. In triumpho C. Marii ductus ante currum eius Iugurtha cum duobus filiis, et in carcere necatus est. Marius triumphali veste in senatum venit, quod nemo ante eum fecerat: eique propter Cimbrici belli metum continuatus per complures annos magistratus est. Secundo et tertio absens consul creatus, quartum consulatum dissimulanter captans consecutus est. Cn. Domitius pontifex maximus populi suffragio creatus est. Cimbri, vastatis omnibus, quae inter Rhodanum et Pyrenaeum sunt, per saltum in Hispaniam transgressi, ibique multa loca populati, a Celtiberis fugati sunt: reversique in Galliam, bellicosis se Teutonis coniunxerunt.

LXVIII.

M. ANTONIUS praetor in Ciliciam maritimos praedones persecutus est. C. Marius consul summa vi oppugnata a Teutonis et Ambronibus castra defendit: duobus deinde proeliis circa Aquas Sextias eos hostes delevit, in quibus caesa traduntur hostium ducenta millia, capta nonaginta. Marius absens quintum consul creatus est: triumphum oblatum, donec et Cimbros vinceret, distulit. Cimbri, repulso ab Alpibus fugatoque Q. Catulo proconsule, qui fauces Alpium obsederat, et ad flumen Athesim castellum editum insederat, reliqueratque, quum, virtute sua expliciti, fugientem proconsulem exercitumque consecuti, in Italiam traiecissent, iunctis eiusdem Catuli et C. Marii

exercitibus, proelio victi sunt ab iis: in quo caesa traduntur hostium centum quadraginta millia, capta sexaginta. Marius, totius civitatis consensu exceptus, pro duobus triumphis, qui offerebantur, uno contentus fuit. Primores civitatis, qui aliquamdiu ut novo homini, ad tantos honores evecto, inviderant, conservatam ab eo rempublicam fatebantur. Publicius Malleolus, matre occisa, primus insutus culeo, in mare praecipitatus est. Ancilia cum strepitu mota esse, antequam Cimbricum bellum consummaretur, referuntur. Bella praeterea inter Syriae reges continet.

LXIX.

L. APPULEIUS SATURNINUS, adiuvante C. Mario, et per milites occiso A. Nonio competitore, tribunus plebis per vim creatus, non minus violenter tribunatum, quam petierat, gessit; et, quum legem agrariam per vim tulisset, Metello Numidico, et quod in eam non iuraverat, diem dixit: qui quum a bonis civibus defenderetur, ne causa certaminum esset, in exsilium voluntariam Rhodum profectus est: ibique legendo et audiendis magnis viris avocabatur. Profecto C. Marius, seditionis auctor, qui sextum consulatum per tribus sparsa pecunia emerat, aqua et igni interdixit. Idem Appuleius Saturninus tribunus plebis C. Memmium candidatum consulatus, quem maxime adversarium actionibus suis timebat, occidit. Quibus rebus concitato senatu, in cuius causam et C. Marius, homo varii et mutabilis ingenii consiliique semper secundum fortunam, transierat, quum eum tueri minime posset, oppressus armis cum Glaucia praetore, et aliis eiusdem furoris sociis, bello quodam interfectus est. Q. Caecilius Metellus ab exsilio, ingenti totius civitatis favore, reductus est. M'. Aquillius proconsul in Sicilia bellum servile excitatum confecit.

LXX.

QUUM M'. Aquillius de pecuniis repetundis causam diceret, ipse iudices rogare noluit. M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore eius discidit, ut honestas cicatrices ostenderet: quibus conspectis, indubitanter absolutus est. Cicero eius rei solus auctor. T. Didius proconsul adversus Celtiberos feliciter pugnavit. Ptolemaeus, Cyrenarum rex, cui cognomentum Apioni fuit, mortuus

heredem populum Romanum reliquit, et eius regni civitates senatus liberas esse iussit. Ariobarzanes in regnum Cappadociae a L. Cornelio Sulla reductus est. Parthorum legati, a rege Arsace missi, venerunt ad Sullam, ut amicitiam populi Romani peterent. P. Rutilius, vir summae innocentiae, quoniam legatus Q. Mucii proconsulis a publicanorum iniuriis Asiam defenderat, invisus equestri ordini, penes quem iudicia erant, repetundarum damnatus, in exsilium missus est. C. Sentius praetor contra Thraces infeliciter pugnavit. Senatus, quum impotentiam equestris ordinis in iudiciis exercendis ferre nollet, omni vi niti coepit, ut ad se iudicia transferrentur, sustinente causam eius M. Livio Druso tribuno plebis: qui, ut vires sibi acquireret, perniciosa spe largitionum plebem concitavit. Praeterea motus Syriae regum continet.

LXXI.

M. LIVIUS DRUSUS, tribunus plebis, ut maioribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit: iisque adiuvantibus, per vim legibus agrariis frumentariisque latis, iudiciariam quoque pertulit, Ut aequa parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent. Quum deinde promissa sociis civitas praestari non posset, irati Italici defectionem agitare coeperunt. Eorum coitus, coniurationesque, et orationes in conciliis principum referuntur. Propter quae Livius Drusus, invisus etiam senatui factus, velut socialis belli auctor, incertum a quo, domi occisus est.

LXXII.

ITALICI populi defecerunt, Picentes, Vestini, Marsi, Peligni, Marrucini, Samnites, Lucani, initio belli a Picentibus moto. Q. Servilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus civibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est. Saga populus sumpsit. Ser. Galba, a Lucanis comprehensus, unius feminae opera, ad quam devertebatur, captivitate exemptus est. Aesernia et Alba coloniae ab Italicis obsessae sunt. Auxilia deinde Latini nominis externarumque gentium missa populo Romano, et expeditiones invicem expugnationesque urbem referuntur.

LXXIII.

L. IULIUS CAESAR consul male adversus Samnites pugnavit. Nola colonia in potestatem Samnitium venit cum L. Postumio praetore, qui ab iis interfectus est. Complures populi ad hostes defecerunt. Quum P. Rutilius consul male adversus hostes Marsos pugnasset, et in proelio cecidisset, C. Marius, legatus eius, meliore eventu cum hostibus conflixit. Ser. Sulpicius Pelignos proelio fudit. Q. Caepio, legatus Rutilii, quum obsessus prospere in hostes erupisset, et ob eum successum aequatum ei cum C. Mario esset imperium, temerarius factus, et circumventus insidiis, fuso exercitu cecidit. L. Iulius Caesar consul feliciter adversus Samnites pugnavit. Ob eam victoriam Romae saga posita sunt: et, ut varia belli fortuna esset, Aesernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium venit. Sed C. Marius proelio Marsos fudit, Herio Asinio, praetore Marrucinorum, occiso. C. Caecilius in Gallia Transalpina Salluvios rebellantes vicit.

LXXIV.

CN. POMPEIUS PICENTES proelio fudit, et obsedit: propter quam victoriam Romae praetextae et alia magistratuum insignia sumpta sunt. C. Marius cum Marsis dubio eventu pugnavit. Libertini tum primum militare coeperunt. A. Plotius legatus Umbros, L. Porcius praetor Marsos, quum uterque populus defecisset, proelio vicerunt. Nicomedes in Bithyniae, Ariobarzanes in Cappadociae regna reducti sunt. Cn. Pompeius consul Marsos acie vicit. Quum aere alieno oppressa esset civitas, A. Sempronius Asellio praetor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab iis, qui fenerabantur, in foro occisus est. Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

LXXV.

A. POSTUMIUS ALBINUS legatus, quum classi praeesset, infamis crimine proditionis, ab exercitu suo interfectus est. L. Cornelius Sulla legatus Samnites proelio

vicit, et bina castra eorum expugnavit. Cn. Pompeius Vestinos in deditionem accepit. L. Porcius consul, rebus prospere gestis, fusisque aliquoties Marsis, dum castra eorum expugnat, cecidit. Ea res hostibus victoriam eius proelii dedit. Cosconius et Lucceius Samnites acie vicerunt, Marium Egnatium, nobilissimum hostium ducem, occiderunt, compluraque eorum oppida in deditionem acceperunt. L. Sulla Hirpinos domuit, Samnites multis proeliis fudit, aliquot populos recepit: quantisque res quisquam alius ante consulatum rebus gestis, ad petitionem consulatus Romam est profectus.

LXXVI.

A. GABINIUS legatus, rebus adversus Lucanos prospere gestis, et plurimis oppidis expugnatis, in obsidione castrorum hostilium cecidit. Sulpicius legatus Marrucinos cecidit, totamque eam regionem recepit. Cn. Pompeius proconsul Vestinos et Pelignos in deditionem accepit. Marsi quoque, a L. Murena et Caecilio Pinna legatis aliquot proeliis fracti, pacem petierunt. Asculum a Cn. Pompeio captum est, caesis et a Mam. Aemilio legato Italicis. Silo Pompaedius, dux Marsorum, auctor huius rei, in proelio cecidit. Ariobarzanes Cappadociae, Nicomedes Bithyniae regno a Mithridate, Ponti rege, pulsi sunt. Praeterea incursiones Thracum in Macedoniam populationesque continet.

LXXVII.

QUUM P. Sulpicius tribunus plebis, auctore C. Mario, perniciosas leges promulgasset, "Ut exsules revocarentur, et novi cives libertinique distribuerentur in tribus," et "Ut C. Marius adversus Mithridatem Ponti regem dux crearetur," et adversantibus consulibus Q. Pompeio et L. Sullae vim intulisset, occiso Q. Pompeio consulis filio, genero Sullae; L. Sulla consul cum exercitu in urbem venit, et adversus factionem Sulpicii et Marii in ipsa urbe pugnavit, eamque expulit: ex qua duodecim a senatu hostes, inter quos C. Marius pater et filius, iudicati sunt. P. Sulpicius, quum in quadam villa lateret, indicio servi sui retractus et occisus est. Servus, ut praemium promissum indici haberet, manumissus, et ob scelus proditi domini de saxo deiectus est. C. Marius filius in Africam traiecit. C. Marius pater,

quum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis: et, quum missus ad occidendum eum servus, natione Gallus, maiestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publice in navim delatus est in Africam. L. Sulla civitatis statum ordinavit: exinde colonias deduxit. Q. Pompeius consul, ad accipiendum a Cn. Pompeio proconsule exercitum profectus, consilio eius occisus est. Mithridates, Ponti rex, Bithynia et Cappadocia occupatis, et pulso Aquillio legato, Phrygiam, provinciam populi Romani, cum ingenti exercitu intravit.

LXXVIII.

MITHRIDATES Asiam occupavit: Q. Oppium proconsulem, item Aquillium legatum, in vincula coniecit: iussuque eius, quicquid civium Romanorum in Asia fuit, uno die trucidatum est. Urbem Rhodum, quae sola in fide permanserat, oppugnavit, et aliquot proeliis navalibus victus recessit. Archelaus, praefectus regis, in Graeciam cum exercitu venit; Athenas occupavit. Praeterea trepidationem urbium insularumque, aliis ad Mithridatem, aliis ad populum Romanum civitates suas trahentibus, continet.

LXXIX.

L. CORNELIUS CINNA, quum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus urbe a Cn. Octavio collega, cum sex tribunis plebis: imperioque ei abrogato, corruptum Ap. Claudii exercitum in potestatem suam redegit, et bellum urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus: in quo bello duo fratres, alter ex Pompeii exercitu, alter ex Cinnae, ignorantes concurrerunt: et, quum victor spoliaret occisum, agnito fratre, ingenti lamentatione edita, rogo ei exstructo, ipse supra rogum se transfodit, et eodem igni consumptus est. Et quum opprimi inter initia potuissent, Cn. Pompeii fraude, qui, utramque partem fovendo, vires Cinnae dedit, nec nisi profligatis optimatium rebus auxilium tulit, et consulis segnitie confirmati Cinna et Marius quattuor exercitibus, ex quibus duo Q. Sertorio et Carboni dati sunt, urbem circumsederunt. Ostiam coloniam Marius expugnavit, et crudeliter diripuit.

LXXX.

ITALICIS populis a senatu civitas data est. Samnites, qui soli arma retinebant, Cinnae et Mario se coniunxerunt. Ab iis Plautius cum exercitu caesus est. Cinna et Marius cum Carbone et Sertorio Ianiculum occupaverunt, et fugati ab Octavio consule recesserunt. Marius Antium, et Ariciam, et Lanuvium colonias devastavit. Quum nulla spes esset optimatibus resistendi propter segnitiem et perfidiam et ducum et militum, qui corrupti aut pugnare nolebant, aut ad diversas partes transibant, Cinna et Marius in urbem recepti sunt: qui, velut captam, eam caedibus et rapinis vastarunt, Cn. Octavio consule occiso, et omnibus adversae partis nobilibus trucidatis, inter quos M. Antonio eloquentissimo viro, L. et C. Caesare, quorum capita in Rostris posita sunt. Crassus filius ab equitibus Fimbriae occisus: pater Crassus, ne quid indignum virtute sua pateretur, gladio se transfixit. Et citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renuntiaverunt: eodemque die, quo magistratum inierant, Marius Sex. Licinium senatorem de saxo deiici iussit; editisque multis sceleribus, Idibus Ianuariis decessit: vir, cuius si examinentur cum virtutibus vitia, haud facile sit dictu, utrum bello melior, an pace perniciosior fuerit: adeo, quam rempublicam armatus servavit, eam primo togatus omni genere fraudis, postremo armis hostiliter evertit.

LXXXI.

L. SULLA ATHENAS, quas Archelaus, praefectus Mithridatis, occuparat, circumsedit, et cum magno labore expugnavit: urbi libertatem, et civibus, quae habuerant, reddidit. Magnesia, quae sola in Asia civitas in fide manserat, summa virtute adversus Mithridatem defensa est. Praeterea Thracum in Macedonia continet gesta.

LXXXII.

SULLA copias regis, quae, Macedonia occupata, in Thessaliam venerant, proelio vicit, caesis hostium centum mil-

libus, et castris quoque expugnatis. Renovato deinde bello, iterum exercitum regis fudit ac delevit. Archelaus cum classe regia Sullae se tradidit. L. Valerius Flaccus consul, collega Cinnae, missus, ut Sullae succederet, propter avaritiam invisus exercitui suo, a C. Fimbria legato ipsius, ultimae audaciae homine, occisus est, et imperium ad Fimbriam translatum. Praeterea expugnatae in Asia urbes a Mithridate, et crudeliter direpta provincia, incursionesque Thracum in Macedoniam, referuntur.

LXXXIII.

C. FIMBRIA in Asia, fusis proelio aliquot praefectis Mithridatis, urbem Pergamum cepit, obsessumque regem, non multum abfuit, quin caperet. Urbem Ilion, quae se potestati Sullae reservabat, expugnavit ac delevit, et magnam partem Asiae recepit. Sulla multis proeliis Thracas cecidit. Quum L. Cinna et Cn. Papirius Carbo, ab se ipsis consules per biennium creati, bellum contra Sullam pararent, effectum est per L. Valerium Flaccum principem senatus, qui orationem in senatu habuit, et per eos, qui concordiae studebant, ut legati ad Sullam de pace mitterentur. Cinna ab exercitu suo, quem invitum cogebat naves conscendere, et adversus Sullam proficisci, interfectus est. Consulatum Carbo solus gessit. Sulla, quum in Asiam traiecisset, pacem cum Mithridate fecit; ita ut is cederet provinciis Asia, Bithynia, Cappadocia. Fimbria, desertus ab exercitu, qui ad Sullam transierat, ipse se percussit: impetravitque de servo suo, praebens cervicem, ut se occideret.

LXXXIV.

SULLA legatis, qui a senatu missi erant, futurum se in potestate senatus respondit, si cives, qui pulsi a Cinna ad se confugerant, restituerentur. Quae conditio quum iusta senatui videretur, per Carbonem factionemque eius, cui bellum videbatur utilius, ne conveniret, effectum est. Idem Carbo, quum ab omnibus oppidis Italiae coloniisque obsides exigere vellet, ut fidem eorum contra Sullam obligaret, consensu senatus prohibitus est. Novis civibus senatus-

consulto suffragium datum est. Q. Metellus Pius, qui partes optimatium secutus erat, quum in Africa bellum moliretur, a C. Fabio praetore pulsus est: senatusque consultum per factionem Carbonis et Marianarum partium factum est, ut omnes ubique exercitus dimitterentur. Libertini in quinque et triginta tribus distributi sunt. Praeterea belli apparatum, quod contra Sullam excitabatur, continet.

LXXXV.

SULLA in Italiam cum exercitu traiecit, missisque legatis, qui de pace agerent, a consule C. Norbano violatis, eundem Norbanum proelio vicit. Et quum L. Scipionis alterius consulis, cum quo per omnia id egerat, ut pacem iungeret, nec potuerat, castra oppugnaturus esset, universus exercitus consulis, sollicitatus per emissos a Sulla milites, signa ad Sullam transtulit. Scipio, quum occidi posset, dimissus est. Cn. Pompeius, Cn. F. eius, qui Asculum ceperat, conscripto voluntariorum exercitu, cum tribus legionibus ad Sullam venerat; ad quem se nobilitas omnis conferebat, ita ut deserta urbe ad castra veniretur. Praeterea expeditiones per totam Italiam utriusque partis ducum referuntur.

LXXXVI.

QUUM C. Marius, C. Marii filius, cónsul ante annos viginti per vim creatus esset, C. Fabius in Africa propter crudelitatem et avaritiam in praetorio suo vivus exustus est. L. Philippus legatus Sullae Sardiniam, Q. Antonio praetore pulso et occiso, occupavit. Sulla cum Italicis populis, ne timeretur ab iis, velut erepturus civitatem et suffragii ius nuper datum, foedus percussit. Idemque, ex fiducia iam certae victoriae, litigatores, a quibus adibatur, vadimonia Romam differre iussit, quum a parte diversa urbs adhuc teneretur. L. Damasippus praetor, ex voluntate C. Marii consulis quum senatum contraxisset, omnem, quae in urbe erat, nobilitatem trucidavit: ex cuius numero Q. Mucius Scaevola pontifex maximus fugiens in vestibulo aedis Vestae occisus est. Praeterea bellum a L. Murena adversus Mithridatem in Asia renovatum continet.

LXXXVII.

SULLA C. Marium, exercitu eius fuso deletoque ad Sacriportum, in oppido Praeneste obsedit: urbem Romam ex inimicorum manibus recepit: Marium erumpere tentantem repulit. Praeterea res a legatis eius, eadem ubique fortuna partium, gestas continet.

LXXXVIII.

SULLA Carbonem, exercitu eius fuso ad Clusium, ad Faventiam Fidentiamque caeso, Italia expulit: cum Samnitibus, qui soli ex Italicis populis nondum arma posuerant, iuxta urbem Romanam ante portam Collinam debellavit: recuperataque republica, pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo hominum fuit, inquinavit. Octo millia deditorum in villa publica trucidavit: tabulam proscriptionis proposuit: urbem ac totam Italiam caedibus replevit: inter quas omnes Praenestinos inermes concidi iussit: Marium, senatorii ordinis virum, cruribus brachiisque fractis, auribus praesectis, et effossis oculis, necavit. C. Marius, Praeneste obsessus a Lucretio Ofella, Sullanarum partium viro, quum per cuniculum captaret evadere, saeptus ab exercitu, mortem sibi conscivit, id est, in ipso cuniculo, quum sentiret se evadere non posse, cum Pontio Telesino, fugae comite, stricto utrimque gladio, concurrit: quem quum occidisset, ipse saucius impetravit a servo, ut se occideret.

LXXXIX.

M. BRUTUS a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram appulerat, missus nave piscatoria Lilybaeum, ut exploraret, an ibi Pompeius esset, et circumventus a navibus, quas Pompeius miserat, in se mucrone verso, ad transtrum navis obnixus corporis pondere, et incubuit. Cn. Pompeius, in Siciliam cum imperio a senatu missus, Cn. Carbonem, qui flens muliebriter mortem tulit, captum occidit. Sulla, dictator factus, quod nemo unquam fecerat, cum fascibus viginti quattuor processit. Legibus novis reipublicae statum confirmavit, tribunorum plebis potestatem minuit,

et omne ius legum ferendarum ademit. Pontificum augurumque collegium ampliavit, ut essent quindecim; senatum ex equestri ordine supplevit: proscriptorum liberis ius petendorum honorum eripuit, et bona eorum vendidit: ex quibus plurima primo rapuit. Redactum est sestertium ter millies quingenties. Q. Lucretium Ofellam, consulatum adversus voluntatem suam petere ausum, iussit occidi in foro: et, quum hoc indigne ferret populus Romanus, concione advocata, se iussisse dixit. Cn. Pompeius in Africa Cn. Domitium proscriptum et Hiarbam, regem Numidiae, bellum molientes, victos occidit; et, quattuor et viginti annos natus, adhuc eques Romanus, quod nulli contigerat, ex Africa triumphavit. C. Norbanus consularis proscriptus, in urbe Rhodo quum comprehenderetur, ipse se occidit. Mutilus, unus ex proscriptis, clam capite adoperto ad posticas aedes Bastiae uxoris quum accessisset, admissus non est, quia illum proscriptum diceret; itaque se transfodit, et sanguine suo fores uxoris respersit. Sulla Nolam a Samnitibus recepit: quadraginta septem legiones in agros captos deduxit, et eos iis divisit. Volaterras, quod oppidum adhuc in armis erat, obsessum, in deditionem accepit. Mitylenae quoque in Asia, quae sola urbs post victum Mithridatem arma retinebat, expugnatae dirutaeque sunt.

XC.

SULLA decessit, honosque ei a senatu habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. M. Aemilius Lepidus, quum acta Sullae tentaret rescindere, bellum excitavit, et a Q. Catulo collega Italia pulsus est: et in Sardinia, frustra bellum molitus, periit. M. Brutus, qui Cisalpinam Galliam obtinebat, a Cn. Pompeio occisus est. Q. Sertorius proscriptus in ulteriore Hispania ingens bellum excitavit. L. Manlius proconsul et L. Domitius legatus ab Hirtuleio quaestore proelio victi sunt. Praeterea res a P. Servilio proconsule adversus Cilicas gestas continet.

XCI.

CN. POMPEIUS, quum adhuc eques esset, cum imperio consulari adversus Sertorium missus est. Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque civitates in potestatem suam redegit. Ap. Claudius proconsul Thracas pluribus proeliis

vicit. Q. Metellus proconsul L. Hirtuleium, quaestorem Sertorii, cum exercitu cecidit.

XCII.

CN. POMPEIUS dubio eventu cum Sertorio pugnavit, ita ut singula ex utraque parte cornua vicerint. Q. Metellus Sertorium et Perpernam cum duobus exercitibus proelio fudit: cuius victoriae partem cupiens ferre Pompeius parum prospere pugnavit. Obsessus deinde Cluniae Sertorius, assiduis eruptionibus non leviora damna obsidentibus intulit. Praeterea ab Curione proconsule in Thracia res gestas adversus Dardanos, et Q. Sertorii multa crudelia in suos facta continet; qui plurimos ex amicis et secum proscriptis, crimine proditionis insimulatos, occidit.

XCIII.

P. SERVILIUS proconsul in Cilicia Isauros domuit, et aliquot urbes piratarum expugnavit. Nicomedes, Bithyniae rex, moriens populum Romanum fecit heredem, regnumque eius in provinciae formam redactum est. Mithridates, foedere cum Sertorio icto, bellum populo Romano intulit. Apparatus deinde regiarum copiarum pedestrium navaliumque, et, occupata Bithynia, M. Aurelius Cotta consul ad Chalcedonem proelio a rege victus, resque a Pompeio et a Metello adversus Sertorium gestae; qui omnibus belli militiaeque artibus par fuit. Quos etiam, ab obsidione Calagurris oppidi depulsos, coegit diversas regiones petere, Metellum ulteriorem Hispaniam, Pompeium Galliam.

XCIV.

L. LICINIUS LUCULLUS consul adversus Mithridatem equestribus proeliis feliciter pugnavit, et expeditiones aliquot prosperas fecit, poscentesque pugnam milites a seditione inhibuit. Deiotarus, Gallograeciae tetrarches, praefectos Mithridatis, bellum in Phrygia moventes, cecidit. Praeterea res a Cn. Pompeio in Hispania contra Sertorium prospere gestas continet.

XCV.

C. CURIO proconsul Dardanos in Thracia domuit. Quattuor et septuaginta gladiatores Capuae ex ludo Lentuli profugerunt: et, congregata servitiorum ergastulorumque multitudine, Crixo et Spartaco ducibus bello excitato, Claudium Pulchrum legatum et P. Varinium praetorem proelio vicerunt. L. Lucullus proconsul ad Cyzicum urbem exercitum Mithridatis fame ferroque delevit; pulsumque Bithynia regem, variis belli ac naufragiorum casibus fractum, coegit in Pontum profugere.

XCVI.

Q. ARRIUS praetor Crixum, fugitivorum ducem, cum viginti millibus hominum cecidit. Cn. Lentulus consul male adversus Spartacum pugnavit. Ab eodem L. Gellius consul et Q. Arrius praetor acie victi sunt. Sertorius a M'. Antonio, et M. Perperna, et aliis coniuratis in convivio interfectus est, octavo ducatus sui anno: magnus dux, et adversus duos imperatores, Pompeium et Metellum, saepe par, vel frequentius victor: ad ultimum desertus et proditus. Imperium partium ad M. Perpernam translatum est: quem Cn. Pompeius victum captumque interfecit, ac recepit Hispanias decimo fere anno, quam coeptum erat bellum. C. Cassius proconsul et Cn. Manlius praetor male adversus Spartacum pugnaverunt; idque bellum M. Crasso praetori mandatum est.

XCVII.

M. CRASSUS praetor primum cum parte fugitivorum, quae ex Gallis Germanisque constabat, feliciter pugnavit, caesis hostium triginta quinque millibus, et duce eorum Gannico. Cum Spartaco deinde debellavit, caesis cum ipso millibus sexaginta. M. Antonius praetor bellum adversus Cretenses, parum prospere gestum, morte sua finivit. M. Lucullus proconsul Thracas subegit. L. Lucullus in Ponto adversus Mithridatem feliciter pugnavit, caesis hostium amplius quam sexaginta millibus. M. Crassus et

Cn. Pompeius consules facti (sed Pompeius, antequam quaesturam gereret, ex equite Romano) tribuniciam potestatem restituerunt. Iudicia quoque per L. Aurelium Cottam praetorem ad equites Romanos translata sunt. Mithridates, desperatione rerum suarum coactus, ad Tigranem Armeniae regem confugit.

XCVIII.

MACHARES, filius Mithridatis, Bospori rex, ab L. Lucullo in amicitiam receptus est. Cn. Lentulus et L. Gellius censores asperam censuram egerunt, quattuor et sexaginta senatu motis: a quibus, lustro condito, censa sunt civium capita quadringenta quinquaginta millia. L. Metellus praetor in Sicilia adversus piratas prospere rem gessit. Templum Iovis in Capitolio, quod incendio consumptum ac refectum erat, a Q. Catulo dedicatum est. L. Lucullus in Armenia Mithridatem et Tigranem, et ingentes utriusque regis copias, pluribus proeliis fudit. Q. Metellus proconsul, bello sibi adversus Cretenses mandato, Cydoniam urbem obsedit. C. Triarius, legatus Luculli, adversus Mithridatem parum prospere pugnavit. Lucullum, ne persequeretur Mithridatem ac Tigranem, summamque victoriae imponeret, seditio militum tenuit, quia sequi nolebant: id est, quia legiones Valerianae, impleta a se stipendia dicentes, Lucullum reliquerunt.

XCIX.

Q. METELLUS proconsul Gnosson, et Lyctum, et Cydoniam, et alias plurimas urbes expugnavit. L. Roscius tribunus plebis legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quattuordecim gradus proximi assignarentur. Cn. Pompeius, lege ad populum lata, persequi piratas iussus, qui commercium annonae intercluserant, intra quadragesimum diem toto mari eos expulit; belloque cum iis in Cilicia confecto, acceptis in deditionem piratis agros et urbes dedit. Praeterea res gestas a Q. Metello adversus Cretenses continet: et epistolas Metelli et Cn. Pompeii in vicem missas. Queritur Metellus, gloriam sibi rerum gestarum a Pompeio praeripi, qui in Cretam miserit legatum suum ad accipiendas urbium deditiones. Pompeius rationem reddit, hoc se facere debuisse.

C.

C. MANLIUS tribunus plebis magna indignatione nobilitatis legem tulit, ut Pompeio Mithridaticum bellum mandaretur. Concio eius bona. Q. Metellus, perdomitis Cretensibus, liberae in id tempus insulae leges dedit. Cn. Pompeius, ad gerendum bellum adversus Mithridatem profectus, cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit; equestri proelio Mithridatem vicit. Praeterea bellum inter Phraatem Parthorum regem, et Tigranem Armeniorum, ac deinde inter Tigranem filium patremque gestum, continet.

CI.

CN. POMPEIUS MITHRIDATEM, nocturno proelio victum, coegit Bosporon profugere. Tigranem in deditionem accepit, eique, ademptis Syria, Phoenice, Cilicia, regnum Armeniae restituit. Coniuratio eorum, qui in petitione consulatus ambitus damnati erant, facta de interficiendis consulibus, oppressa est. Cn. Pompeius, quum Mithridatem persequeretur, in ultimas ignotasque gentes penetravit. Iberos Albanosque, qui transitum non dabant, proelio vicit. Praeterea fugam Mithridatis per Colchos, Heniochosque, et res ab eo in Bosporo gestas continet.

CII.

CN. POMPEIUS in provinciae formam Pontum redegit. Pharnaces, filius Mithridatis, bellum patri intulit. Ab eo Mithridates obsessus in regia, quum veneno sumpto parum profecisset ad mortem, a milite Gallo, nomine Bitoeto, a quo, ut adiuvaret se, petierat, interfectus est. Cn. Pompeius Iudaeos subegit: fanum eorum in Hierosolyma, inviolatum ad id tempus, cepit. L. Catilina, bis repulsam in petitione consulatus passus, cum Lentulo praetore, et Cethego, et pluribus aliis, coniuravit de caede consulum et senatus, incendiis urbis, et opprimenda republica; exercitu quoque in Etruria comparato. Ea coniuratio industria M. Tullii Ciceronis eruta est. Catilina urbe pulso, de reliquis coniuratis supplicium sumptum est.

CIII.

CATILINA a C. Antonio proconsule cum exercitu caesus est. P. Clodius accusatus, quod in habitu muliebri in sacrarium, in quod virum intrare nefas est, intrasset, et uxorem maximi pontificis stuprasset, absolutus est. C. Pontinius praetor Allobrogas, qui rebellaverant, ad Solonem domuit. P. Clodius ad plebem transiit. C. Caesar Lusitanos subegit: eoque consulatus candidato, et captante rempublicam invadere, conspiratio inter tres principes civitatis facta est, Cn. Pompeium, M. Crassum, C. Caesarem. Leges agrariae a Caesare consule cum magna contentione, invito senatu, et altero consule M. Bibulo, latae sunt. C. Antonius proconsul in Thracia parum prospere rem gessit. M. Cicero, lege a P. Clodio tribuno plebis lata, quod indemnatos cives necavisset, in exsilium missus est. Caesar, in provinciam Galliam profectus, Helvetios, vagam gentem, domuit: quae, sedem quaerens, per provinciam Caesaris Narbonem iter facere volebat. Praeterea situm Galliarum continet. Pompeius de liberis Mithridatis, Tigrane, et Tigranis filio, triumphavit: Magnusque a tota concione consalutatus est.

CIV.

PRIMA pars libri situm Germaniae moresque continet. C. Caesar, quum adversus Germanos, qui Ariovisto duce in Galliam transcenderant, exercitum duceret, rogatus ab Aeduis et Sequanis, quorum ager possidebatur, trepidationem militum, propter metum novorum hostium ortam, allocutione exercitus inhibuit, et victos proelio Germanos Gallia expulit. M. Cicero, Pompeio inter alios orante, et T. Annio Milone tribuno plebis agente, ingenti gaudio senatus ac totius Italiae, ab exsilio reductus est. Cn. Pompeio per quinquennium annonae cura mandata est. Caesar Ambianos, Suessiones, Veromanduos, Atrebates, Belgarum populos, quorum ingens multitudo erat, proelio victos in deditionem accepit: ac deinde contra Nervios unius civitatis cum magno discrimine pugnavit, eamque gentem delevit; quae bellum gessit, donec ex sexaginta millibus armatorum trecenti superessent: ex sexcentis senatoribus

tres tantum evaderent. Lege lata de redigenda in provinciae formam Cypro, et publicanda pecunia regia, M. Catoni administratio eius rei mandata est. Ptolemaeus Aegypti rex, ob iniurias, quas patiebantur, a suis regno pulsus, Romam venit. C. Caesar Venetos, gentem Oceano iunctam, navali proelio vicit. Praeterea res a legatis eius eadem fortuna gestas continet.

CV.

QUUM C. Catonis tribuni plebis intercessionibus comitia tollerentur, senatus vestem mutavit. M. Cato in petitione praeturae, praelato Vatinio, repulsam tulit. Idem, quum legem impediret, qua provinciae consulibus in quinquennium, Pompeio Hispaniae, Crasso Syria et Parthicum bellum, Caesari Gallia et Germania dabantur, a C. Trebonio tribuno plebis, legis auctore, in vincula ductus est. A. Gabinius proconsul Ptolemaeum reduxit in regnum Aegypti, eiecto Archelao, quem sibi regem asciverant. Caesar, victis Germanis in Gallia caesisque, Rhenum transcendit, et proximam partem Germaniae domuit: ac deinde Oceano in Britanniam, primo parum prospere, tempestatibus adversis, traiecit; iterum felicius: magnaque multitudine hostium caesa, aliquam partem insulae in potestatem redegit.

CVI.

IULIA, Caesaris filia, Pompeii uxor, decessit: honosque ei a populo habitus est, ut in campo Martio sepeliretur. Gallorum aliquot populi, Ambiorige duce Eburonum, defecerunt: a quibus Cotta et Titurius, legati Caesaris, circumventi insidiis, cum exercitu, cui praeerant, caesi sunt: et quum aliarum quoque legionum castra oppugnata magno labore defensa essent, inter quae eius, qui in Nerviis praeerat, Q. Ciceronis, ab ipso Caesare hostes proelio fusi sunt. M. Crassus, bellum Parthis illaturus, Euphratem fluvium transiit, victusque proelio, in quo et filius eius cecidit, quum reliquias exercitus in collem recepisset, evocatus in colloquium ab hostibus, velut de pace acturis, quorum dux erat Surenas, comprehensus, et, ne quid vivus pateretur, repugnans interfectus est.

CVII.

C. CAESAR, Treviris in Gallia victis, iterum in Germaniam transiit: nulloque ibi hoste invento, reversus in Galliam, Eburones et alias civitates, quae conspiraverant, vicit, et Ambiorigem in fuga persecutus est. P. Clodii, a T. Annio Milone, candidato consulatus, Appia via ad Bovillas occisi, corpus plebs in curia cremavit. Quum seditiones inter candidatos consulatus Hypsaeum, Scipionem, et Milonem essent, qui armis ac vi contendebant; ad comprimendas eas Cn. Pompeius legatus a senatu consul tertium factus est, absens et solus, quod nulli alii unquam contigit. Quaestione decreta de morte P. Clodii, Milo iudicio damnatus in exsilium actus est. Lex lata est, ut ratio absentis Caesaris in petitione consulatus haberetur invito et contradicente M. Catone. Praeterea res gestas a C. Caesare adversus Gallos, qui prope universi, Vercingentorige Arverno duce, defecerunt, et laboriosas obsidiones urbium continet: inter quas Avarici Biturigum et Gergoviae Arvernorum.

CVIII.

C. CAESAR GALLOS ad Alesiam vicit, omnesque Galliae civitates, quae in armis fuerant, in deditionem accepit. C. Cassius, quaestor M. Crassi, Parthos, qui in Syriam transcenderant, cecidit. In petitione consulatus M. Cato repulsam tulit, creatis consulibus Ser. Sulpicio, M. Marcello. C. Caesar Bellovacos cum aliis Gallorum populis domuit. Praeterea contentiones inter consules de successore C. Caesari mittendo, agente in senatu M. Marcello consule, ut Caesar ad petitionem consulatus veniret, quum is lege lata in tempus consulatus provincias obtinere deberet, resque a M. Bibulo in Syria gestas continet.

CIX.

CAUSAE civilium armorum et initia referuntur, contentionesque de successore C. Caesari mittendo, quum se

dimissurum exercitus negaret, nisi a Pompeio dimitterentur. Et C. Curionis tribuni plebis primum adversus Caesarem, deinde pro Caesare actiones continet. Quum senatusconsultum factum esset, ut successor Caesari mitteretur, M. Antonio et Q. Cassio tribunis plebis, quoniam intercessionibus id senatusconsultum impediebant, urbe pulsis, mandatum est a senatu consulibus et Cn. Pompeio ut viderent, ne quid respublica detrimenti caperet. C. Caesar, bello inimicos persecuturus, cum exercitu in Italiam venit: Corfinium cum L. Domitio et P. Lentulo cepit, eosque dimisit. Cn. Pompeium ceterosque partium eius Italia expulit.

CX.

C. CAESAR MASSILIAM, quae portas ipsi clauserat, obsedit: et, relictis in obsidione urbis eius legatis, C. Trebonio et D. Bruto, profectus in Hispaniam, L. Afranium et M. Petreium, legatos Cn. Pompeii, cum septem legionibus ad Ilerdem in deditionem accepit, omnesque incolumes dimisit, Varrone quoque legato Pompeii cum exercitu in potestatem suam redacto. Gaditanis civitatem dedit. Massilienses, duobus navalibus proeliis victi, post longam obsidionem potestati Caesaris se permiserunt. C. Antonius, legatus Caesaris, male contra Pompeianos in Illyrico rebus gestis, captus est. In quo bello Opitergini Transpadani, Caesaris auxiliares, rate sua ab hostilibus navibus clausa, potius, quam in potestatem hostium venirent, inter se concurrentes occubuerunt. C. Curio, legatus Caesaris in Africa, quum prospere adversus Varum, Pompeianarum partium ducem, pugnasset, a Iuba, rege Mauritaniae, cum exercitu caesus est. C. Caesar in Graeciam traiecit.

CXI.

M. COELIUS RUFUS praetor, quum seditiones in urbe concitaret, novarum tabularum spe plebe sollicitata, abrogato magistratu pulsus urbe, Miloni exsuli, qui fugitivorum exercitum contraxerat, se coniunxit. Uterque, quum bellum molirentur, interfecti sunt. Cleopatra, Aegypti regina, a Ptolemaeo fratre regno pulsa est. Propter Q. Cassii praetoris avaritiam crudelitatemque Cordubenses in His-

pania cum duabus Varronianis legionibus a partibus Caesaris desciverunt. Cn. Pompeius, ad Dyrrhachium obsessus a Caesare, et, praesidiis eius cum magna clade diversae partis expugnatis, obsidione liberatus, translato in Thessaliam bello, apud Pharsaliam acie victus est. Cicero in castris remansit, vir nihil minus quam ad bella natus; omnibusque adversarum partium, qui se potestati victoris permiserunt, Caesar ignovit.

CXII.

TREPIDATIO victarum partium in diversas orbis terrarum partes et fuga referuntur. Cn. Pompeius, quum Aegyptum petisset, iussu Ptolemaei regis pupilli, auctore Theodoto praeceptore, cuius magna apud regem auctoritas erat, et Pothino, occisus est ab Achilla, cui id facinus erat delegatum, in navicula, antequam in terram exiret. Cornelia uxor et Sex. Pompeius filius Cypron refugerunt. Caesar, post tertium diem insecutus, quum ei Theodotus caput Pompeii et annulum obtulisset, et offensus est, et illacrimavit; nec sine periculo Alexandriam tumultuantem intravit. Caesar, dictator creatus, Cleopatram in regnum Aegypti reduxit, et inferentem bellum iisdem auctoribus Ptolemaeum, quibus Pompeium interfecerat, cum magno suo discrimine vicit. Ptolemaeus dum fugit, in Nilo navicula subsedit. Praeterea laboriosum M. Catonis in Africa per deserta cum legionibus iter, et bellum a Cn. Domitio contra Pharnacem parum prospere gestum continet.

CXIII.

CONFIRMATIS in Africa Pompeianis partibus, imperium earum P. Scipioni delatum est; Catone, cui ex aequo deferebatur imperium, cedente. Et quum de diruenda urbe Utica propter favorem civitatis eius in Caesarem deliberaretur, idque ne fieret, M. Cato tenuisset, Iuba suadente, ut diruereturr; tutela eius et custodia mandata est Catoni. Cn. Pompeius, Magni filius, in Hispania, contractis viribus, quarum ducatum nec Afranius, nec Petreius excipere volebant, bellum adversus Caesarem renovavit. Pharnaces, Mithridatis filius, rex Ponti, sine ulla belli mora victus est.

Quum seditiones Romae a P. Dolabella tribuno plebis legem ferente de novis tabulis, excitatae essent, et ex ea causa plebs tumultuaretur, inductis a M. Antonio magistri equitum in urbem militibus, octingenti e plebe caesi sunt. Caesar veteranis cum seditione missionem postulantibus dedit: et, quum in Africam traiecisset, contra copias Iubae regis cum discrimine magno pugnavit.

CXIV.

BELLUM in Syria Caecilius Bassus, eques Romanus Pompeianarum partium, excitavit, relicto a legione Sex. Caesare, quae ad Bassum transierat, occisoque eo. Caesar Scipionem praetorem, Afranium, Iubamque vicit ad Thapsum, castris eorum expugnatis. Cato, audita re, *quum* se percussisset Uticae, et, interveniente filio, curaretur, inter ipsam curationem rescisso vulnere exspiravit, anno aetatis quadragesimo octavo. Petreius Iubam seque interfecit. P. Scipio in nave circumventus honestae morti vocem quoque adiecit: quaerentibus enim imperatorem hostibus dixit, Imperator bene se habet. Faustus et Afranius occisi: Catonis filio venia data. Brutus, legatus Caesaris, in Gallia Bellovacos rebellantes proelio vicit.

CXV.

CAESAR quattuor triumphos duxit; ex Gallia, ex Aegypto, ex Ponto, ex Africa. Epulum et omnis generis spectacula dedit. M. Marcello consulari, senatu *rogante*, reditum concessit: quo beneficio eius Marcellus frui non potuit, a Cn. Magio Cilone cliente suo Athenis *occisus*. Recensum egit, quo censa sunt civium capita centum quinquaginta millia. Profectusque in Hispaniam adversus Cn. Pompeium, multis utrimque expeditionibus factis, et aliquot urbibus expugnatis, summam victoriam cum magno discrimine ad Mundam urbem consecutus est. Pompeius Sextus effugit.

CXVI.

C. CAESAR ex Hispania quintum triumphum egit. Et, quum plurimi maximique honores ei a senatu decreti essent,

inter quos ut Pater Patriae appellaretur, et sacrosanctus ac dictator in perpetuum esset, invidiae causam adversus eum praestitere, quod senatui deferenti hos honores, quum ante aedem Veneris Genitricis sederet, non assurrexit: et quod a M. Antonio consule collega suo, inter Lupercos currente, diadema capiti suo impositum in sella reposuit: et quod Epidio Marullo et Caesetio Flavo tribunis plebis invidiam ei tanquam regnum affectanti moventibus, potestas abrogata est. Ex iis causis conspiratione in eum facta, cuius capita fuerunt M. Brutus, et C. Cassius, et ex Caesaris partibus D. Brutus et C. Trebonius, in Pompeii curia occisus est viginti tribus vulneribus, occupatumque ab interfectoribus eius Capitolium. Oblivione deinde caedis eius a senatu decreta, obsidibus Antonii et Lepidi liberis acceptis, coniurati a Capitolio descenderunt. Testamento Caesaris heres ex parte dimidia institutus C. Octavius, sororis nepos, et in nomen adoptatus est. Caesaris corpus, quum in campum Martium ferretur, a plebe ante Rostra crematum est. Dictaturae honos in perpetuum sublatus est. C. Amatius, humillimae sortis homo, qui se C. Marii filium ferebat, quum apud credulam plebem seditiones moveret, necatus est.

CXVII.

C. OCTAVIUS Romam ex Epiro venit, (eo enim illum Caesar praemiserat, bellum in Macedonia gesturus) ominibusque prosperis exceptus etiam nomen Caesaris sumpsit. In confusione rerum ac tumultu Lepidus pontificatum maximum intercepit. Sed M. Antonius consul, quum impotenter dominaretur, legemque de permutatione provinciarum per vim tulisset, et Caesarem quoque petentem, ut sibi adversus percussores avunculi adesset, magnis iniuriis affecisset; Caesar, et sibi, et reipublicae vires adversus eum paraturus, deductos in colonias veteranos excitavit. Legiones quoque quarta et Martia signa ab Antonio ad Caesarem tulerunt. Deinde et complures saevitia M. Antonii, passim in castris suis trucidantis, qui suspecti erant, ad Caesarem desciverunt. D. Brutus, ut petenti Cisalpinam Galliam Antonio obsisteret, Mutinam cum exercitu occupavit. Praeterea discursus utriusque partis virorum ad accipiendas provincias, apparatusque belli continet.

CXVIII.

M. BRUTUS in Graecia sub praetextu reipublicae et susceptí contra M. Antonium belli exercitum, cui Vatinius praeerat, cum provincia in potestatem suam redegit. C. Caesari, qui pro republica arma sumpserat, propraetoris imperium a senatu datum est cum consularibus ornamentis: adiectumque, ut senator esset. M. Antonius D. Brutum Mutinae obsedit: missique ad eum a senatu legati de pace parum ad eam componendam valuerunt. Populus Romanus saga sumpsit. M. Brutus in Epiro C. Antonium praetorem cum exercitu potestati suae subiecit.

CXIX.

C. TREBONIUS in Asia fraude P. Dolabellae occisus est. Ob id facinus Dolabella hostis a senatu iudicatus est. Quum Pansa consul male adversus Antonium pugnasset, A. Hirtius consul cum exercitu superveniens, fusis M. Antonii copiis, fortunam utriusque partis aequavit. Victus deinde ab Hirtio et Caesare Antonius in Galliam confugit, et M. Lepidum cum legionibus, quae sub ipso erant, sibi iunxit: hostisque a senatu cum omnibus, qui intra praesidia eius essent, iudicatus est. A. Hirtius, qui post victoriam in ipsis hostium castris ceciderat, et C. Pansa, e vulnere, quod in adverso proelio exceperat, defunctus, in campo Martio sepulti sunt. Adversus C. Caesarem, qui solus e tribus ducibus supererat, parum gratus senatus fuit: qui, D. Bruto, obsidione Mutinensi a Caesare liberato, honore triumphi decreto, Caesaris militumque eius mentionem non satis gratam habuit. Ob quae C. Caesar, reconciliata per M. Lepidum cum M. Antonio gratia, Romam cum exercitu venit, et, perculsis adventu eius iis, qui in eum iniqui erant, quum annos novendecim haberet, consul creatus est.

CXX.

CAESAR consul legem tulit de quaestione habenda in eos, quorum opera pater occisus esset: postulatique ea lege M. Brutus, C. Cassius, D. Brutus, absentes damnati sunt.

Quum M. Antonio vires Asinius quoque Pollio et Munatius Plancus, cum exercitibus suis adiuncti, ampliassent, et D. Brutus, cui senatus, ut persequeretur Antonium, mandaverat, relictus a legionibus suis, profugisset; iussu Antonii, in cuius potestatem venerat, a Capeno Sequano interfectus est. C. Caesar pacem cum Antonio et Lepido fecit: ita ut tresviri reipublicae constituendae per quinquennium essent ipse, et Lepidus, et Antonius; et ut suos quisque inimicos proscriberent. In qua proscriptione plurimi equites Romani, centum triginta senatorum nomina fuerunt, et inter eos L. Paulli, fratris M. Lepidi, et L. Caesaris, Antonii avunculi, et M. Ciceronis. Huius, occisi a Popillio legionario milite, quum haberet annos sexaginta tres, caput quoque cum dextra manu in Rostris positum est. Praeterea res a M. Bruto in Graecia gestas continet.

CXXI.

C. CASSIUS, cui mandatum a senatu erat, ut Dolabellam hostem iudicatum bello persequeretur, auctoritate reipublicae adiutus, Syriam cum tribus exercitibus, qui in eadem provincia erant, in potestatem suam redegit. Dolabellam, in urbe Laodicea obsessum, mori coegit. M. quoque Bruti iussu C. Antonius captus, occisus est.

CXXII.

M. BRUTUS adversus Thracas prospere rem gessit: omnibusque transmarinis provinciis exercitibusque in potestatem eius et C. Cassii redactis, coierunt Smyrnae uterque ad ordinanda belli futuri consilia. M. Messallae Poplicolam fratrem victum communi consilio condonaverunt.

CXXIII.

SEX. POMPEIUS, Magni filius, lectis ex Epiro proscriptis ac fugitivis, cum exercitu diu, sine ulla loci cuiusquam possessione, praedatus in mari, Messanam oppidum

in Sicilia primum, deinde totam provinciam occupavit: occisoque A. Pompeio Bithynico praetore, Q. Salvidienum legatum Caesaris navali proelio vicit. Caesar et Antonius cum exercitibus in Graeciam traiecerunt, bellum contra Brutum et Cassium gesturi. Q. Cornificius in Africa T. Sextium, Cassianarum partium ducem, proelio vicit.

CXXIV.

C. CAESAR et Antonius apud Philippos vario eventu adversus Brutum et Cassium pugnaverunt, ita ut dextra utrimque cornua vincerent, et castra quoque utrimque a iis, qui vicerant, expugnarentur. Sed inaequalem fortunam partium mors Cassii fecit: qui, quum in eo commfuisset, quod pulsum erat, totum exercitum fusum ratus mortem sibi conscivit. Altero deinde proelio victus M. Brutus et ipse vitam finivit, exorato Stratone fugae comite, ut sibi gladium adigeret: idemque fecerunt principum Romanorum circiter quadraginta, inter quos Q. Hortensius erat.

CXXV.

C. CAESAR, relicto trans mare Antonio, quae provinciae ex partitione imperii in potestatem eius cesserant, reversus in Italiam veteranis agros divisit. Seditiones exercitus sui, quas corrupti a Fulvia, M. Antonii uxore, milites adversus imperatorem suum concitaverant, cum gravi periculo inhibuit. L. Antonius consul, M. Antonii frater, eadem Fulvia consiliante, bellum Caesari intulit; receptis in partes suas populis, quorum agri veteranis assignati erant, et M. Lepido, qui custodiae urbis cum exercitu praeerat, fuso, hostiliter in urbem irrupit.

CXXVI.

C. CAESAR, quum esset annorum viginti trium, obsessum in oppido Perusia L. Antonium, conatumque aliquoties erumpere, et repulsum, fame coegit in deditionem venire: ipsique et omnibus militibus eius ignovit. Perusiam diruit: redactisque in potestatem suam omnibus diversae partis exercitibus, bellum citra ullum sanguinem confecit.

CXXVII.

PARTHI, Labieno, qui Pompeianarum partium fuerat, duce, in Syriam irruperunt: victoque Decidio Saxa, M. Antonii legato, totam eam provinciam occupaverunt. M. Antonius, quum ad bellum contra Caesarem gerendum paratus esset, uxore Fulvia amissa, ne concordiae ducum obstaret, pace facta cum Caesare, sororem eius Octaviam in matrimonium duxit. Q. Salvidienum, consilia nefaria contra Caesarem molitum, indicio suo protraxit, isque damnatus mortem sibi conscivit. P. Ventidius, Antonii legatus, Parthos, proelio victos, Syria expulit, Labieno eorum duce occiso. Quum vicinus Italiae hostis Sex. Pompeius Siciliam teneret, et commercium annonae impediret, cum eo postulatam pacem Caesar et Antonius fecerunt, ita ut Siciliam provinciam haberet. Praeterea motus Africae et bella ibi gesta continet.

CXXVIII.

QUUM Sex. Pompeius rursus latrociniis mare infestum redderet, nec pacem, quam acceperat, praestaret, Caesar, necessario adversus eum bello suscepto, duobus navalibus proeliis dubio eventu pugnavit. P. Ventidius, legatus M. Antonii, Parthos in Syria proelio vicit, regemque eorum occidit. Iudaei quoque a legatis Antonii subacti sunt. Praeterea belli Siculi apparatum continet.

CXXIX.

ADVERSUS Sex. Pompeium vario eventu navalibus proeliis pugnatum est: ita ut ex duabus Caesariis classibus altera, cui Agrippa praeerat, vinceret; altera, quam Caesar duxerat, deleta, exposita in terram milites in magno periculo essent. Victus deinde Pompeius in Siciliam profugit. M. Lepidus, qui ex Africa velut ad societatem belli, contra Sex. Pompeium a Caesare gerendi, traiecerat, quum bellum Caesari quoque inferret, relictus ab exercitu, abrogato triumviratus honore, vitam impetravit. M. Agrippa navali corona a Caesare donatus est: qui honos nulli ante eum habitus erat.

CXXX.

M. ANTONIUS, dum cum Cleopatra luxuriatur, tarde Mediam ingressus, bellum cum legionibus octodecim et sexdecim millibus equitum Parthis intulit: et quum duabus legionibus amissis, nulla re prospere cedente, retro rediret, insecutis subinde Parthis, et ingenti trepidatione, et magno totius exercitus periculo, in Armeniam reversus est, viginti et uno diebus trecenta millia fuga emensus. Circa octo millia hominum tempestatibus amisit: tempestates quoque infestas, super tam infeliciter susceptum Parthicum bellum culpa sua passus est; quia hiemare in Armenia nolebat, dum ad Cleopatram festinat.

CXXXI.

SEX. POMPEIUS, quum in fidem M. Antonii veniret, bellum adversus eum in Asia moliens, oppressus a legatis eius, occisus est. Caesar seditionem veteranorum, cum magna pernicie motam, inhibuit: Iapydas, et Dalmatas, et Pannonios subegit. Antonius Artavasdem, Armeniae regem, fide data perductum, in vincula coniici iussit, regnumque Armeniae filio suo, ex Cleopatra nato, dedit: quam uxoris loco, iam pridem captus amore eius, habere coeperat.

CXXXII.

CAESAR in Illyrico Dalmatas domuit. Quum M. Antonius ob amorem Cleopatrae, ex qua duos filios habebat, Philadelphum et Alexandrum, neque in urbem venire vellet, neque, finito triumviratus tempore, imperium deponere, bellumque moliretur, quod urbi et Italiae inferret, ingentibus tam navalibus quam terrestribus copiis ob hoc contractis, remissoque Octaviae, sorori Caesaris, repudio, Caesar in Epirum cum exercitu traiecit. Pugnae deinde navales et proelia equestria secunda Caesaris referuntur.

CXXXIII.

M. ANTONIUS, ad Actium classe victus, Alexandriam profugit; obsessusque a Caesare, in ultima rerum desperatione, praecipue occisae Cleopatrae falso rumore impulsus, se ipse interfecit. Caesar, Alexandria in potestatemredacta, Cleopatra, ne in arbitrium victoris veniret, voluntaria morte defuncta, in urbem reversus, tres triumphos egit: unum ex Illyrico, alterum ex Actiaca victoria, tertium de Cleopatra, imposito fine civilibus bellis altero et vicesimo anno. M. Lepidus, Lepidi, qui triumvir fuerat, filius, coniuratione contra Caesarem facta, bellum moliens, oppressus et occisus est.

CXXXIV.

CAESAR, rebus compositis, et omnibus provinciis in certam formam redactis, Augustus quoque cognominatus est: et mensis Sextilis in honorem eius appellatus est. Quum ille conventum Narbone ageret, census a tribus Galliis, quas Caesar pater vicerat, actus. Bellum adversus Bastarnas, et Moesos, et alias gentes, a M. Crasso gestum, refertur.

CXXXV.

BELLUM a M. Crasso adversus Thracas, et a Caesare adversus Hispanos gestum refertur: et Salassi, gens Alpina, perdomiti.

CXXXVI.

RAETIA a Ti. Nerone et Druso, Caesaris privignis, domita. Agrippa, Caesaris gener, mortuus; et a Druso census actus est.

CXXXVII.

CIVITATES Germaniae, cis Rhenum et trans Rhenum positae, oppugnantur a Druso; et tumultus, qui ob censum

exortus in Gallia erat, compositus; ara Caesari ad confluentem Araris et Rhodani dedicata, sacerdote creato C. Iulio Vercundari Dubio Aeduo.

CXXXVIII.

THRACES domiti a L. Pisone; item Cherusci, Tencteri, Chatti, aliaeque Germanorum trans Rhenum gentes subactae a Druso referuntur. Octavia, soror Augusti, defuncta antea amisso filio Marcello: cuius monumenta sunt theatrum et porticus, nomine eius dedicata.

CXXXIX.

BELLUM adversus Transrhenanas gentes a Druso gestum refertur: in quo inter primores pugnaverunt Senectius et Anectius tribuni, ex civitate Nerviorum. Dalmatas et Pannonios Nero, frater Drusi, subegit. Pax cum Parthis facta est, signis a rege eorum, quae sub Crasso, et postea sub Antonio capta erant, redditis.

CXL.

BELLUM adversus Germanorum trans Rhenum civitates gestum a Druso, refertur. Ipse ex fractura, equo super crus eius collapso, tricesimo die, quam id acciderat, mortuus est. Corpus a Nerone fratre, qui, nuntio valetudinis evocatus, raptim accurrerat, Romam pervectum, et in C. Iulii tumulo conditum. Laudatus est a Caesare Augusto vitrico, et supremis eius plures honores additi.

T. LIVII PATIVINI

HISTORIARUM FRAGMENTA.

T. LIVII PATIVINI

HISTORIARUM FRAGMENTA.

Fragmentis, quae probabili coniectura ad suos libros referri possunt, asteriscus est praefixus: cetera, quibus locum in Livii libris assignare non licet, cum epistolae filio inscriptae reliquiis deinceps adiecta sunt.

---

* *Ex lib. XII.*

PYRRHUS unicus pugnandi artifex, magisque in proelio, quam bello, bonus. *Serv. ad Virg. Aen. I.* 456.

* *Ex lib. XIII.*

Curribus falcatis usos esse maiores, et Livius et Sallustius docent. *Serv. ad Virgil. Aen. I.* 476. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 38.

* *Ex lib. XIV.*

Privato nos tenuissemus. *Priscian. lib. XV. p.* 1009. *ed. Putsch. Vol. I. p.* 620. *ed. Krehl.*

* *Ex lib. XVI.*

Sichaeus Sicharbas dictus est; Belus, Didonis pater, Methres; Carthago a Carthada, ut lectum est: quod invenitur in historia Poenorum, et in Livio. *Serv. ad Virgil. Aen. I.* 343.

Carthago est lingua Poenorum nova civitas, ut docet Livius. *Serv. ad Virgil. Aen. I.* 366. *Cf. Solin. cap.* 27.

Bitias classis Punicae fuit praefectus, ut docet Livius. *Serv. ad Virgil. Aen. I.* 738.

* *Ex lib. XVII.*

Pridie Nonas. Pridie Idus. *Priscian. lib. XIV. p.* 992. *ed. Putsch. Vol. I. p.* 601. *ed. Krehl.*

* *Ex lib. XVIII.*

Imberbes. *Charis. lib. I. p.* 74. *ed. Putsch.*

Serpentis quoque a T. Livio curiose pariter ac facunde relata fiat mentio. Is enim ait, in Africa apud Bagradam flumen tantae magnitudinis anguem fuisse, ut Atilii Regui exercitum usu amnis prohiberet: multisque militibus ingenti ore correptis, compluribus caudae voluminibus elisis, quum telorum iactu perforari nequiret, ad ultimum ballistarum tormentis undique petitam, silicum crebris et ponderosis verberibus procubuisse, omnibusque et cohortibus et legionibus ipsa Carthagine visam terribiliorem. Atque etiam cruore suo gurgitibus imbutis, corporisque iacentis pestifero afflatu vicina regione polluta, Romana inde summovisse castra. Dicit etiam, belluae corium centum viginti pedum in urbem missum. *Valer. Max. I.* 8. *ext.* 19. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 15. *sq.*

* *Ex lib. XIX.*

Tertii ludi (saeculares) fuerunt, Antiate Livioque auctoribus, P. Claudio Pulchro, C. Iunio Pullo consulibus. *Censorin. de Die Nat. cap.* 17. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 31.

Est in Livio, quod, quum quidam cupidus belli gerendi a tribuno plebis arceretur, ne iret, pullos iussit afferri. Qui quum missas non ederent fruges, irridens consul augurium ait: *Vel bibant;* et eos in Tiberim praecipitavit. Inde navibus victor revertens ad Africam in mari cum omnibus, quos ducebat, exstinctus est. *Serv. ad Virgil. Aen. VI.* 198. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 21.

* *Ex lib. XXII.*

Et reparando subgressu manu haud magna Alisiae moenia, quasi palans perveniens, ex opido bellua constructa armamentis erupit, quam consul vi captam, trucidatis, qui in ea constiterant, reservat ad pugnam. Sed opidani, sicut

quibus curae pusillum inerat, in diem alteram umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque omine meliori receptant, et Alifas, Ruffium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinistrum augurio nomen imponunt accolae.

Haec verba haud dubie spuria et misere depravata Liv. XXII. 18. 5. *post illa:* super Allifas loco alto ac munito consedit, *inserta legi in cod. Laudino* 1. [Laud. Lat. 112.] *monuit Hearnius. Eadem deprehendit Drakenborchius in cod. Recanatiano, sed sic variata:*

Et reparando subgressus haud magis Alifae moenia quum palans perveniens ex oppido bellua constã a Romanis erupit, quam consul vi captam, trucidatis, qui in ea constiterant, resservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut queis curae pusillum inerat, in diem altam umbonibus beluatis paucos fugaces invadunt, elephantemque meliorem receptant. Et Alifas, Rufrium quondam vocitatas, ab dextro sequente sinisteriorum augurio nomen imponunt accolae.

* *Ex lib. XLIX.*

De quartorum ludorum (saecularium) anno triplex opinio est. Antias enim et Varro et Livius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino, M'. Manilio consulibus, post Romam conditam anno sexcentesimo quinto. *Censorin. de Die Nat. cap.* 17.

* *Ex lib. LVI.*

Qui Pompeium morbum excusasse ferunt, ne, quum interesset deditioni, animos Numantinorum irritaret. *Priscian. lib. XVIII. p.* 1198. *ed. Putsch. Vol. II. p.* 240. *ed. Krehl.*

* *Ex lib. LXXVII.*

Sulla nobilissimum coniugium contrahit, Caecilia ducta, Metelli pontificis maximi filia. Ob quod cecinit multa in eum probrose vulgus, multique ex primoribus inviderunt ei, indignum illa femina existimantes, ut Titus ait, quem consulatu iudicaverant dignum. *Plutarch. Sull. cap.* 6. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 2.

Sulla quum primum ad urbem contra Marium castra movisset, adeo laeta exta immolanti fuisse scribit Livius, ut custodiri se Postumius haruspex voluerit, capitis supplicium

subiturus, nisi ea, quae in animo Sulla haberet, diis invantibus implevisset. *Augustin. de Civ. Dei II.* 24. *Cf. Plutarch. Sull. cap.* 9.

* *Ex lib. LXXXIII.*

Eversis quippe et incensis omnibus cum oppido simulacris, solum Minervae simulacrum sub tanta ruina templi illius, ut scribit Livius, integrum stetisse perhibetur. *Augustin. de Civ. Dei III.* 7. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 7.

* *Ex lib. XCI.*

U. C. 678.
A. C. 76.

[Contrebienses, quum, super cetera, extrema fames etiam instaret, multis saepe frustra conatibus captis, ut bellum ab urbe ac moenibus propulsarent, coniectis de muro ignibus Sertorii opera infestarunt; et turris contabulata, quae omnia munimenta urbis superabat altitudine, effusis hausta flammis cum ingenti fragore procidit. Nocte] tamen insequenti, ipso pervigilante, in eodem loco alia excitata turris prima luce miraculo hostibus fuit. Simul et oppidi turris, quae maximum propugnaculum fuerat, subrutis fundamentis, dehiscere ingentibus rimis, et tum [conflagrare immiss]o [faci]um igni, coepit: incendiique simul et ruinae metu territi Contrebienses de muro trepidi refugerunt; et, ut legati mitterentur ad dedendam urbem, ab universa multitudine conclamatum est. Eadem virtus, quae irritantes oppugnaverat, victorem placabiliorem fecit. Obsidibus acceptis, pecuniae modicam exegit summam, armaque omnia ademit. Trans[f]ugas liberos vivos ad se adduci iussit: fugitivos, quorum maior multitudo erat, ipsis imperavit, ut interficerent. Iugulatos de muro deiecerunt.

Cum magna iactura militum quattuor et quadraginta diebus Contrebia expugnata, relictoque ibi L. Insteio [cum valido praesidio], ipse ad Iberum flumen copias adduxit. Ibi hibernaculis secundum oppidum, quod Castra Aelia vocatur, aedificatis, ipse in castris manebat: interdiu conventum sociarum civitatium in oppido agebat. Arma ut fierent pro copiis cuiusque populi, per totam provinciam edixerat: quibus inspectis, referre cetera arma milites iussit, quae aut itineribus crebris, aut oppu[gnationibus et proeliis inutilia] facta erant, novaque viris per centuriones divisit. Equitatum quoque novis instruxit armis: vestimentaque, praeparata ante, divisa, et stipendium datum. Fabros, cura conquisitos, undique exciverat, quibus, officina publica

in[stituta, uteretur]; ratione inita, quid in singulos dies effici possit.

Itaque omnia simul instrumenta belli parabantur: neque materia artificibus, praeparatis ante omnibus [e]nixo civi[ta]tium [st]udio, nec suo quisque operi artifex deerat. Convocatis deinde omnium populorum legationibus et civitatium, gratias egit, quod, quae imperata essent in [p]ede[s]tre[s copias, prae]sti[tissent]: quas ipse res [in defendendis sociis], quasque in oppugnandis urbibus hostium gessisset, exposuit, et ad reliqua belli cohortatus est; paucis edoctos, quantum Hispaniae provinciae interesset, suas partes superiores esse. Dimisso deinde conventu, iussisque omnibus [bono animo esse, atque] in civitate[s redi]re suas, principio veris M. Perpernam cum viginti millibus peditum, equitibus mille quingentis, in Ilercaonum gentem misit, ad tuendam regionis eius maritimam oram: datis praeceptis, quibus itineribus duceret ad defendendas socias urbes, quas Pompeius oppugnaret, quibusque ipsum agmen Pompeii ex insidiis aggrederetur. U. C. 679. A. C. 75.

Eodem tempore et ad Herennuleium, qui in iisdem locis erat, literas misit, et in alteram provinciam ad L. Hirtuleium, praecipiens, quemadmodum bellum administrari vellet: ante omnia, ut ita socias civitates tueretur, ne acie cum Metello dimicaret, cui nec auctoritate nec viribus par esset. Ne ipsi quidem consilium esse ducere [ad]versus Pompeium: neque in aciem descensurum eum credebat. Si traheretur bellum, hosti, quum mare ab tergo, provinciasque omnes in potestate haberet, navibus undique commeatus venturos: ipsi autem, consumptis priore aestate, quae praeparata fuissent, omnium rerum inopiam fore. Perpernam in maritimam regionem superpositum, ut ea, quae integra adhuc ab hoste sint, tueri posset, et, si qua occasio detur, incautos per tempus aggressurum. Ipse cum suo exercitu in Berones et Autrigones progredi statuit: a quibus saepe per hiemem, quum ab se oppugnarentur Celtiber[ae] urbes, imploratam esse opem Pompeii compererat, missosque qui itinera exercitui Romano monstrarent; et [ab] ipsorum equitibus vexatos saepe milites suos, quocunque a castris, per oppugnationem Contrebiae, pabulandi aut frumentandi causa pro[grederentur]. Ausi tum quoque [erant] Arevacos in [p]artes [sollicitare]. Edito [igitur exemplo] belli, consilium se initurum, utrum prius hostem, utram provinciam [petat]: maritimamne oram, ut Pompeium ab Ilercaonia et Contestania arceat, utraque socia gente, an ad Metellum et Lusitaniam se convertat.

Haec secum agitans Sertorius praeter Iberum amnem per pacatos agros quietum exercitum sine ullius noxa duxit.

Profectus inde in Bursaonum et Cascantinorum et Grachuritanorum fines, evastatis omnibus, proculcatisque segetibus, ad Calagurim Nasicam, sociorum urbem, venit: transgressusque amnem propinquum urbi, ponte facto castra posuit. Postero die M. Marium quaestorem in Arevacos et Cerindones misit, ad conscribendos ex iis gentibus milites, frumentumque inde Contrebiam, [quae Leucada appellatur, comportandum, praeter quam urbem opportunissimus ex Beronibus transitus erat, in quamcunque regionem ducere exercitum statuisset: et C. Insteium praefectum equitum, Segoviam et in Vaccaeorum gentem ad equitum conquisitionem misit, iussum, cum equitibus Contrebiae sese opperiri. Dimissis iis ipse profectus, per Vasconum agrum ducto exercitu, in confinio Beronum posuit castra. Postero die cum equitibus praegressus ad itinera exploranda, iusso pedite quadrato agmine sequi, ad Vareiam, validissimam regionis eius urbem, venit. Hanc inopinantibus iis noctu advenerat. Undique equitibus e suae gentis et Autrig[onum accitis oppidani, eruptione facta, Sertorio obviam ierunt, ut eum aditu arcerent.] *De hoc fragmento, quod primum a Brunsio et Iuvenalio, deinde a Niebuhrio ex codice Vaticano editum esse constat, vid. infr. p.* 287. *sqq. ubi excerpta quaedam e Tom. IV. p.* 325. *sqq. editionis maioris Kreyssigianae subiciuntur.*

Hoc primum proelium inter Sertorium et Pompeium fuit. Decem millia hominum de Pompeii exercitu amissa, et omnia impedimenta, Livius auctor est. *Frontin. Strateg. II.* 5. 31. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 19.

* *Ex lib. XCIV.*

Livius in libro nonagesimo quarto Inarimen in Maeoniae partibus esse dicit; ubi per quinquaginta millia terrae igni exustae sunt. Hoc etiam Homerum significasse vult. *Serv. ad Virgil. Aen. IX.* 715.

* *Ex lib. XCVII.*

Triginta quinque millia armatorum (fugitivorum a Crasso devictorum) eo proelio interfecta cum ipsis ducibus (Casto et Gannico) Livius tradit, receptas quinque Romanorum aquilas, signa sex et viginti, multa spolia, inter quae fasces cum securibus. *Frontin. Strateg. II.* 5. 34. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 4.

* *Ex lib. XCVIII.*

Livius ait, numquam Romanos signa cum hostibus conlisse tanto numero inferiores. Neque enim vigesimam opemodum partem, imo nec minorem, aequarunt victores ctorum. *Plutarch. Lucull. cap.* 28. *Cf. Freinshem. upplem. cap.* 49.

Livius auctor est, priore proelio (ad Tigranocerta) plures isse, in hoc (ad Artaxata) nobiliores hostium caesos et iptos. *Plutarch. Lucull. cap.* 31. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 73.

* *Ex lib. XCIX.*

Creta primo quidem centum habuit civitates; unde Hecatompolis dicta est: post viginti quattuor: inde, ut licitur, duas, Gnosson et Hierapytnam. Quamvis Livius plures a Metello expugnatas dicat. *Serv. ad Virgil. Aen. III.* 106.

* *Ex lib. CII.*

Quod quum diluisset. *Agroetius de Orthogr. p.* 2267. *ed. Putsch.*

Etenim capta urbe (Hierosolyma a Cn. Pompeio) tertio demum mense, die ieiunii, Olympiade centesima septuagesima nona, C. Antonio et M. Tullio Cicerone consulibus, quum hostes vi ingressi eos, qui erant in templo, iugularent; tamen, qui sacra procurabant, nihilo secius rem divinam facere perseverabant, neque metu vitae amittendae, neque ob hominum iam caesorum multitudinem in fugam compulsi, et satius esse rati, quicquid pati esset necesse, ad ipsas perferre aras, quam aliquid legibus patriis praeceptum negligere. Haec autem non esse fabulosa, unice ad falsam pietatem praedicandam spectantia, sed vera, testimonio sunt, qui res a Pompeio gestas memoriae prodiderunt; in his Strabo et Nicolaus, ac praeter hos T. Livius, historiae Romanae scriptor. *Ioseph. Ant. Iud. XIV.* 4. 3.

Ex lib. CIII.

Horrendus magis est, perimit qui corpora, carbo.
Urit hic inclusus, vitalia rumpit apertus:
Hunc veteres quondam variis pepulere medelis.
Tertia namque Titi simul et centesima Livi
Charta docet, ferro talem candente dolorem

Exsectum, aut poto raporum semine pulsum:
Infecti dicens vix septem posse diebus
Vitam produci: tanta est violentia morbi.
Q. Seren. Samon. de Medic. cap. 39. *vs.* 725, sqq.

* *Ex lib. CV.*

Formam totius Britanniae Livius veterum, Fabius Rusticus recentium, eloquentissimi auctores, oblongae scutulae vel bipenni assimulavere. *Tacit. Agric. cap.* 10.

Britanniae licet magnitudinem olim nemo, ut refert Livius, circumvectus est, multis tamen data est varia opinio de ea loquendi. *Iornandes de rebus Getic. cap.* 2.

* *Ex lib. CIX.*

Septingentesimo conditionis suae anno quattuordecim vicos eius (Romae) incertum unde consurgens flamma consumpsit: nec unquam, ut ait Livius, maiore incendio vastata est; adeo ut post aliquot annos Caesar Augustus ad reparationem eorum, quae tunc exusta erant, magnam vim pecuniae ex aerario publico largitus sit. *Oros. VII.* 2.

Caesar, Rubicone flumine transmeato, mox ut Ariminum venit, quinque cohortes, quas tunc solas habebat, cum quibus, ut ait Livius, orbem terrarum adortus est, quid facto opus esset, edocuit. *Oros. VII.* 45. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 39.

* *Ex lib. CXI.*

Primus hostem percussit nuper pilo sumpto primo C. Crastinus. *Scholiast. vet. Lucani ad Phars. VII.* 471.

Patavii C. Cornelius, auguralis scientiae peritus, Livii historici civis et familiaris, sub idem forte tempus operam dabat auspicio. Hic primum, ut Livius tradit, tempus proelii (Pharsalici) cognovit, praesentibusque geri dixit nunc rem, et proelium duces committere. Ubi iterum cepit augurium, conspexitque signa, fanaticus exsiluit, clamans: *Vincis, Caesar.* Obstupescentibus illis, qui aderant, detracta capiti corona iuravit, non prius se repositurum eam, quam arti respondisset eventus. Hoc Livius verum esse affirmat. *Plutarch. Caes. cap.* 47. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 72.

Ex lib. CXII.

Bogud, Bogudis, nomen barbarum, quod Livius in CXII. declinavit Bogudis. *Priscian. lib. V. p.* 643. *ed. Putsch. Vol. I. p.* 172. *ed. Krehl. coll. lib. VI. p.* 686. *ed. Putsch. Vol. I. p.* 234. *ed. Krehl.*

Castra quoque diversis partibus Cassius et Bogud adorti haud multum abfuere, quin opera perrumperent.

Quo tempore firmandi regni Bogudis causa exercitum in Africam velociter traiicere conatus sit.

Cassius gessisset cum Trebonio bellum, si Bogudem trahere in societatem furoris potuisset. *Priscian. lib. VI. p.* 686. *sq. ed. Putsch. Vol. I. p.* 234. *ed. Krehl.*

Quadringenta millia librorum Alexandriae arserunt, pulcherrimum regiae opulentiae monumentum. Alius laudaverit, sicut Livius, qui elegantiae regum curaeque egregium id opus ait fuisse. *Seneca de Tranquill. anim. cap.* 9. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 43.

Ex lib. CXIII.

Et ipse circa Palpud oram tuebatur. *Priscian. lib. VI. p.* 687. *ed. Putsch. Vol. I. p.* 234. *ed. Krehl.*

* *Ex lib. CXIV.*

Haec de Basso produnt nonnulli; Livius vero, militasse eum Pompeii auspiciis: quo victo privatum egisse Tyri, corruptisque quibusdam legionariis effecisse, ut, interfecto Sexto, ipsum sibi ducem sumerent. *Appian. Bell. Civ. III.* 77. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 1.

Optarem mihi contingere, quod T. Livius scribit de Catone: cuius gloriae neque profuit quisquam laudando, nec vituperando quisquam nocuit, quum utrumque summis praediti fecerint ingeniis. Significat autem M. Ciceronem et C. Caesarem, quorum alter laudes, alter vituperationes supra dicti scripsit viri. *Hieronym. Prol. lib. II. in Hoseam.*

* *Ex lib. CXVI.*

Aedibus Caesaris ornatus maiestatisque causa ex senatusconsulto adiunctum erat fastigium, ut Livius narrat. Id per quietem Calpurnia collabi imaginata videbatur sibi

lamentari et flere. Itaque orta luce rogavit Caesarem, si qua fieri posset, ne prodiret in publicum, sed in aliud tempus senatum reiiceret. *Plutarch. Caes. cap.* 63. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 47.

Malum omen est, quoties Aetna, mons Siciliae, non fumum, sed flammarum egerit globos: et, ut dicit Livius, tanta flamma ante mortem Caesaris ex Aetna monte defluxit, ut non tantum vicinae urbes, sed etiam Rhegina civitas, quae multo spatio ab ea distat, afflaretur. *Serv. ad Virgil. Georg. I.* 471.

Quod de Caesare maiore vulgo dictitatum est, et a T. Livio positum, in incerto esse, utrum illum magis nasci reipublicae profuerit, an non nasci, dici etiam de ventis potest. *Seneca Nat. Quaest. V.* 18. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 116.

Ex lib. CXVIII.

Adversus interfectores C. Caesaris ultoribus manum comparans concibat. *Priscian. lib. IX. p.* 865. *ed. Putsch. Vol. I. p.* 458. *ed. Krehl.*

* *Ex lib. CXX.*

M. Cicero sub adventum triumvirorum cesserat urbe, pro certo habens, id quod erat, non magis Antonio eripi se, quam Caesari Cassium et Brutum, posse. Primo in Tusculanum fugit, inde transversis itineribus in Formianum, ut ab Caieta navim conscensurus, proficiscitur. Unde aliquoties in altum provectum quum modo venti adversi retulissent, modo ipse iactationem navis, caeco volvente fluctu, pati non posset, taedium tandem eum et fugae et vitae cepit: regressusque ad superiorem villam, quae paullo plus mille passibus a mari abest, 'Moriar,' inquit, 'in patria 'saepe servata.' Satis constat, servos fortiter fideliterque paratos fuisse ad dimicandum; ipsum deponi lecticam, et quietos pati, quod sors iniqua cogeret, iussisse. Prominenti ex lectica, praebentique immotam cervicem caput praecisum est. Nec satis stolidae crudelitati militum fuit. Manus quoque, scripsisse in Antonium aliquid exprobrantes, praeciderunt. Ita relatum caput ad Antonium, iussuque eius inter duas manus in Rostris positum; ubi ille consul, ubi saepe consularis, ubi eo ipso anno adversus Antonium, quanta nulla unquam humana vox, cum admiratione eloquentiae auditus fuerat. Vix attollentes prae

lacrimis oculos homines intueri trucidata membra eius poterant. Vixit tres et sexaginta annos, ut, si vis abfuisset, ne immatura quidem mors videri possit: ingenium et operibus et praemiis operum felix: ipse fortunae diu prosperae, et in longo tenore felicitatis magnis interim ictus vulneribus, exsilio, ruina partium, pro quibus steterat, filiae morte, exitu tam tristi atque acerbo, omnium adversorum nihil, ut viro dignum erat, tulit praeter mortem: quae vere aestimanti minus indigna videri potuit, quod a victore inimico nil crudelius passus erat, quam quod eiusdem fortunae compos ipse fecisset. Si quis tamen virtutibus vitia pensarit, vir magnus, acer, memorabilis fuit, et in cuius laudes persequendas Cicerone laudatore opus fuerit. *M. Seneca Suasor. VII. Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 60, *sqq.*

Ex lib CXXVII.

Quoniam inter Augustum et Antonium reliquiae adhuc erant dissensionis, Cocceius Nerva, proavus Nervae, qui postea imperavit Romae, mandavit Augusto, ut mitteret, qui de summa rerum tractarent. Ergo missus est Maecenas cum Agrippa, qui utrumque exercitum in una castra coegerunt, ut ait Livius lib. CXXVII. Intelligendum autem, quod Fonteio misso ab Antonio, Augustus Maecenatem et ceteros ad eundem locum emiserit. *Acro ad Horat. Sat. I.* 5. 29.

Dissensione orta inter Caesarem Augustum Antoniumque, Cocceius Nerva, avus eius, qui postea Romae imperavit, petiit a Caesare, ut aliquem, qui de summa rerum tractaret, mitteret Tarracinam. Et primum Maecenas, mox et Agrippa congressi sunt, hique pepigerunt fidem confirmatissimam, et in una castra conferri signa utriusque exercitus iusserunt. Hoc et T. Livius lib. CXXVII. refert, excepta Capitonis mentione. *Porphyrio ad Horat. Sat. I.* 5. 29.

Ab Antonio missus fuerat Fonteius Capito legatus, ab Augusto Maecenas, intercedente Cocceio Nerva, proavo Nervae imperatoris, qui et Augusto et Antonio gratus erat, cum Agrippa. Ea autem conditione convenerant legati, ut de summa rerum tractarent, exortamque dissensionem inter duos hos imperatores componerent; quod et fecerunt, et utrumque exercitum iuxta Brundisium in una castra cum magna laetitia coegerunt, ut infert Livius lib. CXXVII. *Commentator Cruquii ad Horat. Sat. I.* 5. 29. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 20, *sqq.*

* *Ex lib. CXXXIII.*

Livius refert, Cleopatram, quum ab Augusto capta indulgentius de industria tractaretur, dicere solitam: *Non triumphabor. Commentator Cruquii ad Horat. Od. I.* 37. 30.

Ex lib. CXXXVI.

Eodem anno ludos saeculares Caesar ingenti apparatu fecit; quos centesimo quoque anno (is enim terminus saeculi) fieri mos. *Censorin. de Die Nat. cap.* 17. *Cf. Freinshem. Supplem. cap.* 46.

Vir ingenii magni magis, quam boni. *Seneca de Ira I.* 16.

Profiteor, mirari me, T. Livium, auctorem celeberrimum, in Historiarum suarum, quas repetit ab origine urbis, quodam volumine sic exorsum: Satis iam sibi gloriae quaesitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere. *Plinius in Praefat. lib. I. Hist. Nat.*

T. Livius ac Nepos Cornelius latitudinis (freti Gaditani) tradiderunt, ubi minus, septem millia passuum; ubi vero plurimum, decem millia. *Plinius in Praefat. lib. III. Hist. Nat.*

Completis consulibus. *Serv. ad Virgil. Georg. III.* 1.

Verba sunt, ut habemus in Livio, imperatoris transfugam recipientis in fidem: *Quisquis es, noster eris. Serv. ad Virgil. Aen. II.* 148.

Imperatorem me mater mea, non bellatorem peperit. *Hoc Scipionis dictum ex Livio afferre videtur Guilielmus Malmesburiensis Rer. Angl. lib. II. p.* 162.

Dic mihi, quum saepe numero in Romanis historiis legatur, Livio auctore, saepissime in hac urbe exorta pestilentia infinita hominum millia deperiisse, atque eo frequenter ventum, ut vix esset, unde illis bellicosis temporibus exercitus potuisset ascribi, illo tempore deo tuo Februario minime litabatur? An etiam cultus hic omnino nihil proderat? Illo tempore Lupercalia non celebrabantur? Nec enim dicturus es, haec sacra adhuc illo tempore non coepisse, quae ante Romulum ab Evandro in Italiam per-

hibentur illata. Lupercalia autem propter quid instituta sint, (quantum ad ipsius superstitionis commenta respectant) Livius secunda decade loquitur: nec propter morbos inhibendos instituta commemorat, sed propter sterilitatem mulierum, quae tunc acciderat, exsolvendam. *Ex Gelasii Papae Epist. adversus Andromachum in Baronii Annal. eccles. ad a.* 496. *num.* 35.

Secundum Livium legati pacis caduceatores dicuntur. *Serv. ad Virgil. Aen. IV.* 241.

Livius argentum grave dicit, id est, massas. *Serv. ad Virgil. Aen. VI.* 862. *Cf. Isidor. XVI.* 17.

In hoc summo (promontorio Circaeo) oppidum fuit, quod et Circaeum dictum et Circaei. Nam utrumque Livius dicit. *Serv. ad Virgil. Aen. VII.* 10.

T. Livius tam iniquus Salustio fuit, ut hanc ipsam sententiam: 'Res secundae mire sunt vitiis obtentui,' et tanquam translatam et tanquam corruptam dum transfertur, obiiceret Salustio. Nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum praeferat. Laudat, quem non timet, et facilius putat posse a se Salustium vinci, si ante a Thucydide vincatur. *Seneca Controv. XXIV.*

T. Livius de oratoribus, qui verba antiqua et sordida consectantur, et orationis obscuritatem severitatem putant, aiebat, Miltiadem rhetorem eleganter dixisse: *Ἐπὶ τῷ πλησίον μαίνονται. Seneca Controv. XXV.*

In hoc malum a quibusdam etiam laboratur: neque id novum vitium est, quum iam apud T. Livium inveniam, fuisse praeceptorem aliquem, qui discipulos 'obscurare,' quae dicerent, iuberet, Graeco verbo utens, *σκότισον.* Unde illa scilicet egregria laudatio: 'Tanto melior: ne ego 'quidem intellexi.' *Quintil. Inst. Orat. VIII.* 2. 18.

Fuit igitur brevitas illa tutissima, quae apud Livium in epistola ad filium scripta, 'legendos Demosthenem atque 'Ciceronem: tum ita, ut quisque esset Demostheni et 'Ciceroni simillimus.' *Quintil. Inst. Orat. X.* 1. 39. *coll. II.* 5. 20.

T. LIVII PATAVINI HISTORIARUM LIB. XCI. FRAGMENTUM IN CODICE VATICANO A PAULLO IACOBO BRUNSIO REPERTUM.

τὸ δὲ ζητούμενον
ἀλωτόν· ἐκφεύγει δὲ τἀμελούμενον.
SOPHOCLES in Oedipo Tyranno v. 110.

EPISTOLA

PAULLI IACOBI BRUNSII AD BENIAMINUM KENNICOTTUM.

QUUM superiore anno mense Maio Romae degerem, pervolutatis orientalium linguarum codicibus bibliothecae Vaticanae, ad evolvendos Graecos, Latinos, qui instituto meo inservire possent, me converti. Ex his autem eos potissimum seligendos esse duxi, qui aliis doctis viris ob praestantiam antiquitatemque laudati erant. Blanchinius vero quum in Evangeliario et Vindiciis multos antiquos et insignes afferat codices, pluteumque et locum, ubi in bibliotheca Vaticana custodiuntur, indicet: horum librorum ut mihi copia fieret, a praefectis petii, atque, quae eorum fuit in me eximia humanitas, nullo unquam nec locorum nec temporis intervallo obliteranda, facile impetravi. Inter illos autem singulari laude a Blanchinio extollitur codex Latinus, designatus No. 24. in bibliotheca Palatino-Vaticana[1], complectens libros Tobiae, Iudithae, Iobi et Esthe-

1 De codicibus Palatinis, calamitoso belli in trigesimum annum extracti tempore Heidelberga Romam sacrilega manu abductis et, quod nostrae aetati contigit, ut videremus, ex parte saltem in patriam restitutis,

ris[2]; quem quidem quum ad manus sumerem, statim animadverti, sub libris in eo contentis antiquiorem latere scripturam, libros scilicet Tobiae ceterosque antiquioris characteri, quisquis sit, a librario superscriptos esse; codicem igitur ad id manuscriptorum genus pertinere, quod vulgo rescriptos vocant, rectius, verbo Ciceroniano (vid. Epp. ad Div. lib. vii. ep. 18.) palimpsestos dixeris. Neglecto igitur posteriore illo textu, qui tamen et ipse antiquissimus est, ad saeculum octavum fortasse referendus, cuius characteris specimen Blanchinius exhibet, ea tantum inquirere, atque, si possem, eruere constitui, quae olim in membrana conscripta erant. Nec aliter facere potui, quum Tuis vestigiis insistens, Praestantissime Kennicott, in aliarum linguarum codicibus iam pridem consueveram, quae alia manus illeverat, parum curare, in id omni meo studio collato, ut veterem deletamque restituerem lectionem. Magnopere praeterea miratus sum, Blanchinium in pervestigandis vetustioris aevi monumentis diligentissimum duplicem huius codicis formam ne verbo quidem attigisse. Membranae autem ex variis desumptae fuere codicibus: quod antiquae scripturae diversitas ostendit; pluriumque in hoc libro codicum fragmenta reperiuntur. Prima, in quae incidi, folia olim Ciceronis orationes continebant; quumque in legendis iis diem consumseram, nihil inediti a me detectum vidi; ad alia deinde delapsus sum folia, quorum scriptura (de priore illa, non de recentiore imposita, semper loquor) valde antiqua et cum Terentio Vaticano magnam similitudinem habere videbatur. Tandem folium characterem prae se ferebat plus quam dici potest elegantem, nitidum, summae antiquitatis, uncialem; omnesque animi, industriae, oculorum nervos contendi, ut, quae primitus scripta fuerant, invenirem. Hic illic quae-

cf. A. Friederich, Geschichte der nach Rom. entführten Heidelberger Bibliothek. Karlsruhe, 1816. et Fr. Wilken, Geschichte der Bildung, Beraubung und Vernichtung der alten Heidelbergischen Büchersammlungen. Heidelberg, 1817. quibus adde, quae breviter hac de re praefatus est Creuzerus Meletematum e disciplina antiquitatis Part. I. p. 7, sq.

2 Blanchinius in Vindiciis canonicarum scripturarum vulgatae Latinae editionis p. 321. hunc codicem ait "et mirifica praestare antiquitate, et certam Hieronymianae versionis notam in subscriptione repraesentare," atque locum Iob. xlii. 12—16. "et mille iuga boum—et natur dierum," qui in codice p. 150. legitur et, quantum ex iis, quae Niebuhrius p. 56. retulit, intelligere potui, membranae ex Gellii Noctibus Atticis depromptae inscriptus est, speciminis causa in ea incisum exhibet.

3 Similiter de codicis aetate indicavit Niebuhrius p. 11. sq. "Qui vulgatum," inquiens, "temere assignandae librorum aetatis errorem vitare vult, nihil accuratius pronuntiabit, quam libros sacros, qui ibi leguntur, ante annos ferme mille scriptos esse," et hanc sententiam idoneis probavit argumentis, quae apud ipsum legi possunt.

dam vocabula mox arripui; occurrebant praeterea nomina aliunde nota, Pompeii, Contrebiae, Sertorii, dum in fronte adversae folii partis LIB. XCI. aversaeque TITI LIVI charactere minutissimo, aciem oculorum effugiente conscriptum, deprehendi[4]. Iam mihi de invento Livii fragmento, necdum edito plausi; sed ut ea de re certior fierem, Epitomen lib. XCI. perlegi; ex qua quum perspicerem, de Sertoriano bello in Hispania gesto Livium in isto libro egisse; nullus dubitavi, nec quemcunque alium dubitaturum credo, quin hoc, quod nunc exit, fragmentum T. Livii sit, nulli mortalium longa temporum serie visum atque cognitum. Itaque quum illud, quod iam inveneram, describere institui fragmentum, tum iterum codicem perlustrare, omneque quod Livii in eo esset, e tenebris in lucem educere. Sed enarrata ratione, qua fragmentum invenerim, opus erit, ut a forma, aetate aliisque proprietatibus illud, et codicem, in quo repertum est, accuratius describam. Codex Latinus Palatino-Vaticanus, nunc signatus 24. olim autem 90. 1363. complectens in forma *ὀκταπτύχῳ* minore libros Tobiae, Iudithae, Iobi et Estheris constat 176 foliis, quae nupera manus numeravit. Novem priora recens adiecta, item circa medium libri nonnulla restituta, fol. 54. ad 72. Ex ceteris ea tantum commemoranda sunt, quae olim aliorum auctorum partes fuere, saeculo octavo, ni fallor, in praesentem codicis formam redacta, quando nempe antiquiori textui novus imponebatur[5]. Folia, quae sistunt fragmentum Livianum, ceteris vetustate antecellere videntur, ob rationes mox adducendas. Secundum, ni fallor, locum obtinent folia 11. 12. 13. 14. quorum pariter character uncialis, nitidus. Sed alia ratione modoque textus in illis dispositus est, atque in foliis Livianis. Cuius

4 Cancellerius quidem, cupiditatis crimine aegre liberandus, in Praefat. p. 4. sqq. ed Lips. narrat, Iuvenatium primum, quum Brunsius ad codices Hebraicos se retulisset, in fragmentum Livianum incidisse et amicum, ut in illud una secum oculorum aciem intenderet, adhortatum esse. Sed Brunsius ipse, de cuius fide nemo dubitabit, non solum, se pervolutatis orientalium linguarum codicibus ad alios evolvendos animum adiecisse, in huius epistolae principio professus est; verum etiam, de mira editionum fragmenti Liviani diversitate a me consultus, haec rescripsit: "Iuvenatius, cui amici honorem *εὑρήματος*, licet invita veri historia, vindicare voluerunt, meo usus est apographo nondum limato et ad umbilicum perducto." Haec egregie confirmantur iis, quae partim Niebuhrius p. 86. sq. de pravo quorundam Iuvenatii fautorum ad hunc unum omnem fragmenti reperti honorem trahentium studio, partim Cancellerius in Praefat. p. 13. ed Lips. de ratione, qua fragmentum Livianum, monstrante Iuvenatio, a se descriptum et in ordinem redactum sit, fusius disseruit. Vid. infra not. 31. 35. et 42.

5 Codicem ante saeculum undecimum fuisse discerptum, ita ut pars magna periret, illo ipso saeculo resartum, iterum deinde resolutum, iterumque deminutionem passum esse, docuit Niebuhrius p. 12. sq.

vero sint auctoris, harum rerum peritis indagandum relinquo. Mihi annotasse sat est, folia passim prae se ferre LIB. VII. VIII[6]. Folia 74. 77. 81. 86. 100. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. quum charactere inter se non discrepent, ex uno codice omnia decerpta videntur, qui quidem codex complectebatur, credo, orationes Ciceronis. Nam in fol. 128. parte adversa haec legi verbi: EXPLICIT INCIPIT ROSCIO, atque in altera columna initium orationis pro Sexto Roscio Amerino. Haec autem folia Livianis antiquitate aliquanto inferiora ad saeculum septimum amandanda sunt, quippe non charactere unciali, sed maiusculo, simili librorum Tobiae, Iudithae, Iobi et Estheris consignata. Quae quidem folia optarem, ut paullo accuratius perpenderent ii, quibus haec inspiciendi legendique datur facultas[7]. Quidni enim eorum imitanda essent exempla, qui effosso aliquo in loco vel signo vel imagine vel quovis alio vetustatis monumento nec operis nec sumptibus parcunt, ut eodem in loco alia inveniant monumenta, sub terra abscondita? Nonnulla praeterea folia characterem prae se ferunt uncialem, sed maiorem, quam fragmentum Livianum, fortasse haud absimilem Virgilii Vaticani: sed adeo deleta verba sunt, et exesa fere, ut ea magis indagari posse vix crediderim[8]. Fragmentum autem, quod nunc in publicam lucem emitto, ut ad caput huius meae epistolae veniam, ex lib. XCI. Historiarum T. Livii Patavini desumptum, in foliis huius codicis 73. et 78. quae priorem eius conficiunt partem, atque 76. et 75. quae posteriorem, legitur. Quae vero de hoc fragmento proferam, magis erunt perspicua atque clara, dum annoto, folium mihi significare tale, quod duas habet tabulas sive paginas. Isti folio aliud respondet cum ipso coniunctum et in altera parte quaternionis situm. Folium cum altera sua parte, et quod una cum hac quattuor constat paginis mihi est folium duplicatum. Ex eo autem, quod de fragmento dixi, patet, dissectum illud esse atque discerptum a librario huius codicis; sed nondum sat erat separare, quae primitus

6 In his foliis complures ex Lucani Pharsalia sexti septimique libri versus sub recentiore codicis scriptura latere, iam Caiet. Melior perspexit. Vid. eius Epist. ad Nic. Gorgam p. 98. ed Neap. Rem ad liquidum perduxit Niebuhrius p. 15. Brunsius in librorum numeris errasse videtur.

7 Brunsium coniectura non fefellit, eiusque desiderio satisfecit Niebuhrius, qui de diversa horum foliorum aetate p. 22. sqq. diligenter exposuit atque ex iis partim Ciceronis orationum pro Fonteio et Rabirio fragmenta p. 47. sqq. et 71. sqq. edidit, partim lectionis varietatem p. 89. sq. enotavit. Ceterum verba, quae in fol. 128. parte adversa leguntur, plenius accuratiusque quam Brunsius et Cancellerius in Praefat. p. 4. ed. Lips. exhibuit Niebuhrius p. 74. Vid. infra not. 28.

8 Haec folia ex Gellii Noctibus Atticis deprompta esse et libri primi, secundi tertiique particulas continere, docuit Niebuhrius p. 26.

coniuncta erant: nam et folium Livianum quodque ita complicavit, ut ex uno duo faceret. Iam alius textus inscribebatur, qui transversus super priore decurrit[9]. Quare qui legere vult fragmentum Livianum, necesse est, librum eum in modum vertat, ut margo ad sinistrum ora folii infima evadat; tum explicet duo folia in unum, atque tota Livii tabula ipsi ante oculos posita erit. Num autem duo haec Liviana folia, quae reperi, connexa fuerint atque in codice huius auctoris unum fecerint duplicatum folium, an duorum duplicatorum foliorum priores partes habenda sint, incertum est. Si coniuncta fuerunt, ex medio quaternione posterior librarius folium quoddam dempsit; et ad medium librum XCI. fragmentum referendum esse, argumentum eius satis evincit. Contrebia enim Sertorium potitum esse, ibi narratur: sed de urbibus Hispaniae a Sertorio expugnatis Livium in memorata parte libri egisse, verba declarant haec, quae circa mediam Epitomen lib. XCI. leguntur: 'Sertorius aliquot urbes expugnavit, plurimasque 'civitates in potestatem suam redegit.' Codicis autem Liviani forma quae fuerit, vix definiri potest, quum fortasse iniqua manus ex oris aliquid amputaverit; attamen ad eam, quam dicere consuevimus in folio minore, accessisse mihi videtur. Character autem fragmenti Liviani uncialis, quem Benedictini Parisini in Opere suo magno Diplomatico 'écriture capitale' appellant, atque ab unciali, 'écriture onciale,' distinguunt. Sed auctoritatem Mabilloni aliorumque virorum doctorum sequi malui. Hic autem character consensu omnium eruditorum antiquissimus est, et in paucissimis invenitur manuscriptis. Livianum autem quum Romae cum libris per totum orbem famigeratissimis, Virgilio et Terentio Vaticanis, atque praeterea cum specimine codicis Virgiliani Medicei, hactenus omnium, quotquot exstant, antiquissimi habiti, quod Petrus Franciscus Fogginius V. C. in editione sua protulit, compararem: nulli horum antiquitate praestantiave illum cedere statim animadverti. Nec multo post Neapolim profectus quum vo-

9 Niebuhrius p. 15. "Longe maxima," inquit, "pars membranarum, quae ad codicem adhibitae sunt, maioris formae est, quam vulgo quartam nuncupamus; quamobrem, discissis paginarum paribus, singulae complicatae atque sic in quaterniones compositae fuerunt: recentior autem scriptura transversa super deletam ducta est, plane ut de Seduliani codicis reliquiis tradidit oculisque subiecit Angelus Maius. Hinc igitur evenit, ut, ubi folia complicata sunt, plurimis in locis, agglutinando suturaque versus integer aut omnino perierit, aut legi certe non nisi difficillime possit." Vid. Iuvenatii notam ad fragmenti lin. 11. Palimpsestorum Taurinensium, quibus plicatura minus nocuit, eandem fere rationem esse, ex Peyroni Praefat. ad Ciceronis fragmenta p. 8. colligo.

cabula Latina viderem, quae in parietibus Pompeianis et Herculanensibus inscripta sunt, quumque figura literarum fragmenti Liviani ob diuturnum earum aspectum ante oculos mihi adhuc obversaretur; adeo mihi uterque congruere videbatur character, ut unum pro altero poni posse iudicarem[10]. Romae quidem specimen characteris Liviani, quanquam maxime desideraram, procurare non potui: est enim licet summa elegantia, tamen minutus, exilis, vetustate adeo exesus fere, ut, quem adhibuerim graphices peritum, plane nihil sese in membrana videre affirmaret. Accidit autem, ut in tabula picta Herculanensi XXXVIII. in aere incisa tom. I. p. 207. Operis: 'Pitture d' Ercolano,' quaedam legantur verba Latina GENIVS HVIVS LOCI MONTIS charactere, quo de loquor, conscripta; haec igitur transcribenda et aeri incidenda curavi, haecque instar speciminis characteris, quo fragmentum Livianum consignatum est, lectores velim habeant[11]. Illud sibi praeterea persuadeant, in his verbis quum ceteras literas, tum maxime V. et M. cum literis fragmenti Liviani forma et figura plus quam dici potest, convenire, quanquam a figura, qua hae literae in Virgilio Florentino expressae sunt, paullulum recedunt. Herculanensis autem character ad Virgilium Vaticanum propius accedit, quam ad quemcunque alium uncialibus literis conscriptum librum[12]. Quae quidem omnia quum mecum reputo atque perpendo: non possum, quin inter antiquissima calamo in membrana exarata monumenta omnium primum locum huic Liviano fragmento assignem, cetera, quotquot existunt, antiquitate postponenda credam. Quum igitur mea sententia ex Livio atque Virgilio antiquissimae membranae servatae sint: illud quam feliciter evenit, ut ex naufragio, quod vetustiores libri fecerunt, eorundem auctorum tabulae non interirent, de quibus tollendis amovendisque iam Caligula cogitaverat teste Suetonio in vita Calig. cap. 34. Membranae enim Livii Virgiliique, quas orbis eruditus possidet in bibliotheca Vaticana tanquam nobilissimo loco depositas, nisi e tem-

10 Vid. quae Niebuhrius p. 19. disputavit de scripturae genere, quod in inscriptionibus Pompeianis et fragmento Liviano conspicitur.

11 Non opus esse videbatur, ut hoc characteris specimen repetendum curarem.

12 Niebuhrius fragmenti lin. 28—30. in aes incidi iussit: sed scripturae imitationem neque sibi optime, et peius etiam scalptori cessisse, p. 22. fatetur atque ad specimen Scaurianae, quod in editione Mediolanensi exhibetur, paleographiae studiosos remittit. De characterum speciminibus, quae, neque Cancellerio neque Iuvenatio probante, editioni Romanae adiecta sunt, et ridiculo chalcographi Lipsiensis illa defunctorie repetentis errore dixi in Elench. edd. fragm. Liv. p. 69. sq. Vid. infra not. 37.

poribus C. Caligulae, tamen vix ducentis credo annis minores[13]. Ut ne autem temere huius de fragmenti antiquitate iudicasse videar: testem cito meae sententiae locupletem, virum in interpretandis vetustioris aevi monumentis sagacissimum, Vitum Iuvenatium (*Vito Giovenazzi, Abbate*) cui hocce folium Livii, quum Romae fui, in bibliotheca Vaticana ostendi; qui quidem mihi magnifice de fragmento sentienti et loquenti lubentissime assensus, mihique, quod illud invenerim, suaviter, ut omnia facere solet, gratulatus est. Quum autem tam iucundum, tam excellentem virum, cuius familiaritate Romae usus sum, nomino: grata mentem subit recordatio totius octo mensium spatii, quod Romae transegi, multorum et insignium literaturae monumentorum, quae conspicere et in usum convertere licuit, virorum generis nobilitate, doctrina, humanitate praestantium, quos visi humanissime ab omnibus exceptus. Sed revertendum, unde digressi sumus, nec amplius ad hunc pulcherrimum locum divertere licet. Membrana fragmenti tenuis, ut palpanti digitis excidat, et flavi coloris. Titulus quem tabulae prae se ferunt in adversa parte LIB. XCI. et in aversa TITI LIVI[14]. Columnae in quavis tabula binae, quae singulae triginta versibus constant; columnae autem duarum paginarum versusque sese tegunt. Voces nullo intervallo a se distinctae, nisi nova rerum series orditur; ut in priore columna ultimae fragmenti paginae et praecedente puncto in secundae columnae versu sexto DEIECERVNT· CV·. Literae columnarum initiales ceteras magnitudine superant: quod et initio novae historiae[15]. Reliquae sibi aequales, ut lineis parallelis fere includi possint, exceptis tamen L. B. et F. quae interdum prae ceteris eminent[16]. Compendia scribendi varia librarius adhibuit: nam literam M. in fine lineae saepius omisit, hoc posito signo ·. quo etiam utitur ad indicandum aliarum

13 Iuvenatius harum membranarum aetatem in Antoninorum tempora incidisse, docere instituit in annotatione prima et scholiorum additamento, quod ex editione Neapolitana nostrae subiecimus. Niebuhrius autem, de eiusmodi schedarum antiquitate, quum haec scriptura ultra septingentos annos obtinuerit, caute iudicandum esse praefatus, eas iam vergente imperio scriptas esse, p. 22. suspicatus est. Neque minus circumspecte Gallettus et Amadesius in testimonio, quod ex editione Romana in nostram transtulimus, eas procul dubio ante saeculum quintum exaratas esse censuerunt.

14 Minus accurate hunc tabularum titulum exhibuerunt Cancellerius in Praefat. p. 6. ed. Lips. atque Gallettus et Amadesius in testimonio editioni Romanae subiecto.

15 Vid. notas ad fragmenti lin. 31. 151. et 187. Similiter Ciceronis orationes in codicibus Vaticanis et Mediolanensibus in capita divisas esse, observavit Niebuhrius p. 56. idemque valet de Sallustii fragmentis, quae penes me sunt, et palimpsestis Taurinensibus.

16 Non nisi literas B et F dimidia parte super ceteras eminere, Niebuhrius p. 19. testatur.

literarum defectum, ut INRITANTE[17] pro INRITANTES. Terminatio pluralis casus sexti BVS brevius in illo exprimitur B· ut MILIB· pro MILIBVS; et particula copulativa saepius sic Q· pro QVE. Duae literae in unam figuram coalescunt VL pro VL et NS pro NS; sed in fine tantum versus, ne literas a suis syllabis seiungere et ad sequentem versum transferre necesse sit[17]. Eandem consuetudinem in chirographo Augusti Suetonius notavit in vita Aug. cap. 87. 'non dividit verba nec ab extrema 'parte versuum abundantes literas in alteram transfert: 'sed ibidem statim subiicit circumducitque.' In nominibus propriis illud singulare, quod praenomini punctum anteponatur et post illud collocetur IBI ·L· INSTELO[18]. Librarius, ut elegantiae studiosissimus fuit, sic et magna cura et diligentia textum exarasse videtur. Pauca, quae irrepserunt, menda ipse correxit, ut AGOS et FIERET. ubi literam omiserat, CONTERBIA, ubi transposuerat, et AVTALCORES[19] ubi permutaverat. In alio verbo maius subesse mihi videtur vitium; de quo in annotatione prima[20]. Intuenti vero hoc nostra opera excusum fragmentum iniucundum erit, lacunas in eo reperiri, modo integros et plures versus desiderari, modo voces nonnullas vel literas. De iis autem sic habeant lectores, quosdam versus vel integros vel dimidiatos excisos esse, et cum membrana, in qua inscripti erant, periisse. Hi igitur plane restitui nequeunt; et ubicunque in membrana vel versus vel literae funditus interierunt, ibi in exemplo meo asteriscos posui. Alii autem versus literis adeo exolescentibus conscripti sunt, ut, nisi quis oculis plus quam lynceis utatur, vel patientia meam et quamcunque aliam longe superante praeditus sit, vel multos dies, interposito nonnunquam intervallo, haud continuo, membranam inspiciat et pervestiget, vel tandem arte quadam mihi incognita literis splendorem et lucem conciliet, frustra de legendis iis laboraturum esse crediderim[21]. Harum autem literarum

17 Vid. Iuvenatii notam ad fragmenti lin. 110. Similia scripturae compendia in Sallustii fragmentis et Livii codice Vindobonensi pariter ac palimpsestis Vaticanis et Taurinensibus reperiuntur. cf. Niebuhrius p. 61. et Peyroni Praefat. ad Ciceronis fragmenta p. 6.

18 De hoc librarii more vid. notas ad fragmenti lin. 41.

19 Vid. notas ad fragmenti lin. 158. 159.

20 Ad fragmenti locum vexatissimum lin. 79. 80.

21 De medicamentis, a Brunsio et Cancellerio frustra exoptatis, quorum ope nunc evanidae codicum palimpsestorum scripturae lux et splendor reconciliari solet, vid. Niebuhrium p. 10. sq. et Peyronum in Praefat. ad Ciceronis fragmenta p. 3. sq.

vel plane deletarum vel maxime dubiarum locus lineolis in editione indicatur[22]. Ego quidem in hoc fragmento fere nihil nisi perspicilli ope vidi, quo tamen in aliis manuscriptis vel minutissimo charactere exaratis rarissime usus sum. In paucis illis versibus, quibus sequior manus nihil imposuit, quamlibet literam expiscatus sum. In iis autem, qui textum habent superscriptum, non nego, multa nondum eruta esse; sed pleraeque harum literarum eiusmodi sunt, ut nulla unquam oculorum acies eas detegere possit. Ubi enim ne minimum quidem literae vestigium adest: qui, quaeso, fieri potest, ut ibi litera conspicua sit? Iam quattuordecim dies in legendo hoc fragmento ita consumpseram, ut a mane diei ad vesperam vix e manibus dimitterem, quum ecce afferuntur literae, quae ut reditum meum maturarem, monuerunt. In eo tum occupatus eram, ut sextam columnam totius fragmenti quanquam lectu difficillimam restituerem. Sed quum iam aliquot dies huic labori frustra impenderam: destiti, etsi in postremis versibus, quos lineolis in editione notavi, hic illic quasdam literas adspexeram[23]. Hic igitur velim vires suas experiantur, qui post me insigne hoc fragmentum ad manus sument. Adiungant meis studiis sua, versusque, in quibus ego nihil viderim, legant, et nonnullis vocabulis aut literis, quae passim apud me desiderantur, lucem reddant necessariam. Nec enim putem opus esse, ea, quae protuli, iterum recensere et corrigere[24]. Illud enim in primis operam dedi, ut ne aliae a me ponerentur literae, ac vere in manuscripto essent. Deinde ut apographum, quantum fieri posset, fragmentum vel in ipsis minutiis accurate repraesentaret. Quapropter eundem paginarum, columnarum et versuum ordinem in editione religiose servavi, qui in manuscripto est; singulas voces literasque haud maiore spatio distinxi, quam in manuscripto separatae sunt. Quod quum ea de causa feci, ut fidi editoris officio, quantum in me sit, satisfacerem, tum ut adolescentes quasi oculis cernerent, quid sibi Cornelius cum historiis multis millibus versuum conscriptis velit, dum in vita Epaminondae cap. 4. ait: 'Plu-

22 Hanc rationem nos quoque in hac nova fragmenti Liviani editione secuti sumus.

23 Vid. notas ad fragmenti lin. 167. Quae inde ab hoc versu usque ad 180. leguntur, egregio Niebuhrii in Brunsii locum succedentis studio ex codice eruta et, si qua exsculpi non possent, probabiliter suppleta sunt.

24 Verumtamen ea quoque, quae Brunsio et Iuvenatio explorata viderentur, passim correxit Niebuhrius, qui p. 27. "Ea est enim," inquit, "huius investigationis indoles, ubicunque scriptura obliterata est, ut vix ab uno perfici possit: alius postea, deinde alius plura quam primus editor feliciter divinando assequatur, atque a coniecturis progressus etiam oculis agnoscat; atque haec profecto unica ad omnia paullatim in huiusmodi codicibus exsculpenda via est. cf. etiam Peyroni Praefat. ad Ciceronis fragmenta p. 7. sq.

'rima quidem proferre possemus, sed modus adhibendus 'est; quoniam uno hoc volumine vitas excellentium vi-'rorum complurium concludere constituimus, quorum 'separatim multis millibus versuum complures scriptores 'ante nos explicarunt.' Quum autem plerique lectores characteri unciali, neglectisque vocum interpunctionibus parum adsueti sint: fragmentum iterum descripsi, minore charactere, atque distinctum: tandem argumentum eius praefixi. Iam illustrandum idem esset annotationibus et aliis auctoribus Graecis Latinisve, inscriptionibus ceterisque monumentis petitis. Sed huic rei in hac meorum itinerum varietate mentem adiicere nequeo. Romae, ubi fragmentum inveneram, etiam emittendum esse primo duxi: sed quum mihi per literas significares, Praestantissime Kennicott, Te maxime in votis habere, ut relicta Roma ad alia procederem loca, ne maior operi Tuo mora iniiceretur: abiecto, quod ceperam, consilio, edere istud mens erat, quando mihi apud Te Oxonii paullulum otii foret. Sed rumores illi, qui nescio quo auctore de T. Livii libro XCI. a me invento nunc circumferuntur, fecerunt, ut ne amplius editionem differrem, sed in prima, qua aliquot dies morarer, urbe typis committerem. Itaque habes hic, *Doctissime* Kennicott, atque una totus orbis eruditus fragmentum illud, quale summa cura et diligentia Romae descripsi, nudum quidem, et sua tantum dignitate sese commendans, nullis annotationibus explicatum, tribus illis exceptis, quae sese mihi ultro offerebant[25]. Sed nec commentario diutius carebit, si eruditi id operam navant, ut quum ex auctoribus, qui de bello Sertoriano egere, Velleio, Floro, Sallustio, Plutarcho, Orosio, lucem affundant huic fragmento, tum inde petitam auctoribus illis reddant. Multae praeterea Grammaticorum observationes de recta vocabula Latina scribendi ratione hinc, si certae sunt, confirmabuntur, si dubiae atque incertae, definientur. At geographicus huius fragmenti usus fortasse maximus. Varii enim in eo, ni

25 Duas tantum Brunsii annotationes inserui notis ad lin. 79. 80. et 126. omisi tertiam, in qua ad lin. 198. 199. Calaguritanos Sertorii partes secutos esse demonstraturus, titulum Barcinone, ut ait, inventum protulit ex codice Marcanovae, qui Venetiis in bibliotheca Corneliana asservatur, ita inscriptus: "Res priscae variaque antiquitatis monumenta undique ex omni orbe conlecta." Sed de hac inscriptione, quam recentem et adulterinam esse, Brotierius quoque in fine notarum ad Livii fragmentum indicavit, Saxius in Onomast. Literar. part. i. p. 568. Brunsium carpens: "Nollem," inquit, "vir eruditissimus Barcinonensem titulum, iam olim ex Apiani Inscriptionibus p. 5. et Iac. Stradae Inscriptionibus urbium Hispanicarum p. 177. n. 5. notum, ab Ant. vero Augustino dudum fraudis postulatum, Dialog. XI. de Nummis p. 163. ed. Schotti, et Grutero in Spuriis p. 3. n. 1. relatum denuo recoxisset.

fallor, adducuntur Celtiberiae populi, oppida, nulli alii auctori commemorata. Atque hic forte utiliter conferri possent Geographi Hispanici, imprimis Henricus Floresius. Sed totum hunc locum aliis exornandum relinquo.

Me autem quod attinet, etiamsi gloriari possem, nobilissimam totius orbis civitatem fragmentum scriptoris historiarum suarum praestantissimi ignoraturam fuisse, nisi ab homine Lubecensi, sive, ut accuratius dicam, Pretzensi didicisset; de eo tamen non magis mihi gaudeo, quam quod novo nomine magnum Tuum opus, Eruditissime Kennicott, totamque quam in eo edendo inieris rationem, doctis viris commendaverim. Quod enim multis exemplis declarasti, probastique, et infinitis aliis mox in praeclaro Tuo opere demonstratum ibis, in pluteis bibliothecarum passim monumenta luce publica dignissima delitescere, id novo atque insigni quodam nunc a me illustratum est. Et quum abs Te Tuis impensis Romam missus fuerim, quum abs Te in mandatis habuerim, Latinos codices inspiciendi, quum mihi de invento hoc fragmento gratulatus sis, quum, ut ederetur, admonueris: meas, si quae sunt, laudes ad Te lubentissime transfero, gratiasque, si quae agendae sunt, Tibi deberi confiteor. Alterum autem, quod inde commodi consequi potes, hoc est, quod magis lente atque circumspecte nonnulli Tuorum obtrectatorum de codicibus a se inspectis iudicare ac pronuntiare discant. Quos enim illi pauperes atque ieiunos esse sibi persuaserunt, non vereor, ne, si quando ab hominibus in hoc studii genere et literarum haud vulgariter versatis examinarentur, multis frugi lectionibus referti non deprehenderentur. In qua quidem re de Blanchinio velim coniecturam faciant. Hic enim vir κριτικώτατος subacto iudicio, magna diligentia, multarumque rerum cognitione, si tantum fragmentum silentio praeterire potuit: quot, Dii immortales, peccata illos admissuros esse dicemus, qui criticarum rerum plane rudes, oscitanter et minus curiose codices evolvunt, et suum deinde iudicium eruditis obtrudunt. Sed essedo rapto ad Te advolo. Vale meque, ut facis, ama. Hamburgo prid. Kal. Mart. CIↃIↃCCLXXIII.

PRAEFATIO

FRANCISCI CANCELLERII

IN

T. LIVII LIB. XCI. FRAGMENTUM.

QUAE res mihi, reique publicae literariae universae, bene prospereque eveniat, T. Livii Historiarum fragmentum *ἀνέκδοτον*, haud ita pridem in bibliotheca Vaticana repertum, atque a CC. VV. Vito M. Iuvenatio, Paullo Iacobo Brunsio descriptum cum cura ac fide edo. Nec vero valde laborandum in eo esse mihi video, ut lectoribus, ad primum huiuscemodi rei nuntium de fuco, ut fieri solet, suspicantibus, pro virili occurram, omnemque apud eos a me fraudis suspicionem amoliar. Non enim dubito, quin plerique eorum, qui has paginas in manus sument, libelli inscriptione, atque adeo rei ipsius insolentia ac novitate permoti, continuo ii non ad haec quidem mea, sed ad ipsius Livii, quod promitti sibi videbunt, *ἀποσπασμάτιον* recta advolaturi sint, acriterque pro se quisque animum intenturi. Quod si facient, statim post duo, tresve fragmenti versus a se lectos, facile auguratur mihi animus, suspicionem eos omnem ultro ex animis deposituros. Nam quod de Phidiae signo dici vulgo consuevit, simul aspectum ac probatum fuisse; vel potius, quod Livius ipse initio libri XXI. narrat de adolescente Hannibale, quum is Carthagine in Hispaniam ad patris exercitum traiecit, 'eum primo statim adventu omnem exercitum in se con-'vertisse: Hamilcarem viventem[1] redditum sibi veteres 'milites credere; eundem vigorem in vultu, vimque in 'oculis, habitum oris, lineamentaque intueri;' id ipsum

26 Hoc Liv. XXI. 4. legebatur Gronovio iubente, in contextum receptum Drakenborchium, qui *iuvenem*, cepit.

omnino huic fragmento eventurum confido, ac ne unum quidem (modo ne is in Livii lectione omnino hospes ac peregrinus sit) futurum, qui illud semel visum non statim probet, probatum autem non legitimum florentissimi Romanarum historiarum scriptoris foetum agnoscat. Quocirca quum satis hac quidem parte per sese res ipsa locutura sit, operae pretium me facturum puto, si hac cura supersedens, missisque longioribus exordiorum ambagibus, continuo ad historiam reperti fragmenti persequendam aggrediar; tum quid in eo describendo curae ac laboris a clarissimis viris impensum fuerit, quid in edendo a me praestitum, ut quam ornatissimum, et quam accuratissime expressum, quantum quidem in me fuit, in manus doctorum virorum venire posset, denique si qua alia huius generis a curiosis lectoribus exspectari solent, paucis expediam.

I. *Reperti Liviani Fragmenti Historia.*

Versabatur Romae ante hos non multos menses vir doctissimus, Paullus Iacobus Brunsius, Lubecensis, ut Hebraicos veteris Testamenti codices conferret in editionem, quae modo apud Anglos C. V. Beniamini Kennicotti opera adornatur; cuius rei gratia quum alias Romanas bibliothecas frequentare, tum Vaticanam in primis, amplissimum illud atque augustissimum Musarum domicilium, solebat. Ibi quum hoc illudve volumen pro tempore ac re consulendum sibi ac conferendum susciperet, incidit forte in codicem membranaceum Palatinum num. 24. quem non infimae notae esse, ex C. V. Iosephi Blanchinii, qui et specimen characterum eius codicis in aes incisum exhibet, Vindiciis didicerat. Complectitur autem is codex historias Tobiae, Iudithae, Iobi atque Estheris ab Hieronymo conversas. Itaque dum illum librum pervolvit, animadvertit, ex eorum numero esse, quos vulgo eruditi 'rescriptos' appellant, de quibus, si cui id genus librorum ignotum est, videri possunt Clarissimi Montfauconius in sua Paleographia, Knittelius ad Fragmenta Ulphilae, Auctores novi operis diplomatici, aliique, quos laudat elegantis vir ingenii Ioannes Augustus Ernestius in Archaelogia literaria p. 39[27]. Quare dum, quid in recessu rei lateret, quidque scriptum

27 Praeter hos Brunsius in suo editionis Hamburgensis exemplo conferri iussit Leonis Allatii Animadv. in Antiquit. Etruscaf. fragmenta p. 102. sqq. Adde, quae nostra aetate Maius, Niebuhrius et Peyronus in libris a se editis de codicibus rescriptis sive palimpsestis disseruerunt et tabulis aeri incisis legentium oculis subiecerunt.

in eo antiquitus fuerit, scrutari pro virili annititur, titulum offendit multo, quam reliqui, maioribus characteribus expressum in hunc modum: INCIPIT PRO ROSCIO[28]. Pergit porro vir strenuus, atque unum alterumque verbum, quod exsculpi facilius potuit, cum initio orationis pro Sexto Roscio Amerino quum contulisset, deesse ea animadvertit in excusis Ciceronis libris. Quare certo sibi persuasit, initium orationis in manuscripto esse non pro Sexto, sed pro Quinto, quod hactenus desiderabatur. Itaque rei novitate percussus ad virum ingenio et doctrina praestantissimum, quemque frustra pro meritis laudare sperem, Vitum M. Iuvenatium, quo familiarissime utebatur, recta advolat, rem, ut acciderit, narrat, atque, insequenti die ut una in bibliothecam conveniant ad rem propius explorandam, ab eo contendit. Quid multa? In bibliothecam venitur, codicem poscunt, inspiciunt, ac quod orationis pro Quinto initium putaverant, inveniunt pro Sexto. Erroris autem causa ea exstitit, quod quae Brunsius duo iam ante verba in membranis legerat, ea in altera periodo orationis pro Amerino hoc Roscio scripta reperiebantur, ut frustra quaesiverit in prima. Illa autem INCIPIT PRO ROSCIO non, ut solet, principem locum scripturae obtinebant, sed ad libri oram, atque adeo ad sinistrum legentis latus, pluribusque distincta versibus scripta erant: ut non mirum fuerit, si ipsis e regione non prioris, sed sequentis periodi initium responderet[29].

Quum hoc loco res esset, quumque elapsum sibi de manibus praeclaram spem intelligerent, parum abfuit, quin librum abiicerent, quodque reliquum antemeridiani illius diei erat, in alia omnia impenderent. Ac fecissent profecto, feceratque iam Brunsius, qui sese, eo deposito, iam ad Hebraicos suos codices retulerat. Sed Iuvenatius, qui nunquam antea librum viderat, hactenusque in explorando Ciceronis, de quo dixi, pro Roscio orationis loco totus fuerat, antequam inde discederent, obiter eum sibi (ut fieri nimirum solet, quum primum in librum nunquam antea a nobis, visum incidimus) pervolutandum suscepit. Nec longe abiit, quum in Livianas has schedas incurrit. Sistit hic enimvero parumper admiratus literarum nitorem, conformationem elegantiamque, quales nusquam, nec in Bembi Terentio, nec in Virgilii exemplaribus, Vaticano aut Mediceo, nec in ceteris, quorum scripturae specimina in aes impressa circumferuntur, observare meminerat. Non

28 Vid. supra not. 7. ubi hunc titulum a Niebuhrio accuratius editum esse diximus.

29 Niebuhrius p. 82. "Initio," inquit, "spatium relictum fuit, quo primi versus usque ad verba nobilissimi sedeant, minio scriberentur; id quod tamen neglectum fuit."

difficulter etiam pauca verba ex tribus versibus, qui in margine exstant, quibusque nihil suprascriptum est, legit: quo facto parem, vel longe profecto, id quod successu postea docuit, maiorem gratiam Brunsio suo relaturus ad eum accurrens, Hem, quid hactenus, inquit, 'Italiam 'sequimur fugientem?' Imo, pergit, 'Huc geminas nunc 'flecte acies,' quantique pretii prae reliquis omnibus hae unae membranae sint, quantam elegantiam, quantam vetustatem prae se ferant, animadverte. Itaque hoc potius agamus censeo, ut quid ipsae secum ferant, penitus despiciamus, nec ante de manibus deponamus, quam totas, quantaecunque eae sunt, percurrerimus. Omnino enim, sive in vulgus nota atque edita continent, magnum operae pretium fecerimus, si scripta cum editis conferantur, sive hactenus ignorata ineditaque, longe profecto maius. Haec ille. Brunsius autem, qui unus crystallinas lentes secum in eum usum attulerat, aciem in tituli vestigia intendens, ac veluti per transennam, si ita loqui fas est, suprascriptarum literarum semel iterumque prospiciens, diserte tandem legit TITI LIVI LIB. XCI[30]. Ita praeclarum lacteae eloquentiae scriptoris fragmentum, quod tot aetatum et saeculorum intervallo in bibliothecarum angulis neglectum et inhonorum delituerat, in lucem et in aspectum prodiit[31].

II. *Quid in eo describendo curae a CC. VV. impensum sit.*

Nunc, quantum operae positum sit a clarissimis viris, ut illud eruerent, nemo aestimare vere poterit, qui manuscriptum ipsum non viderit. Huius enim manuscripti adeo vetustate corruptae, adeo obsoletae fugientesque literae sunt, ut qui ex ipso novae scripturae margine tres versus extant, ii magnam quidem partem non sine difficultate legi possint, ceteri autem non solum propter vetustatem, verum etiam propter recentiorem, de qua locuti sumus, scripturam vix, ac ne vix quidem, dignoscantur. His igitur difficultatibus quum ferme obruerentur, haud multum itineris certe confecissent, planeque ab incepto destitissent, nisi alter alteri praesto fuisset, animosque ad opus urgendum perficiendumque addidisset. Ac profecto, si quod res est, dicere volumus, non minimum momentum, ut Livii ipsius verbis utar, ad hoc κειμήλιον ex situ et

30 Accuratius hunc titulum exhibuit Brunsius supra in Epist. ad Kennicott. p. 293. ubi vid. not 15.

31 Vid. supra not. 4. ubi cupiditatis et nimii in Iuvenatium studii suspicionem huic narrationi fidem et auctoritatem derogare docuimus.

tenebris vindicandum fuit, quod in duorum hominum, alterius Germani, alterius Itali manus inciderit, quorum uterque, quam laudem sibi utriusque natio veluti propriam ac peculiarem vindicat, in ea maximum in modum praestabat, patientia et laboris perpessione Germanus, iudicio atque intelligendi sollertia Italus[32]. Nam singula non dico verba, sed literarum vestigia rimari, atque ita rimari, ut modo plura, modo pauciora esse tecum statuas, nunc unius, nunc alterius elementi signa putes, nunc recto ordine, ut nos Latini solemus, nunc, ut ipsi per iocum dictitabant, ἑβραϊστὶ ad literas annumerandas, earumque potestates assequendas versus percurrere, quanti, quaeso, laboris ac patientiae fuit? Contra vero literas ipsas, postquam eas exceperis, alteram ex altera dignoscere, tum in suas quamque syllabas cogere, syllabas verbis, verba versibus, versus sententiae reddere, quanti acuminis ac perspicaciae? Ac quod sane dicturus sum, vix affirmanti alii crederem, nisi ipsemet vidissem, eiusque rei oculatus, ut est in proverbio, saepe testis fuissem. Ostendit enim, idque pluries, integras mihi chartas Iuvenatius, partim sua, partim Brunsii manu notatas his illisque literis, quae nullam plane certam sententiam, sed ne vocem quidem redderent, aliis super alias additis, deletis, commutatis; quae quidem chartae, quum totum paene fragmentum mandari ipsis potuisset, tamen vix uni alterique, raro pluribus versiculis eliciendis atque eruendis usui fuerant[33].

Sed quid pluribus rem persequor? Sane ne sic quidem proficere se valde intelligebant, sed aut diutius, quam utriusque tempora patiebantur, in opus sibi esse incumbendum, aut omnino de eius absolutione et perfectione desperandum. Dum enim centies eodem redirent, ac Sisyphi exemplo, iterum iterumque idem saxum versarent, dum alternis membranas inspicerent, alternis legerent, alternis lecta exciperent, dum, ut in re praeterea taedii, laboris, ac difficultatis plenissima, animum subinde ab opere averterent, atque ultro huc illuc aberrarent, mirum quantum temporis effluebat. Quam ob rem hoc tandem inter se consilium inierunt, ut quandoquidem Iuvenatio non ita frequenter ad bibliothecam accedere per occu-

32 Hic locus viro docto in Ephemerid. literar. Gottingens. a. 1774. Vol. I. No. 2. p. 12. sq. bilem commovit: nec iniuria.

33 Primam huius fragmenti investigationem rem magni et ardui laboris fuisse, cur negem, non reperio. Sed hanc ipsam rei difficultatem a Cancellerio in maius auctam esse, testantur schedae, quibus Brunsius, priusquam apographum absolveret, fragmenti particulas ex codice petitas inscripsit. Harum enim paginae singulae binarum plerumque columnarum versus denos adeoque vicenos, et quod excurrit, non sine lituris et lacunis adumbratos continent.

pationes suas licebat, nec Brunsio per suas diutius membranis immorari, hic quidem describendarum utcunque schedarum partes in se suspiceret, alter descriptarum in suam integritatem et lectionis veritatem restituendarum. Ita et Brunsius quum liberiore magisque soluto animo, quod reliquum erat fragmenti, legeret, et alter ad matutinum temporis, quo solo bibliotheca patet, pomeridiani ac vespertini operam adiungeret, celerius ac commodius ipsum totum fragmentum legi, emendari, dubiis locis recognosci, ac praeclare positi a strenuis viris labores speratum exitum nancisci potuerunt[34].

Haec paullo fortasse, quam opus erat, fusius censui persequenda, ut si qua ex huius fragmenti lectione utilitas, si qua voluptas in doctorum virorum rempublicam redundabit, quam non levem utramque futuram auguror, in ea quantum viris clarissimis debeant, iuxta mecum omnes intelligant.

III. *Quid in edendo Fragmento praestitum sit.*

Verum dum haec inter eos agerentur, ac totum paene fragmentum (quantum quidem legi potuit: cetera enim omnino obliterata sunt, planeque de eorum lectione conclamatum videtur) descriptum esset, ecce tibi ex improviso coactus est Brunsius Roma discedere ad reliquas, quae in Italia sunt, bibliothecas perlustrandas. Quae res effecit, ut edendi consilium, quod inierant, aut deponerent, aut in aliud tempus differrent. Ac quid Brunsius facturus sit, quoniam is longe gentium iam abest, prorsus ignoro; ad Iuvenatium quidem certe quod attinet, sive aliis *rebus distentus*, sive ut solet in his studiis, ex vetere illo, ut quidem videtur, Pythagorae scito apud Ciceronem, 'honestam quandam et ingenuo homine dignam voluptatem consectari, 'praeterea nihil,' de edendo quidem nihil modo cogitabat. Qua in re, fateor, nullo pacto iudicium meum ad suum accommodabam, auctorque contra vehementer ipsi eram, ut ne diutius, quam ipse hoc κειμελίῳ reperto perceperat voluptatem, eam literatis ceteris vulgando invideret; quid autem, addebam, an Hercules ipse esset, quarta, *ut in* Graeco proverbio est, luna natus, cui aliis in omni vita laborandum esset, sibi nunquam? Quid plura? Enim-

34 Cancellerio, quum haec de inita a Brunsio et Iuvenatio consiliorum et laborum societate Romae scriberet, non praesagiebat animus, Brunsium Livii fragmentum aliquanto integrius Hamburgi editurum atque illa omnia re multo magis quam verbis confirmaturum esse. Vid. supra not. 4. et 31. atque Niebuhr. p. 87.

vero tamdiu obtundere, fatigare, urgere hominem non destiti, quoad denique pervici. Itaque non multis his ante diebus schedas omnes suas e scriniis eductas mihi in manus tradidit, arbitriumque earum omne permisit: statuerem de iis modo, quod luberet: continerem domi, vel cum amicis communicarem; premerem apud me, vel in vulgus emitterem; ad se quidem quod attinebat, quidquid iis facturus essem, boni consulturum.

Haec vir clarissimus et amicissimus; cuius ego tam praeter exspectationem maximo ac singulari munere auctus, quanta laetitia affectus sim, quantoque opere gestierim, si oratione assequi me posse confidam, frustra sim. Quocirca nihil cunctandum ratus, primo quidem ipsum apographum mea manu iterum descripsi ordine, quo Iuvenatius legendum esse, ad eius marginem annotaverat: non enim, ut hoc obiter moneam, quo primum fragmentum exceperunt, eo nunc editur[35]: deinde exprimendum illud formis typographicis, quanta maxima cura ac diligentia potui[36], parique celeritate curavi. Qui enim doctorum virorum reipublicae, eo accepto, in aere esse coepi, sic mecum statui, nolle diutius, quam res pateretur, tanquam malum nomen, tale tantumque ipsis gaudium debere. Accessit ad haec, quod in Iuvenatii apographo multa animadverti, quae illustrando, aut emendando Livii fragmento usui erant, quaeque ipse hic illic passim in margine annotaverat: sed ea tam breviter chartis consignata erant, ut legenti statim in mentem venerit illius Gellii, qui de Nigidii Figuli hominis doctissimi commentariis quibusdam grammaticis loquens, ita scribit lib. XVII. cap. 7. 'anguste 'perquam et obscure disserit; ut signa rerum ponere 'videas, ad subsidium magis memoriae suae, quam ad le-'gentium disciplinam.' Ac videbam sane, plurimum lucis atque etiam pretii editioni, quam parabam, accessurum, si illae annotationes simul publici iuris fierent: necessarias etiam eas plane esse, quum ad schedarum et scripturae praesentem statum cognoscendum, tum etiam ad Livii textum inoffenso, ut ita dicam, pede percurrendum et intelligendum. Quapropter non contentus priore amicissimi hominis liberalitate, eundem pro amicitia rogavi, ut ne gravaretur, iis annotationibus aliquantulum maioris lucis

35 Ex his manifesto apparet, non perfectum fragmenti apographum in Iuvenatii manibus fuisse atque Cancellerium hanc ipsam ob causam in digerendis fragmenti partibus aliquoties peccasse. Vid. notas ad fragmenti lin. 72—74. et 102. 103.

36 Hoc verbum, quod, si Cancellerius *quam* pro *quanta* posuisset, et addi posset et omitti, Ernestius in editione Lipsiensi recte adiecit. cf. Ruddimanni Institut. Gramm. Lat. Part. II. p. 307. coll. Oudendorp. ad Caes. B. G. I. 7, 2.

affundere, easque paullo amplius dilatare, quo non sibi solum, sed aliis praeterea usui esse possent; quod ille non aegre quoque petenti concessit. Ac de harum annotationum praestantia nihil addam, ne videar, quod omnino non debeo, doctorum virorum iudicia velle praevertere.

Ad haec rem non plane iniucundam studiosis, qui in Romanis, seu maioribus id genus characteribus legendis non ita sunt exercitati, me facturum putavi, si idem fragmentum literarum et interpunctionum notis, qualibus nunc vulgo utimur, expressum ac distinctum, ipsis legendum proponerem, eadem tamen ubique scribendi ratione, iisdem naevis retentis, ut et maiori cum animi voluptate, nullis inter legendum offensi salebris, ipsum percurrere, et statuere liberius de eius aetate, germanaque quorundam locorum lectione possint. Quae me pariter causa impulit, ut specimen characterum utriusque membranae (duae enim omnino sunt, quae Livianum fragmentum continent, quarum singulae dimidia sui parte integram novi operis paginam efficiunt) exhibendum curarem. Quanquam fatendum est, haec ipsa specimina non ita expressa fuisse, ut satisfacere omnibus, qui membranas inspexerint, plane possint: mihi certe non plane satisfaciunt. In quo tamen non tam scalptoris negligentia accusanda esse videtur, quam temporis iniuria agnoscenda, quae autographi scripturam paene legentium aspectibus eripuit[37].

IV. *Fragmenti praestantia et utilitas.*

Restat modo, ut aliquid de fragmenti praestantia atque utilitate attexamus; in quo quaecunque dici longa atque exaggerata oratione a me possent, huc denique reciderent, illud et T. Livii esse, et de Q. Sertorio loqui. Quae duae res si quem prima veluti fronte non afficiant, si cui non splendore et merito suo oculos praestringant, non video, qui movere hunc non dico mea, quae nulla est, sed disertissimi atque eloquentissimi cuiusque oratio possit. Atque ut Livium, de quo praestat omnino nihil, quam pauca loqui, mittamus, eccui, quaeso, ignotum est, quam magnus vir Sertorius fuerit? quam magnum eius in Romana historia nomen? quam magna de eius virtute et bellandi

37 Postea quidem haec characterum specimina ab alio scalptore multo quam antea diligentius ad autographi similitudinem expressa esse, Cancellerius refert in Epilog. p. 80. ed Lips. Sed haec quoque a codicis palimpsesti scriptura aliquantum distare, Iunenatius in scholiorum additamento aperte atque ingenue confitetur. Vid. supra. not. 12.

scientia opinio? Atqui de tali tantoque viro quum multa iam ab initio 'primo per ignobilitatem, deinde per invidiam, 'scriptorum celata sunt,' ut scribit Sallustius, tum in postumam eius famam videtur voluisse etiam grassari fortuna, quum, quae de eo, ut alios praeteream, immortalitate dignis literarum suarum monumentis Sallustius et Livius mandaverant, ea de medio prorsus sustulerit. Quanti igitur hoc ἀποσπασμάτιον faciendum sit, in quo tam ceteroqui pusillo, tamen tam multa de homine illo explicantur, nullius adhuc qui exstet, quemque equidem viderim, scriptione cognita?

Atque haec quidem res, vel si una esset, mehercule quanta esset? Sed alia insuper accedunt nihilo levioris momenti: nonnulla videlicet nomina eorum, qui Sertorii partes secuti sunt, quae huius nunc fragmenti ope in lucem prodeunt, aliquot etiam oppidorum ac populorum. Adde antiquam scribendi consuetudinem, tum illam, quae singulis verbis ex more, aut scito scribendis, aut interpungendis continetur, et ὀρθογραφίαν vocamus, tum hanc alteram, multo latioribus comprehensam limitibus, quae totam scriptionem, eiusque contextum, continuationem, dispositum contemplatur; quo loco maioribus, quo minoribus literis uterentur; quo pacto novam paginam inchoarent, quo novum versum; quando interpungerent, quando literas inter se necterent, quando etiam dedita opera praetermitterent; ceteraque huius generis, quae quum sunt ipsa per se ad cognoscendum iucunda, tum mirabiles ad iudicandum de toto hoc genere habent utilitates; qua de re non pluribus disputabo, quum neminem futurum arbitrer, qui, modo a Musis non usque quaque alienus sit, revocare eam in dubium possit.

Sed dimittendus es aliquando, Lector benevole, quod tamen pace tua non ante faciam, quam pro patriae caritate, proque meo erga illam studio, Quirites omnes, cives meos, non quidem admoneam, aut adhorter, quod non debeo et possum, maiorem in modum obsecrem atque obtester, ut ne patiantur in posterum thesauros, qui apud se delitescunt, ostendi ac patefieri sibi ab exteris et inquilinis hominibus, et horum diligentiae, non suae, horum, non suis laboribus deberi praeclarorum pristinae suae virtutis ac nobilitatis monumentorum detectionem. Gloriatus sit olim Cicero, quod Archimedis sepulcrum, Syracusis dum esset, indagaverit, quodque 'nobilissima Graeciae civitas 'sui civis unius acutissimi monumentum ignorasset, nisi 'ab homine Arpinate didicisset.' Nobis, si nostra opera nostrorum monumenta in lucem extrahantur, non tam id gloriosum erit, quam inhonorum et inglorium, si deli-

tescant. Delitescent porro, si non omnem operam adhibebimus indagandis atque investigandis. Nec est, ut ea huiuscemodi res regi, non a cuiusquam labore, diligentia industria pendere existimemus. Hanc opinionis pravitatem ignaviae ac desidiae nostrae nimium blandientes si pretexamus, refellet eam satis superque hoc omnium recentissimum Liviani fragmenti detecti exemplum. Quum enim ille Bibliorum liber a multis ante Blanchinium, quum ab ipso quoque Blanchinio visus fuisset, adeo isti, quid in eo thesauri lateret, non perviderunt, ut ne indicium quidem eius rei perviderint, quod nimirum liber rescriptus esset: quum a Brunsio visus itidem fuisset, hic plus ceteris vidit, et rescriptum videlicet esse, et aliquid non ita expositum continere; quum denique a Iuvenatio, hic et vidit, quod res erat, et denique reperit, 'non quod pueri,' ut ait ille apud Plautum Strobilus, 'clamitant in faba se reperisse,' sed huius ipsius, eoque non ficto exemplo auro contra nos carum literarium huiusmodi thesaurum. Ita si postremorum diligentiam primi, in quorum manus liber inciderat, adhibuissent, quamdiu, oro, esset, quum hoc aureolo fragmento respublica literaria frueretur? Quocirca non ab re fecisse mihi visus sum, quum aversae tituli paginae Sophocleae illud inscribendum curavi, ubi doctissimus poeta, a venatione translatis verbis, 'capi,' dicit, 'et inveniri, si quis 'quaeratur, si vero negligatur, fugere et latere.'

EPILOGUS

FRANCISCI CANCELLERII.

QUUM libelli impressio ad umbilicum fere perducta esset, multiplex tota urbe exorta ac propagata est de iviano hoc fragmento opinionum dissensio. Erant enim, ıi rem in suspicionem ementitae veritatis adducebant; :ant, qui plane falsam ac commentitiam praedicabant; enique quidam quum membranas inspexissent, nihilo- ıinus in sole, ut est in proverbio, caligantes, quod suismet culis usurpaverant, vidisse se praefracte negabant[38]. Etsi ero istorum tumultus ac vociferationes omnes paullo cor- latiores risu, ut par erat, ac cachinnis exciperent; tamen, ıuum non deessent, qui tot hominum, tantaque confidentia ›rofectis vocibus non mediocriter commoverentur, factum :st, ut omnis haec literatorum natio studia in contraria ›cinderetur: quumque ille libelli editionem in vulgus, ne quid Vaticanae bibliothecae nomini officeretur, omnino impediendam acriter contendebat; hic vanis blateronibus os occludendum, nec diutius literariae reipublicae tantam voluptatem invidendam existimabat, 'hi motus animorum, 'atque haec certamina tanta' ad aures sapientissimi atque unius omnium perspicacissimi ac providentissimi Pontificis Clementis XIV. delata sunt; qui quum hac etiam dote, quae maximos semper principes comitata est, spectandus sit, ut amore incredibili bonas artes literasque prosequatur, nihilque leve, nihil contemnendum arbitretur, quod ad earum cultum atque incrementum quoquo modo intelligat pertinere, tum huius praecipue reperti novitate maximum in modum percussus est. Quamobrem non solum quod ipse esset de tantae rei veritate mire sollicitus, sed etiam ut

38 Vid. Iuvenatii notam et fragmenti lin. 123.

omnis, sua interposita auctoritate, vanis quaestionibus m
praecideretur, viro omni laudum genere cumulatissim
Lazaro Opitio Cardinali Pallavicinio, primario adminis
demandavit, suo ut nomine iuberet, codicem, in quo
Livii fragmentum repertum esse vulgo ferebatur, ad P
trensis Archiepiscopi, Xaverii de Zelada, aedes transfer
ibique a CC. VV. Petro Aloisio Galletto, Iosepho Alo
Amadesio, serio diligenterque expendi, qui sese deinde
tota re certiorem facerent. Haec Pontifex: cuius quid
consilio quid sapientius fieri, quid ad veritatem illustr
dam accommodatius, quid etiam ad tanti Principis glori
amplificandam conducentius, non reperio. Nam si in
cum fidem spectes, integerrimi sunt; si eruditionem, docti
simi, editisque operibus orbi literato notissimi; si harum
rerum peritiam, aetatem ii quidem in hisce studiis fe
omnem summa cum nominis sui laude studiosorumque
utilitate traduxerunt. Quid autem de Xaverio de Zelad
dicam, quem Romanae purpurae dignitate meritissime co-
honestatum atque insignitum, omnium ordinum, omnium
nationum plausibus et comprobatione nuperrime ipsi vidi-
mus et gavisi sumus? Quum is harum rerum scientis-
simus, quantum temporis a maximarum rerum curatione
ipsi reliquum est, totum evolvendis atque expendendis
veteribus codicibus impendat, quorum ingentem exquisi-
tamque supellectilem summo studio diligentiaque incre-
dibili comparatam domi habet, praeter omnigena vene-
randae antiquitatis monumenta, rerumque naturalium
exoticarum copiam, qua mirifice instructa atque exornata
'tota' eius 'domus gymnasium est?' Qua de re nemo tam
perfrictae frontis reperiri potuisset (ut repertum iri nunquam
puto), qui post pensiculatam a tantae integritatis ac doc-
trinae viris veritatis investigationem, eam revocare amplius in
dubium auderet. Quantum vero in hoc suscipiendo con-
silio Clementis XIV. sapientia, optimusque eius erga literas
animus et patrocinium eluceat, sane patet. Quid enim,
quaeso, Alphonsum Neapolitanum regem, qui eo erga Li-
vium amore incensus erat, ut praeter illam omnium fama ce-
lebratam ad Patavinos legationem, sese Laurentii Vallae cum
Antonio Panormita, aliisque, de germanis eius lectionibus
quaestionum arbitrum et iudicem interponeret; quid, inquam,
amplius facturum hunc fuisse iudicabimus, si, ipso vivente,
fragmentum hoc in lucem venisset? Quid Magnum Lu-
dovicum, qui amplissimum ac plane regium, quinquaginta
aureorum millia, praemium proposuit, si quis Livianae
historiae libros, iactura sane tristi atque acerba deperditos,
sibi stitisset? Quid Leonem ipsum X., qui nunquam satis
laudando consilio constituerat, ut in Capitolio statis die

horis superstites eius libri Romanae iuventuti legendi atque explicandi proponerentur? Equidem haud scio, an ii et maiori studio de huius fragmenti veritate certiores fieri voluissent, impendioque magis affici ob huiusmodi repertum potuissent.

Sed, ut interruptum narrationis filum resumatur, optimae iustissimaeque Pontificis voluntati continuo obtemperatum est: inspectum est enim fragmentum, cumque impresso exemplari collatum; tum iudicium chartae commissum, atque utriusque censoris manu subsignatum ad Pontificem delatum. Quod ego doctorum virorum iudicium, utpote nobis atque illis maxime honorificum, inferius attexendum omnino esse censui[39]. Praeterea quum Cardinalem amplissimum de Zelada rogassem, ut scalptori, quem peritiorem inveneram, codicis inspiciendi facultatem impertiret, meis precibus annuit incredibili benignitate. Quapropter tanti viri, quantus Zelada est, non meo quidem unius, sed omnium iudicio, humanitati ac iuvandae rei literariae studio debemus characterum specimina, quae nunc multo quam antea diligentius ad autographi similitudinem sunt expressa. Quae res efficiet, ut exteri quoque homines, eorundem characterum vetustate ac pulchritudine animadversa, non aegre in C. V. Iosephi Spalletti, Graecae linguae in Vaticana bibliotheca scriptoris, hominis quum eruditi, tum maxime acri subactoque iudicio, sententiam descendent, qui illud crystallis inclusum, ac gemmarum aurique ornatu insigne curiosorum oculis proponendum iudicavit. Ego certe illud affirmare non dubitem, Vaticanam bibliothecam, etsi ceteris praestantissimis codicibus, quibus abundat, careret, tamen huius unius atque unici codicis causa, quemadmodum Thespiae propter Cupidinis simulacrum, dignam exstituram, quae ob omni elegantiarum cultore viseretur. Quod multo potiori etiam iure pronuntiandum esset, si reliqui fragmenti versus, qui prodigiosa vetustate deleti quamlibet oculorum aciem effugiunt, medicamenti alicuius ope, redivivi quodammodo in lucem emergerent[40]. Hoc autem si sperandum ab aliquo est, a viro certe praestantissimo, mihique, quod Cl. Iuvenatio conciliatori acceptum refero, amicitia coniunctissimo, Antonio Minasio Dominicano, novae papyri ex aloes Americanae epidermate tractae, eiusdemve plantae fibris intertextae repertore,

39 Gallettum tamen et Amadesium, qui, editione Romana cum codice Vaticano collata, fragmentum ex libro membranaceo ad unguem descriptum omnimodis cum eo convenire testantur, negligentiae ac vanitatis arguunt fragmenti editiones a Brunsio et Nieburhio paratae.

40 Vid. supra. not. 21. ubi nostra aetate eiusmodi medicamenta codicibus rescriptis adhibita esse diximus.

multorumque ac praeclarorum inventorum parente exspectandum est. Qui quidem vir dono quodam providentiae genitus videtur ad sacra omniparentis Naturae penetralia pervestiganda, abditissimaque eius arcana in lucem atque in apertum proferenda. Atque haec singularis doctrinae fama ad celebriores usque Academias pervagata non latuit acerrimum doctorum virorum aestimatorum Clementem XIV., qui nuper eum Lectorum alio in hoc Romano Lyceo annumerari ac Botanices cathedra cohonestari iussit. Quamobrem quis non mecum optabit, ut talis tantusque vir Liviano huic foetui magis adhuc in lucem extrahendo obstetrices manus adhibeat?

Laetandum interea est omnibus atque gestiendum, quod tam praeclarum fragmentum, tot saeculorum spatio ad hunc usque diem ignoratum, tandem Clementis XIV. principatu, qui beatam feliciorum Augusti ac Leonis temporum memoriam renovavit, in apricum fortuna protulerit, eique se tanquam ministram et sociam praebuerit ad bibliothecae Vaticanae claritatem et gloriam augendam, latiusque propagandam. Quis enim tam hospes ac peregrinus in urbe est, qui nesciat, quantum decoris atque ornamenti fere quotidie eidem addiderit, quum aliorum immortalium Pontificum, tum nunquam etiam interiturae memoriae optimi maximique Clementis XIII. vestigiis insistens, pulcherrima papyrorum collectione iam instituta insigniter aucta, multiplici Graecorum Latinorumque numismatum atque aere cusarum imaginum copia illuc invecta, ac denique rarissimis cuiusquemodi antiquitatis monumentis, quibus eam admirandum in modum auxit ac locupletavit? Ac quasi intra bibliothecae limites maxima maximi Pontificis munificentia contineri non posset, erumpere foras voluit atque exteriores etiam parietes innumero inscriptionum numero unde unde conquisitarum exornare. Quod eruditum ornamentorum genus, quo maxima pars illius ambulacri, quo in bibliothecam ingressus patet, convestiri coepit, tacite quodammodo invitat ac manu ducit ad propius aedificium recens exstructum inspiciendum, cuius si pulchritudinem, dignitatem, maiestatem praedicare aggrediar, dies me citius, quam verba deficient. Ibi columnae, emblemata, urnae, toreumata, sarcophagi, candelabra, signa ex marmore, aut aere prope spirantia, diligentissime conquisita et munificentissime comparata, regiam Clementis XIV. munificentiam, optimarumque artium patrocinium, apud consequentes omnes aetates praedicabunt. Quae omnia quum gesta ab eo sint, quo tempore gravissimorum negotiorum mole, quam miro prorsus exemplo sustinere solus coepit ac porro pergit, tantum non est oppressus,

quid eum facturum esse non ominemur, si coepta divinitus ac paene iam mirifica dexteritate atque sollertia profligata consilia ad optatum exitum tandem aliquando adducentur? Quo magis Deus O. M. enixe obsecrandus est, ut bonorum omnium votis expetita beata haec dies aliquando illucescat, ac Clementem XIV. aureae aetatis conditorem, salvum atque incolumen Christianae ac literariae reipublicae bono quam diutissime conservet. Sequitur doctissimorum censorum iudicium.

'Mandata Sanctissimi Domini Nostri Clementis XIV. 'feliciter regnantis, ea, qua par est, obedientia atque 'alacritate exsequentes, parvum bibliothecae Vaticanae 'codicem membranaceum Palatinum, num. 24. extra no-'tatum, perquam diligenter et accurate scrutati sumus, ubi 'Tobiae, Iudithae, Iobi atque Estheris libri satis vetusto 'charactere descripti sunt. Cuius characteris specimen 'iam pridem cum orbe erudito communicaverat Iosephus 'Blanchinius in Vindiciis Canonicarum Scripturarum vul-'gatae editionis, "illum," inquiens, "mirifica praestare '"antiquitate et certam Hieronymianae versionis notam '"in subscriptione repraesentare." Quum ergo ad eius-'modi examen aggressi essemus, animadvertimus initio hic 'atque illic in variis codicis paginis antiquiorem subesse 'scripturam, partim ex industria, partim ipsa temporis 'vetustate paene obliteratam, non ita tamen, ut quum 'inter lineas sacrorum verborum, tum in marginibus pagi-'narum se peritorum oculis non offerat legendam, non 'omnem quidem, at maiorem certe partem.

'Praecipue vero paginas 73. usque ad 78. perspeximus 'pulcherrimo primorum aerae Christianae saeculorum cha-'ractere, ac procul dubio ante saeculum quintum exaratas. 'Probat id ipsius scripturae forma,' "Romana" 'nempe' '"vetus," 'quae usque ad saeculum quintum viguit, quo tem-'pore Gothi, Italia fere tota in eorum potestatem redacta, 'literis suis Romanas aliquantisper vitiarunt. Uncialium 'literarum forma in codice hoc Palatino satis elegans ad 'antiquos lapidum characteres accedens aetatem profecto 'videtur sapere praestantissimi illius Virgilii codicis, qui 'Florentiae in bibliotheca Laurentiana asservatur, quique 'circa Valentis ac Theodosii tempora scriptus existimatur 'ab Holstenio ceterisque viris eruditis. Hisce paginis 'praecedere titulum legimus: TITI LIVI LIB. XCI. 'Quamobrem, ceteris omissis, huius scripturae examini 'studio et cura omni institimus; qua quidem repetitis 'observationibus lecta, certo deprehendimus fragmentum 'esse historiae, seu continuationis historiae de Bello His-

'panico contra Sertorium. Qua de re quum amplius non
'dubitandum nobis videretur, processimus ad fragmenti
'totius collationem cum exemplari typis nuper edito, quod
'ex membranaceo ad unguem descriptum omnimodis cum
'eo convenire testamur, laudantes integerrimam fidem, qua
'in lucem datum est, quum ne apicem quidem de suo
'adiecisse noverimus accuratissimos viros, tum qui illud
'descripserunt, tum qui publici iuris fecit, ubi non licuit
'fugientes membranae literas discernere, aut ubi revera
'desunt verba ac sensus: quae lacunae iterata apteque
'distributa punctorum serie in edito exemplari indicantur.
'Et ideo eorum improbum quidem, sed utilem laborem
'atque integritatem, neminem fore confidimus, qui meritis
'laudibus non prosequatur. Quod nostri examinis et col-
'lationis testimonium dedimus III. Nonas Apriles Anno
'CIↃ IↃ CCLXXIII.

'D. Petrus Aloysius Galletti Romanus Ordinis S. Bene-
'dicti Congregationis Casinensis, Abbas S. Mariae de
'Fonte vivo, in Bibliotheca Vaticana Linguae Latinae
'scriptor.

'Iosephus Aloysius Amadesius Praefectus Archivo S.
'Ravennatis Ecclesiae.'

AUCTARIA

EX

B. G. NIEBUHRII

EDITIONE FRAGMENTI LIVIANI PETITA.

I. pp. 18—22.

PERVENIMUS ad fragmentum inclytum Livianum, quod plicatis membranis, in quattuor codicis paginas, 73. 75. 76. et 78. redactum fuit. De hoc plenissime disputavit Cancellarius V. C. neque nisi pauca quaedam ad accuratiorem eius cognitionem utilia aliis dicenda reliquit. Manent in his reliquiis permulta summae elegantiae vestigia: literarum conformatio pulcherrima est: nitor ipse tenerarum membranarum non omnino periit. Margo in summa pagina, quo plus membranae purae ad scribendum exstaret, illaesus remansit: a ceteris partibus, ut omnia ad propositum libri modulum exaequarentur, abscissus est ita ut in primae paginae dimidio ultimi versus perirent: quae orae amplitudo, in aliis quoque vetustissimis membranis conspicua, divites librariae supellectilis ostentatores Romanos hac pulchritudinis specie aeque delectatos fuisse monstrat atque eos qui hodie in hoc genere insaniunt. Ea tamen ipsa non obstat quo minus tales fuisse nobis fingamus 'pelles' illas 'exiguas' quibus, Martialis aevo, 'arctaretur 'Livius ingens:' quandoquidem minutioribus literis quadratis sine gravi legentium incommodo scribi non poterat; atque, quum ita scriberetur, quinque libri Liviani haud difficulter uno modico volumine comprehendebantur. Dicet fortasse aliquis, quid tu? num hoc innuis ad Flaviorum aetatem celebres hasce paginas pertinere? Ego vero super

hac re neque affirmare quicquam neque refellere in animo habeo: quin potius quaecunque disputantur ut antiquissimarum membranarum reliquiis certa quaedam aetas assignetur, mihi quidem vana omnino atque temeraria esse videntur. Scilicet id quidem nullo negotio demonstrari potest, scripturae genus, quod hic conspicitur, si a levi discrimine discesseris quod mox indicabo, primo post Christum natum saeculo iam usitatum fuisse. Ita enim pictae sunt quae Pompeiis in parietibus leguntur tot inscriptiones: Romae quoque ludrica illa comminatio quae in Thermis Titi Imperatoris visitur: una denique inter inscriptiones sepulchri Arruntiorum, quas qui ad primorum Caesarum aevum referendas esse censent, iis facile accedo, licet marmori incisa, eandem prorsus literarum formam exhibet. Iam vero Laurentianus Virgilii codex, quem tamen sub Odoacre rege scriptum esse constat, idem scripturae genus exhibet; neque aliter scripta sunt fragmenta Virgilii Vaticanensia: quae omnia non nisi eo ab inscriptionibus Pompeianis differunt, quod A litera in his transversam lineolam habet, qua in ceteris caret. Porro autem alia est huius scripturae familia quae ab illa priore eo discrepat, quod literae B et F dimidia parte super ceteras eminent[41], H autem configuratione ad K proxime accedit: hoc igitur genere scripta sunt fragmenta Livii Sallustiique Romana, Ciceronis Mediolanensia: quum tamen praeter hanc unam diversitatem Virgiliani codicis Romani et fragmenti Liviani mira prorsus sit et quasi fraterna quaedam similitudo. His adiungere possum duas inscriptiones in lapidibus, unam, quae ad Gordiani Imperatoris aetatem pertinet, alteram, quae in hortis Albaniorum exstat, paullo antiquiorem. Haec qui pensitaverit, is quidem minime sustinebit asserere, aut hoc aut illud genus scribendi antiquius esse: utrumque iisdem saeculis in usu fuisse concedat necesse est. Sed, ne quis forte opinetur illud quod in Liviano fragmento regnat maturius exolevisse, age, istud per alia monumenta prosequamur. Nota est librariorum sedulitas, qui nonnunquam, dum libros transcriberent quorum fidem subscripta emendationis testificatio commendabat, huius quidem literas ita imitabantur, ut singulos ductuum flexus apicesque redderent. Eius generis est subscriptio Persii, qui codex in tabulario basilicae Vaticanae exstat, saeculo decimo scriptus, expressus autem ex longe antiquiore, qui, subscriptione teste, sub Honorio Imperatore Barcinone in Hispania emendatus fuerat. Iam vero haec subscriptio ea

41 In fragmento Liviano etiam L literam interdum prae ceteris eminere, Brunsius auctor est in Epist. ad Kennicott. p. 333.

omnia habet quae tribus illis libris, de quibus commemoravi, peculiaria esse videantur. Idem de subscriptionibus legum, ex codice Theodosiano in Corpus Agrimensorum insertarum, in huius Corporis codice olim Palatino, testor. Bekkerus quoque, vir eruditissimus mihique familiarissimus, mihi affirmavit, fragmenta Geometrica Veronensia, quae, sive ex integro Boethiano Euclide, sive ex Corpore Agrimensorum supersint, ante sextum saeculum scripta esse non possunt, eiusdem generis literas exhibere. Verum his omnibus enumerandis supersedere potuerim, qui insigne huius scripturae specimen ex octavo saeculo non sine quadam admiratione vidi. Scilicet servatur in monasterio Sancti Calixti, quod prope basilicam Deiparae Virginis trans Tiberim est, splendidissimus vulgatae Bibliorum versionis codex, illuc ex basilica Sancti Pauli in via Ostiensi translatus, cuius, paucis cogniti, notitiam debeo amico et populari meo Carolo Friderico Baroni de Rumohr, rerum omnium quae ad picturae sculpturaeque, praesertim in Italia, antiquitates pertinent, indagatori acerrimo, atque prudentissimo arbitro. Iste codex, in quo libri ipsi sacri circa saeculi undecimi finem scripti sunt, picturas habet Carolo Magno, antequam imperium adeptus est, dono oblatas, quae ornandi gratia suis quaeque locis agglutinatae sunt. Ad singulas igitur picturas versus auro in purpura ascripti sunt: atque ab ipso initio, post tabulam quae regis imaginem praebet, in solio sedentis, prolixum sane carmen exstat, eadem magnificentia scriptum, quo laudes eius celebrantur: atque in illis omnibus literarum forma nihil prorsus discrepat a fragmento Liviano. Itaque, confisus argumento quod nulla opera convelli potest, hoc affirmo, ultra septingentos annos hanc scripturam in usu durasse: quod quum ita sit, nisi alia indicia accedant, quibus plerumque nos destitui credo, quis tandem sine vanae temeritatis nota de aetate schedarum, quae hoc genere scriptae inveniuntur, quicquam confirmabit? Concedamus sane vix probabile videri, post vastatam bello Gothico Italiam, inter tot clades aerumnosae gentis, universum Livianae historiae opus transcriptum fuisse, praesertim quum ex veteri copia libri emptoribus deesse non poterant: quod mihi quidem potissimum in causa esse videtur, cur tam rari sint codices illo aevo scripti: neque hoc urgeamus, Vindobonensem, olim Laurishamensem, codicem, si quod ex scriptura argumentum peti potest, ad illa, fortasse etiam ad seriora, tempora referendum esse videri: attamen Symmachi certe aetate transcribi solitos integros, atque ab eo ipso et Flaviano Nicomacho, eius amico, emendatos fuisse codices Livianos, compertum ha-

bemus; et sunt sane in orthographia huius fragmenti, quae animum meum eo potius inclinent, ut iam vergente imperio scriptum esse suspicer. Imitatio scripturae neque mihi optime, et peius etiam incisori cessit: licet enim expressa sit literarum forma, attamen calami a perita firmaque manu recti ductuum, modo tenuissimorum modo crassiorum, elegantissima et aequabilis ratio minime servata est. Itaque palaeographiae studiosi ex specimine Scarianae, quod in editione Mediolanensi habetur, idem omnino literarum genus ad eum qui hic conspicitur modulum contractum sibi proponant.

II. pp. 85—88.

FRAGMENTI Liviani, quod, ante annos quadraginta septem repertum, in summa Europae universae tranquillitate, et eximio, quo tunc florebant literae, honore, apud omnes gentes, ab Italia usque in Britanniam, ab Hispania ad Sueones, incredibili laetitia exceptum, et plurimorum virorum doctorum curis illustratum fuit, recensiones exstant duae: Brunsii, quam Hamburgensis editio exhibet, et Iuvenatii, quam Romana Fr. Cancellarii V. C. proponit. Earum autem tanta est diversitas, de qua accuratissime, ut solet, egit Kreyssigius, vir doctissimus, ut nemo sibi persuasurus esset, celeberrimos editores hoc fragmentum coniuncto labore exscripsisse, nisi probe compertum esset, rem ita se habere. Nam Brunsius non in integrioribus modo quaedam aliter exhibet ac Iuvenatius, sed in tertia sextaque columna, quae maxime obliteratae sunt, plurima habet quae ab editione Romana absunt. Quod quemadmodum evenerit, libere tradam: hoc praefatus, me nihil minus quaerere quam ut Manes elegantissimi eruditissimique viri laedam, cuius memoriam pari quo populares eius studio me colere, libenter profiteor.

Erat Brunsius ab omni iactantia et prava ambitione remotus; literis orientalibus, Hebraica praecipue et Syriaca lingua apprime doctus; in Latinis Graecisque minime hospes; sed ita ut in hac parte Iuvenatio longe concederet, atque id sine ulla invidia agnosceret. Itaque simul ac de reperto constitisset, summa alacritate et indefessa diligentia in investigandis et exprimendis literarum vestigiis versabatur: in continua divinatione, sine qua nihil effici poterat, ab ingenio felici et elegante Iuvenatii se adiuvari, quoties ille adesset, gaudebat: denique nihil minus cogitabat quam ut illius laudes celaret, sibique, quanquam in labore suae

longe gravissimae essent partes, plus quam sibi deberetur tribueret. Igitur obtinebat inter eos erudita familiaritas, quae plurimum ad communes profectus valet: atque equidem persuasum habeo, Brunsium plurimis in locis vix unquam agniturum fuisse vocabula, quae familiaris historiae et sermonis cognitio socio demonstrabat. Verum utilissima haec eorum concordia infirmata fuit pravo quorundam Iuvenatii fautorum studio, qui honorem omnem, qui illis temporibus in huiusmodi rebus magnus percipiebatur, ad illum unum trahebant: Brunsium impigrum quidem hominem esse ferebant, sed qui neque ingenio neque doctrina labori par sit. Quod quum ad huius aures accidisset, is moleste tulit se contemni: simul autem sibi animadvertere visus est hosce sermones alteri non usquequaque displicere. Itaque non conquestus quidem cum illo est, sed laboris societatem tacitus dissolvit: Iuvenatio apographum, summa fide factum, tradidit, in quo omnia expressa erant, quae usque ad illum diem investigaverant[42]: capto autem initio a duabus ultimis columnis, quae facile leguntur, ad difficiliora sensim progressi, ceteras quidem fere absolverant; tertiae illo tempore non ita multum, sextae paene nihil lectum erat. Igitur de reliquis se desperare pronuntiavit, neque sibi otium esse progrediendi, quippe cui brevi tempore ab urbe proficiscendum esset: Iuvenatium, ut opus sibi perficeret, hortatus est. Interim, dilato forte abitu, perfectisque Kennicottianis negotiis, amore rei ductus, et simul fortasse ut esset quo palam faceret se honestiores quam, quas sibi tribui audiverat, operarii partes sustinuisse, rediit ad opus, non pauca addidit, quaedam emendavit; deinde in patriam redux, ex hac emendatiore recensione fragmentum evulgavit; audito, Romae id editum esse[43]. Iuvenatius autem, cuius industria eruditionem et ingenii elegantiam non aequabat, taedii plenum opus non aggressus est; ex eruditionis copia commentarium concinnare contentus: atque hinc illa exorta est inter utramque editionem discrepantia, per multas, quae secutae sunt, propagata.

Ego vero qui, quum codicem evolverem, haec ignorabam, et cui nunquam in mentem venerat de Romanae editionis integritate dubitare, quae per repetitionem Ernestianam in Germania admodum vulgata est, tanto impensius in expediendis illis partibus elaboravi, quas Iuvenatius pro con-

42 Haec confirmantur iis, quae supra not. 4. ex Brunsii literis ad me datis excerpsi. Sed Iuvenatius ne inchoatum quidem illud fragmenti apographum ea, qua par erat, diligentia in suos usus convertisse videtur. cf. Cancellerii Praefat. p. 10. ed. Lips.

43 Vid. quae, ut editionem Hamburgensem Romana et perfectione et tempore priorem esse docerem, contra monui in Elench. edd. fragm. Liviani p. 67.

clamatis dereliquit: neque id sine fructu. Nam, si ab iis discesseris, quae resecta sunt, praeter tres quattuorve versus ad integritatem luculenti monumenti iam nihil deest: etiam in iis quae integrius edita erant, aliquot locis quae adderem, aliis quae corrigerem, inveni.

Duae columnae quae magna accessione locupletatae sunt, quadratis literis hic exhibentur: ut emendatas lectiones et minuscula additamenta commodius subiicerem, integrum fragmentum, more consueto expressum et distinctum, proposui: in quo id quoque mihi sumpsi, ut illorum loco quae aut perierunt aut legi omnino nequeunt, supplementa darem. Annotationes cumulare post insignium virorum labores molestum esset, neque propter alias occupationes satis otii est ad disputandum de re observatu sane digna, quam viri in his disciplinis sapientissimi mihi parum attendisse videntur. Quicunque Livium non perfunctorie legit, non infitiabitur notabilem esse diversitatem narrationis et dicendi generis, inter primam tertiamque decadem: diversas utrique laudes peculiares esse: in alio deinde genere has ambas a sequentibus libris multum differre, in quibus Polybium plerumque ante oculos habuit Livius. Longe autem adhuc maior diversitas inter illos omnes atque hoc fragmentum intercedit, in quo res gestae tractantur, quarum notitiam Sallustius et Licinius Macer suppeditabant: atque, ut multo uberior narratio est, sic negligens, repetitionibus onusta, (quale illud est, quod bis dicitur de mandatis Perpernae datis,) atque in commiscendis iis quae literis ad legatos datis continebantur, quaeque a Sertorio secum agitarentur, inconcinna et mirifice perturbata[44]: ut, nisi compertum esset haec esse Liviana, de auctore dubitandum foret. Quae res propterea minime negligenda est, quoniam inde imaginem posteriorum librorum, qui perierunt, fingere licet: scilicet, prudentia prioribus praestitisse, longe minore quam illos arte et eloquentia conscriptos fuisse, ac potius proxime ad id genus accessisse quo recentiores in narrandis rebus sua aetate gestis utuntur. Itaque in eos praecipue cadere macrologiae vituperationem arbitror, qua Charisius et Diomedes, prudentiores quam ipsi sunt auctores secuti, T. Livium onerant; quae fortasse a decantata illa Patavinitate haud multum distat. Nihil enim minus urbanum est quam macrologia.

44 Vid. notas ad fragmenti lin. 135—139. et 150—156. ubi haec, quantum fieri potuit, expedire studuimus.

ARGUMENTUM FRAGMENTI LIVIANI.

Q. SERTORIUS, Contrebia vi et operibus tandem expugnata relictoque ibi L. Insteio, ad Hiberum ɔgressus copias in hibernacula secundum oppidum, quod ıstra Aelia vocatur, aedificata deduxit. Ibi, novis armis stimentisque exercitui divisis et stipendio dato, instru-ɜnta belli parari iussit, convocatasque populorum et ɾitatum legationes, gratiis pro opera sibi praebita actis ;positisque rebus a se gestis, ad reliqua belli cohortatus t. Dimisso deinde conventu, principio veris M. Perper-ım in Ilercaonum gentem misit, ad tuendam regionis ıus maritimam oram, atque C. Herennuleio et L. Hirtuleio e bello administrando praecepta dedit. Ipse cum suo xercitu in Berones et Autrigones progredi statuit, atque raeter Hiberum in Bursaonum, Cascantinorum et Grac-uritanorum fines profectus, ad Calagurim Nasicam, socio-um urbem, venit: transgressusque amnem propinquum ırbi castra posuit. Tum M. Marium quaestorem in Are-ɾacos et Cerindones misit, ad conscribendos ex iis gentibus nilites, frumentumque inde Contrebiam, quae Leucada ıppellatur, comportandum: et C. Insteium, praefectum ɜquitum, Segoviam et in Vaccaeorum gentem, ad equites conquirendos. Quibus dimissis ipse profectus, per Vas-conum agrum ducto exercitu, in confinio Beronum con-sedit: postero autem die ad Vareiam, Beronum urbem validissimam et Autrigonibus vicinam, haud inopinantibus oppidanis pervenit.

Haec gesta sunt biennio
U. C. Cat. IↃCLXXVI. Capit. IↃCLXXVII. Varr. IↃCLXXVIII.
Cn. Octavio, C. Scribonio Curione Coss.
U. C. Cat. IↃCLXXVII. Capit. IↃCLXXVIII. Varr. IↃCLXXIX.
L. Octavio, C. Aurelio Cotta Coss.
A. C. LXXVI. et LXXV[45].

45 In temporis notatione, uti olim, ita nunc quoque Brotierio et Brossio accessi; quorum illum ex rationibus Varronianis, hunc ex fastis Capitolinis annos recte computasse, liquido apparet ex iis, quae Niebuhrius, aliud agens, subtiliter et copiose disseruit p. 44. sq. coll. eiusdem nota ad fragmenti lin. 160. 161. Vir doctus in Ephemerid. literar. Gottingens. a 1774. Vol. I. No. 2. p. 12. res in fragmento Liviano expositas, Freinshemium cum aliis temere secutus, ad annos U. C. Cat. 675. Capit. 676. Varr. 677. et U. C. Cat. 676. Capit. 677. Varr. 678. sive A. C. 77. et 76. minus accurate retulit.

Fol. 78. a.

TAMENINSEQVENTI
IPSOPERVIGILANTEIN
EODEMLOCOALIAEXCI
TATATVRRISPRIMALV
5 CEMIRACVLOHOSTIB
FVITSIMVLETOPPIDI
TVRRISQVAEMAXIMV
PROPVGNACVLVMFVE
RATSVBRVTISFVNDA
10 MENTISDEHISCEREIN
GENTIBVSRIMISETTV
. . . . . .
—O . . . . . VMIGNICOE
PITINCENDIIQ'SIMVL
15 ETRVINAEMETVTER
RITICONTREBIENSES
DEMVROTREPIDIREFV
GERVNTETVTLEGATIMIT
TERENTVRADDEDENDA
20 VRBEMABVNIVERSA
MVLTITVDINECONCLA
MATVMEST EADEMVIR
TVSQVAEINRITANTE
OPPVGNAVERATVICTo
25 REMPLACABILIOREM
FECITOBSIDIBVSACCEP
TISPECVNIAEMODICA
EXEGITSVMMAMARMA
QVEOMNIAADEMITTRAN
30* VGASLIBEROSVIVOS

ADSEADDVCIIVSSITFVGI
TIVOSQVORVMMAIOR
MVLTITVDOERATIPSIS
IMPERAVITVTINTERFI
35 CERENTIVGVLATOSDE
MVRODEIECERVNT' CV
MAGNAIACTVRAMILI
TVMQVATTVORETQVA
DRAGINTADIEBVSCON
40 TEBRIAEXPVGNATARE
LICTOQVEIBI'L'INSTEIO
. . . . . .
IPSEADHIBERVMFLVME
COPIASADDVXITIBIHIBEE
45 NACVLISSECVNDVMOP
PIDVMQVODCASTRAAE
LIAVOCATVRAEDIFICA
TISIPSEINCASTRISMA
NEBATINTERDIVCON
50 VENTVMSOCIARVMCI
VITATIVMINOPPIDOA
GEBATARMAVTFIERET
PROCOPIISCVIVSQ'POPV
LIPERTOTAMPROVINCI
55 AMEDIXERATQVIBVSI
SPECTISREFERRECETERA
ARMAMILITESIVSSITQVAE
AVTITINERIBVSCREBRIS
AVTOPPV . . . . .
60 . . . . . .

Fol. 73. b.

FACTAERANTNOVAQ
BIRISPERCENTVRIO
NESDIVISIT EQVITA
TVMQVOQNOVISIN
STRVXITARMISVESTI
MENTAQVEPRAEPARA
TAANTEDIVISAETSTIPE
DIVMDATVMFABROS
CVRACONQVISITOSVN
DIQEXCIVERATQVIBVS
OFFICINAPVBLICAIN
. . . . . RA
TIONEINITAQVIDINSIN
GVLOSDIESEFFICIPOSSIT
ITAQ'OMNIASIMVLINSTRV
MENTABELLIPARABAN
TVRNEQVEMATERIAAR
TIFICIBVSPRAEPARATIS
ANTEOMNIBVS . NIXO
CIVITIVM — — VDIONEC
SVOQVISQOPERIARTI
FEXDEERAT CONVOCA
TISDEINDEOMNIVMPO
PVLORVMLEGATIONIB'
ETCIVITATIVMGRATI
ASEGITQVODQVAEIN
PERATAESSENTIN—EDE—
TRE — — — — — — — STI
. . . QVASIPSERES
. . . . . .
QVASQINOPPVGNAN
DISVRBIBVSHOSTIVM
GESSISSETEXPOSVITET
ADRELIQVABELLICOHOR
TATVSESTPAVCISEDOC
TOSQVATVMHISPANI
AEPROVINCIAEINTER
ESSETSVASPARTESSV
PERIORESESSEDIMIS
SODEINDECONVENTV
IVSSISQVAEOMNIB'
. . . . . .
INCIVITATE . . . .
RESVASPRINCIPIOVE
RIS 'M'PERPERNAM
CVMVIGINTIMILIB'
PEDITVMEQVITIBVS
MILLEQVINGENTIS
INILVRCAONVMGEN
TEMMISITADTVENDA
REGIONISEIVSMARI
TIMAMORAMDATIS
PRAECEPTISQVIBVSITI
NERIBVSDVCERETAD
DEFENDENDASSOCIAS
VRBESQVASPONPEIVS
OPPVGNARETQVIB'
QVEIPSVMAGMEN
PONPEIEXINSIDII .
ADGREDERETVR

Fol. 75. b.

EODEMTEMPOREET
ADHERENNVLEIVM
QVIINISDEMLOCISE
RATLITTERASMISITET
125 INALTERAMPROVIN
CIAMAD'L'HERTVLEIV :
PRAECIPIENSQVEMAD
MODVMBELLVMADMI
NISTRAREVELLETANTE
130 OMNIAVTITASOCIASCI
VITATES TVERETVRNEA
CIECVMMETELLODIMI
CARETCVINECAVCTORI
TATENECVIRIBVSPARES
135 SET NEIPSIQVIDEM
CONSILIVMESSEDVCERE
— — VERSVSPONPEIVM
NEQVEINACIEMDESCEN
SVRVMEVMCREDEBAT
140 SITRAHERETVRBELLV :
HOSTICVMMAREABTER
GOPROVINCIASQOMNES
INPOTESTATEHABERET
NAVIBVSVNDIQCOM
145 MEATVSVENTVROSIPSI
AVTEMCONSVMPTISPRI°
REAESTATEQVAEPRAEPA
RATAFVISSENTOMNIV :
RERVMINOPIAMFORE
150 PERPERNAMINMARITIMA :

REGIONEMSVPERPOSITV :
VTEAQVAEINTEGRAAD
HVCABHOSTESINTTVE
RIPOSSETETSIQVAOCCA
155 SIODETVRINCAVTOSPEI
TEMPVSADGRESSVRVM
IPSECVMSVOEXERCITV
INBERONESETAVTRICO
N
RESPROGREDISTATVIT
160 AQVIBVSSAEPEPERHIE
MEMCVMABSEOPPVG
NARENTVRCELTIBER--
VRBESINPLORATAMES
SEOPEMPONPEICONPER
165 ERATMISSOSQQVITTINE
RAEXERCITVIROMANO
MONSTRARENTET--IP
SORVMEQVITIB'VEXATOS
SAEPEMILITESSVOSQVO
170 CVMQVEACASTRISPEROP
PVGNATIONEMCONTRE
BIAEPABVLANDIAVTFRV
MENTANDICAVSAPRO
- - - - - AVSITVMQVO
175 Q - - - ARVACOSIN - AR
T - - - - - - - - EDITO
- - - - - - - - - BELLI
CONSILIVMSEINITVRV :
VTRVMPRIVSHOSTEMV
180 TRAMPROVINCIAM . . .

Fol. 75. a.

MARITIMAMNEORAM
VTPONPEIVMABILERCA
ONIAETCONTESTANIA
ARCEATVTRAQ'SOCIAGE
5 TEANADMETELLVMET
RVSITANIAMSECONVER
TAT HAECSECVMAGI
TANSSERTORIVSPRAE
TERHIBERVMAMNEM
10 PERPACATOSAGOSQVIE
TVMEXERCITVMSINE
VLLIVSNOXADVXITPRO
FECTVSINDEINBVRSAO
NVMETCASVANTINORV
15 ETGRACCVRITANORVM
FINESEVASTATISOMNIB'
PROCVLCATISQVESEGITI
BVSADCALAGVRIMNA
SICAMSOCIORVMVRBE'
20 BENITTRANSGRESSVS
QAMNEMPROPINQVM
VRBIPONTEFACTOCASTRA
POSVIT POSTERODIE'M
MASIVMQVAESTOREM
25 INARVACOSETCERINDO
NESMISITADCONSCRI
BENDOSEXIISGENTBIV
MILITESFRVMENTVM
QVEINDECONTREBIAM
210 . . . LEVCADAAPPELLA
TVRCONPORTANDVMPRAE
TERQVAMVRBEMOPPOR
TVNISSIMVSEXBERO
NIBVSTRANSITVSERAT
215 INQVAMCVMQVEREGI°
NEMDVCEREEXERCITV
STATVISSETET'C'INSTE
LVMPRAEFECTVMEQVI
TVMSEGOVIAMETIN
220 VACAEORVMGENTEM
ADEQVITVMCONQVISI
TIONEMMISITIVSSV
CVMEQVITIBVSCONTRE
BIAESESEOPPERIRIDI
225 MISSISIISIPSEPROFEC
TVSPERVASCONVMA
GRVMDVCTOEXERCI
TVINCONFINIOVIRO
NVMPOSVITCASTRAPOS
230 TERODIECVMEQVITIB'
PRAEGRESSVSADITINE
RAEXPLORANDAIVSSO
PEDITEQVADRATOAGMI
NESEQVIADVAREIAM
235 VALIDISSIMAMREGIO
NISEIVSVRBEMVENIT
HAVDINOPINANTIB'
IISNOCTVADVENERAT
VNDIQEQVITIBVSET
240 SVAGENTISETAVTRIG

Specimen characterum huius codicis exstat apud "Fragment. M. Tullii Ciceronis Orat. pro M. Fonteio et pro C. Rabirio. T. Livii lib. XCI. Fragment. edit. a B. G. Niebuhrio. Romae 1820." Columnae, quae supra ad exemplar Kreyssigianum, nisi quod charactere minore neque ratione foliorum servata, excusae sunt, quadratis literis exhibentur. Kreyssigius ipse quaedam hic illic supplevit, quae Niebuhrius, ne quid hiulcum remaneret, admittenda censuit, at fatendum esse monuit, nihil esse unde quid supplendum sit, colligamus. Notae, quas Kreyssigius fragmento subiecit, in editione Livii maiori Lipsiae 1827. tom. IV. pp. 375—473 exstant. Fragmentum emendatum et suppletum adeas supr. p. 276. [Ed.]

EPILOGUS

FRANC. GOELLERI

AD LIBRUM TERTIUM TRIGESIMUM.

SED haec quidem hactenus. Reliquum est, ut de libro manu scripto dicam, unde haec nova libri trigesimi rtii editio parata, varietas lectionis in aliis quibusdam bris Livii obvia enotata est.

Is est membranaceus, octoginta foliorum; in bibliotheca ycei Regii Bambergensis asservatur, secundum catalogum, Joachimo Jäckio, qui nunc illi bibliothecae praeest, conectum librorum MSS. ordinis quarti tomus nonus. M. IV. 9.) In vetere catalogo, concinnato a Graffio S. I., ibliothecae circa annum MDCCXL. antistite, librorum istoricorum MSS. tomus sextus. (H. VI.) Hunc librum robabilis est opinio Martini de Reider, rerum cum medii aevi, tum urbis patriae peritissimi, vel sumptibus Henrici II. mperatoris conscriptum, vel pecunia coemptum in usum Scholae ecclesiae cathedralis Bambergensis cum multis aliis libris traditum esse. Floruit enim quondam in hac urbe inter celeberimas schola, cui primus Egilbertus, episcopus Bambergensis[1], praefectus est ab eodem Henrico, qui condidit[2]. Post eum Scholastici munere functi sunt, qui per omnem Germaniam summa quondam auctoritate pollebat, Anno, archiepiscopus Coloniensis, Henrici IV. pueritiae cum Adalberto Bremensi tutor idem ac magister, et circa annum MLXVII. Wilrámus, Lutetiae quoque Parisiorum bonas literas professus, coenobii Merseburgensis abbas.

Codicis Bambergensis hic habitus est, haec forma:

Pagina adversa primi folii, a bibliopego inserti ab homine nescio quo ante Graffium bibliothecae praefecto haec inscriptio consignata literis est:

'Titi Livii ab U. C. historiarum liber XXV. et se-
'quentes deinceps usque ad XXXIX.'

1 Vid. Actt. SS. tom. xxviii. in vit. Henrici II. p. 715. E. F.

2 Vid. Schmidt. Gesch. d. Deutsch. tom. v. libr. v. cap. 9. extr. p. 270. Frankenth.

Nota.

'Ordo in hoc codice commutatus est. Nam qui primo 'loco ponitur, cum octo sequentibus collocandus erat post 'eum, qui hic est ultimus.'

Enimvero totum hoc volumen duabus partibus constat. Prior pars (quam litera *A.* indicabo) longe antiquior altera est; continet libros inde a trigesimo primo ad trigesimi octavi caput quadragesimum sextum. Altera voluminis pars (eam litera *B.* significabo) habet libros inde a vicesimi quarti cap. 7. ad trigesimum; eaque pars multo est recentior. Apparent enim in hac parte multae literae maiusculae, apparent notae, quas Marginalia rei diplomaticae periti appellant, et interpunctiones; apparent diversa ab altera parte scribendi compendia. Insunt etiam numeri, quibus series foliorum indicatur, (Kustoden) qui numeri margini inferiori ascripti sunt octavi fere cuiusque folii.

In penultimo partis B. folio verso, linea vicesima columnae prioris eadem quae parte A. scriptura apparet, ceterum inter lineas idem spatii interest, quod in parte B., nempe ut folia capiant trigenas quinas lineas. At in ultimo huius partis folio, exeunte libro trigesimo lineae eodem intervallo dispositae sunt, quo in parte A., scilicet ut folia habeant trigenas septenas, trigenas octonas lineas. Eodem folio scribendi ratio propius etiam, quam penultimo, ad formam literarum partis A. accedit. Quod quomodo explicandum sit, cum non eadem aetate, non eadem manu utraque pars conscripta sit, haud scio, nisi forte, qui partem B. scripsit, antiquiorem librum A. ad manus habens, characterem pingendo imitatus sit.

Illud folium, quo haec inscriptio legitur, recente charta glutinata obductum est, ita tamen ut luci admota antiquior scriptura cognosci possit. Priorem hanc inscriptionem pene ad verbum Graffius descripsit, a quo in folio super imposito hoc ascriptum est:

'Titi Livii Historia de gestis Romanorum a libro vi-'cesimo quinto ad XXXIX. inclus.'

Nota.

'Ordo librorum in hoc codice immutatus est, nam liber 'qui primo loco ponitur, cum octo sequentibus collocandus 'erat post eum, qui hic est ultimus.

'Ad Bibliothecam Reverendissimi Capituli Bamber-'gensis.'

Numerus librorum minus recte indicatus. Non inest omnino liber XXXIX., neque liber XXXVIII. ultra capitis 46. partem continuatur. Dubium plane, an pars A. vel antiquitus plus continuerit, quam hodieque in ea reperitur, quoniam postremum eius partis folium, item primum folium partis B. sordibus tam foeda, tineis peresa sunt, ut facile intelligatur, multis annis ante, quam a bibliopego uno volumine coniungerentur, illis foliis alteram partem (A.) exitum, alteram (B.) initium habuisse.

Deinde pars B. non solum libros inde a vicesimo quinto ad trigesimum, sed insuper totum fere librum vicesimum quartum complectitur. Etenim ordo librorum hic est: Initium fit a partis A. libro trigesimo primo; exitus trigesimi octavi capite quadragesimo sexto. In parte B. inest liber vicesimus quartus tantum non integer cum sex libris ordine proximis.

Denique Graffium fugit, neque una aetate, neque una manu utrumque librum exaratum esse. Pars enim A., ni seculi X. certe XI. est, iudicibus multis rei diplomaticae peritis. Eademque pars optimae notae est, id quod spero, literarum latinarum amantibus hac editione probatum iri. Altera pars (B.) longe recentior est, neque ita bonae notae. Sed nunc quidem modo de priori video mihi dicendum esse.

In parte A. desunt plane numeri, quibus ordo, ordo chartarum indicatur (Kustoden), item numeri paginarum indices. Paginae binis columnis descriptae linearum trigenarum octonarum, sub finem libri trigesimi octavi trigenarum septenarum. Marginalia etiam quae vocant et interpunctiones requiruntur. Nomina propria literis maiusculis non insignita, nisi raro, velut in nomine VAR. Literae quoque initiales passim desiderantur. Chartis lineae stylo inductae (blinde Linien). Intervalla earum ad marginem subinde punctis notata. Forma libri est, quam quartam appellant.

Anno MDCXI. hi libri a bibliopego corio albo tecti sunt; id quod apparet, ex anteriore tegiminis parte, cui impressum est insigne ecclesiae cathedralis Bambergae, frondibus cinctum. Supra inscriptum:

Capitulum Bambergense.

In parte tegiminis aversa clypei insunt duo, item frondibus cincti. Infra positus est annus MDCXI. Super clypeis adpictae hae literae:

I. C. N. S. G. T. P. || H. V. K. D. D.

i. e. Johannes Christophorus Neustaetter Stürmer Genannt,

Thom (sive Thumb) Probst, et: Hector Von Kotz Dom-Dechant. Sumptibus horum duumvirorum libri contecti, cura laudabili servati sunt[3]. Natus est Johannes Christophorus Neustaetterius a. MDLXXI ob. a. d. II. Nov. MDCXXXVIII. Patruus ei fuit Erasmus, literario commercio cum viris suae aetatis doctissimis, Camerario Posthio, Modio[4] iunctus. Obiit Erasmus a. d. III. Dec. MDXCIV. annum natus septuagesimum secundum.

Inscriptiones librorum in Codice Bambergensi literis maiusculis exaratae. Folia prima postremaque a tineis peresa, sordibus, ut supra dixi, inquinata, utpote libris per longum temporis intervallum sine cultu iacentibus. Reliqua, eaque maxima pars optime conservata, multis locis vere nitida. Membranae passim lacerae, quamquam nexu orationis non interrupto. Sub finem tantum libri trigesimi septimi, et per totum librum trigesimum octavum lacunae nonnullae, ibidem multae correctiones obviae.

Altera pars voluminis (B.) foliis 127 constat. Ea longe, ut dixi supra, deterioris notae est. Quod ne temere dixisse videar, huius libri specimina ex libris XXIV. et XXX. enotata, huc describam :—

3 Dixerunt de gente generosissima Neustätteria auctores librorum, quibus hi tituli sunt: Geschlechts-und Wappenbeschreibungen zu dem Tyroffischen Neuen adelichen Wappenwerk. (12 fasciculi. Norimb. 1805. 4to.) fasc. xii. p. 370—380. cf. Mainzer Münzen, beschrieb. von Würdtwein. (Mannhem. 1769. 4to.) p. 97. Proben des deutschen Reichsadels (auctore Salver. Herbipol. 1775. fol.) p. 492. De Hectore Kotzavio v. Salver. libri laudati p. 502. Obiit ille Cal. Januar. MDCXIX.

4 Joachimi Camerarii Pabebergensis vitam memoriae mandavit Bruckerus in libro, cui titulus: Ehrentempel dér deutschen Gelehrsamkeit. (Aug. Vind. 1747. 4to.) p. 89. sqq. Posthii vita ab eodem conscripta legitur p. 65. ubi inter alia haec narrantur: "Seine (Posthii sc.) "glückliche Gelehrsamkeit machte ihm einem Fränkischen Edelmann, Erasmum Neustätter, genannt Stürmer, einen grossen Beförderer der Gelehrsamkeit zum Patronen, durch dessen Anpreisung an dem Würzburgischen Hofe er zum Leibmedico des Bischofs berufen wurde." In notula K) hoc adjectum: "(Erasmus Neustätter) war Canonicus zu Würzburg und Bamberg, Dechant des Stiffts Comburg, aus welchem Adam (in vit. medic. p. 336.) umgereimt Coburg gemacht hat. Er gedenkt seiner sehr oft mit Ruhme, und in der Zuschrifft seiner Gedichte gestehet or, er habe ihm alles, was er seye und wisse, zu danken. Er scheinet, dass er noch vorher, ehe er aus fremden Ländern gekommen, ihn mit Beyhülfe unterstützt habe, denn er schreibt:

"Quod Rhodanum, et Tiberim *vidi*, camposque feraces,
Quos refluo Scaldis turgidus amne rigat;
Quodque Machaonias tracto hand inglorius artes,
Lingua peregrinos quod mea *docta* sonos,
Muneris esse tui, Sturmere amplissime, norunt,
Qui Tiberim et Scaldin, qui Rhodanumque bibunt."

SPECIMEN

VARIETATIS LECTIONEM

IN

TITI LIVII HISTORIARUM

LIBRIS XXIV. ET XXX.

EX

COD. MSTO. BAMBERGENSI B. ENOTATA.

LIBER XXIV. in[1].

CAP. 7. Ern. *Karthaginiensi populo et Hannibali.* Cod. *Carthaginensi popto et H.* mox *Siracusana concilia.* — Ern. *communiit, praesidiumque imposuit.* — Cod. *communit, praesidiumque imposuit.* — Ern. *atque ex itinere praeter urbem.* Cod. *atque edixit inere preter urbem.* — Ern. *praerogativae Aniensi iuniorum exisset.* Cod. *antē siludiorum exisset.* mox *T. Acilium . . . Emilium regulum cōs.*—Ern. *diceret tum Q. Fabius.* Cod. *diceretque tum Q. Fabius.*

CAP. 8. Ern. *in Italia.* Cod. *in Italiam.* — Ern. *cum eo hoste.* Cod. *cum quo hostem.* — Ern. *laxior locus.* Cod. *anxior locus.* — Ern. *quae in campum.* Cod. *quē in campum.* — Ern. *obferret, is mihi.* Cod. *offerretis mihi.*—Ern. *meminisse videratur.* Cod. *meminisse videretis.* ex corr. vulgatam habet.—Ern. *libertatis.* Cod. *liberatis.* — Ern. *sine ingenti nostra clade.* Cod. *sine ingente nostra cl.*—Ern. *decet, et sibi sic.* Cod. *deme*

1 Initium habet liber MS. Bamb. B. XXIV. cap. 7. inde a verbis: "literis certiorem fecit, Siciliam," etc.

sibi. ex correctione: *decet.*—Ern. *Iubellio.* Cod. *sibelli.* Ern. *Anienis T. Manlium.* Cod. *Anienem, Manilium.*—Ern. *caussam haud multis.*—Cod. *causam ut multis.* Ern. *si minus.* Cod. *sin minus.*—Ern. *in adparatu ipso.* Cod. *in apparata ipso.*—Ern. *quoniam.* Cod. *qm̃.*—Ern. *consules deceat.* Cod. *consules decelis.* (sic.), mox: *prerogative . . . Emilius . . . a sacris mittere* (verso ordine . . . *ut nondum aut belli* (ante correctionem: *bellum*) *deseram* (ante correctionem: *disseram*) *usuram.*—Ern. *aliquot procellis.* Cod. *aliq.† proc.*—Ern. *pene sumus.* Cod. *penl sumus.*—Ern. *T. Octacili, re sumus.* Cod. *letiliope sumus.*—Ern. *Africae oram popularetur.* Cod. *Africē oram popularemur.*—Ern. *ut tuta.* Cod. *ut tota.*—Ern. *Create Consulem T. Otacilium.* Cod. *Create cōs. T. °tacilium.* Ern. *sin autem.* Cod. *sed autem.* mox *velud . . . quibuslibet . . . opponant,* addito ductu, quo significari alias solet syllaba *ur.*—Ern. *quibus sacramento.* Cod. *quibus sacramenta.* mox *trasumenus . . . triste . . . exemplar, et ad praecavenda simile utiles . . . praeconsensem iuniorum* etc. etc.

LIBER XXX. ex.

Cap. 43. Ern. *senatus consulto.* Cod. *senatui consulto.*—Ern. *et quem eam pacem.* Cod. omittit particulam.—Ern. *ex Africa exercitus.* Cod. *ex Affrica exercitum.* mox: *uti rogatae erant . . . cum populo Carthaginiensium . . . et petierunt* pro: *petieruntque . . . sibi, quos vellent,* omisso: *ut . . . ut prius lapides silices. primasque verbenas . . . Romanus imperaret,* omisso pronomine.—Ern. *dari fecialibus.* Cod. ordinem invertit.

Cap. 44. Ern. *Cn. Cornelio, P. Aelio Paeto consulibus.* Cod. *CR̃. p. emilio paeto cōs.* mox. verso ordine: *Scipionem ferunt.*—Ern. *Ti. Claudii.* Cod. *et Claudii.*—Ern. *Karthaginis finiret.* Cod. *Karth. finiretur.* mox *Hastrubal.*—Ern. *quem increpatis.* Cod. *quem increpitas.* mox. *ademta sunt nobis arma . . . nec est ne vos, odio vestro,* punctulis subter voculis *est ne* positis, et supra scripta praepositione *in.*—Ern. *diu quiescere potest.* Cod. *quae sciri potest,* omissa vocula: *diu.*—Ern. *quam pecuniae.* Cod. omittit: *quam.*—Ern. *victae Karthagini.* Cod. *victoriae Karthagini.* Paulo inferius: *Cn. Cornelio cos* (sic). mox *a se.*

Cap. 45. Cod. *traiecit* ex correct. Mox Ern. *in aerarium pondo centum millia viginta tria.* Cod. *in aerarium* $\frac{p}{\text{CXXIII.}}$ (sic). — Ern. *haud ita multo.* Cod. *haud dita* multo. mox: *acutor.* Ex corr. *auctor . . . pilleo . . . Affricani cognomen . . . popularis aurae . . . syllae . . . victae a se gentis.* Postremo: *claraque nomina familiae liquerunt.*

Sed haec in praesens quidem sufficiant. — Constat inter homines, literarum romanarum studiosos, ex parte libri nostri priore (A.) primum XVII. priora libri XXXIII. capita Romae edita esse; reliqua eius libri iam antea ex codice admodum vetusto Moguntiaci publici iuris facta. Editio Moguntina anno MDXVIII. facta est. "Admodum memorabilis (verba Drakenborchii sunt in Elench. editionum Livii ad dict. ann.) est haec editio, quia prima omnium exhibuit maximam partem libri XXXIII. a cap. XVII. §. 6. usque ad libri istius finem, qui integer antea pro deperdito habitus est, et ultimam partem libri XL. a cap. 37. §. 3. usque ad finem: quae operis Liviani particulae in lucem protractae sunt ex bibl. Moguntinae, quae in aede maxima et metropolitana est, perquam vetusto codice, characteribus Longobardicis in membrana scripto. Quum autem codex ille, omnium huius partis praestantissimus, qui partem libri XXXIII. ultimam et libros sequentes usque ad finem libri XL. continebat, passim a vulgata priorum editionum lectione diversus abiret, Nic. Carbachius eum dignum esse censuit, quem diligenter cum olim excusis committeret, eiusque excerptas variantes huic Livii editioni subiiceret, praemissa praefatione, qua consilii rationem reddidit. Eo autem facto optime de Livio meritus est, atque hunc thesaurum, aut certe eius partem, nobis servavit; qui utrum hodie adhuc supersit, aut ubi lateat, incertum est."

Quae cum ita sint, unicus quod sciam huius libri codex MS. noster extat hoc nomine eo maiore cum cura cum editis libris conferendus.

Primum ut dixi, integer liber XXXIII. Romae editus est apud Bartholomaeum Zanettum, in forma octuplice anno MDCXVI. 'Haec editio, Drakenborch. ad h. a. 'ait, continet tantum librum XXXIII. Livii, et in ea 'primum nunc ex codice bibliothecae Cathedralis Bamber-'gensis Caspar Lusignanus evulgavit principium huius libri 'sive XVII. priora capita, quae antea desiderabantur, ad-'ditis Francisci Bartholini Urbinatis, qui ex codice descrip-'tum Romam attulerat, et Antonii Quaerengi castigationibus. 'Observat autem Fabricius in Bibl. Lat., male in fronte

'atque per omnes paginas inscribi librum XLIII. Error 'tamen ab editore, libro iam absoluto, deprehensus est: 'unde etiam pagina ultima sive 79. haec verba adduntur: 'Ubicunque impressum est: liber XLIII. lege: XXXIII. 'etc.'

Quis exemplum confecerit, unde haec editio parata est, quis confectum Romam attulerit, aliis locis memoratur, velut ab Horrione ad Liv. XXXIII. 3, 10. hoc annotatum: 'Puer, qui exemplum fecit, ex quo pars haec Livii primum 'in Italia typis descripta est, reddiderat "armatum," Quae- 'rengus: "armatura."' Puerum fecisse exemplar, credibile est; vitiis enim puerilibus scatuisse, ex editione hac principe intelligitur. Disertior de illo antigrapho Lusignanus in praef. ad ed. Rom. modo dictam: 'Quod si 'magno in pretio est probatissimi antiquitatis artificis e 'ruderibus male erutus marmoreus, aut aeneus sine nomine 'truncus, pascendis oculis artis ostentatione factus, est pro- 'fecto, cur plurimum gratiae habeatur Francisco Bartholino 'Urbinati I. C. multi ingenii et doctrinae; cuius bene- 'ficio, quantum aberat tertio et trigesimo Livii libro, in 'lucem redit. Iacebat nobilis operis fragmentum in codice 'vetusto Bibliothecae venerabilis capituli Ecclesiae Bamber- 'gensis, inde Romam per Bartholinum feliciter migravit. 'Verum etsi longa dies vitam illi non invidit, sanitati certe 'et nitori non pepercit; tamen ita illuvie foedum, et cica- 'tricibus scissum reddidit, ut, licet figuram, unde statim 'agnosci possit, non everterit, multis tamen partibus labe- 'fecerit. Quo factum est, ut edendum non videretur, ante 'quam sanesceret, suoque colori et nitori restitueretur. At 'posteaquam et Bartholini et aliorum eruditorum hominum, 'praesertim A. Quaerengii manus tantum praestiterunt, ut 'non inverecunde egredi posset, et amici suadebant, quale- 'cumque emittendum esse, ut aliorum etiam literatorum 'industriae de illo bene merendi locus relinqueretur, in 'eorum sententiam itum est.'

Denique in praef. ad suam editionem a I. Fr. Gronovio haec prodita sunt: 'Anno 1615. Bambergae Hectore Kot- 'zavio Imperialis ecclesiae decano bibliothecam publicam 'recognoscente ac transferente Iohannes Horrion S. I. sa- 'cerdos, dum singulos codices excutit, in membranas in- 'cidit, quae complures T. Livii libros, in his partem priorem 'XXXIII. adhuc desideratam servabant. Unde exemplum 'factum Franc. Bartholino Urbinati non invidit; atque is 'id Venetiis cum A. Quaerengi notulis multo correctius 'ipse inventor Paderbornae 1617 protulit; tacito ille 'quidem per modestiam nomine, sed illud me docuit, qui 'etiam rarissimi et ad eam diem incogniti mihi libelli

'copiam fecit, Bern. Rottendorfius. Scio fuisse viros doc-
'tissimos, qui de huius fragmenti veritate dubitaverint;
'sed hi passi sunt aliquid humanum, et quale modo
'ridebam in Fr. Asulano, qui in limine primi tomi Aldinae,
'accusatis typographis Florentinis, queritur aliud genus
'sceleris commisisse Basileenses: historiam enim quandam
'rerum Romanarum sub nomine Paterculi edidisse, in quo
'nihil fere Latinum legatur, quod Augusti tempora re-
'doleat, quibus eum floruisse velint. Nimirum in similibus
'deprehensa fraus efficit, ut nondum bene perpensis etiam
'verbis boni diffidant.'

Etenim inter eos, qui a Livii manu hoc fragmentum (17 priora capita libri XXXIII.) esse pernegarent, fuit I. G. Vossius de Hist. Lat. I. c. 19. vid. Thom. Hearnii praef. apud Drakenborch. tom. VII. p. 315. Ceterum editio Romana repetita est Venet. ap. Ioh. Bapt. Ciottum, in forma octuplice ann. MDCXVI. Eodem anno Parisiis; Paderbornae denique anno MDCXVII. item in forma octuplice librum XXXIII. Ioh. Horrion[6] notis adiectis edidit.

Quoniam, qui editionem principem Moguntinam curaverunt, multa temere et pro arbitrio mutarunt, editionem Frobenianam anni MDXXXI. conferendam esse existimavi, cui praefuit Gelenius, vir in his rebus summa cum diligentia versari solitus, qui cod. unicum MS., unde editio Moguntina parabatur, secundis curis recensuit Idque operis non sine magno fructu me suscepisse, valde gavisus sum.

Passim causas corruptelarum, passim veram libri MS. lectionem memoratas inveni, quod nisi contigisset, multis locis vulgarium lectionum originem indagare frustra allaborabam. Nam de suo codice haec Gelenius prodidit ad Liv. XXXIII. 21. 'Quod vero editio Moguntina hic et 'aliis locis degeneravit, in causa fuit priscus charac-'ter, nec hoc seculo cuivis lectu facilis.' Editio illa Frobenii anno MDXXXI. Basileae edita forma maiore. Prodierunt in hac editione primum decadis

6 De Horrione, scriptum in Biblioth. scriptorum S. I., opere inchoato a Ribadeneira ann. MDCII., continuato ab Alegambe usque ad ann. MDCXLII., recognito et producto ad annum Iubilaei MDCLXXV. a Nathanaele Sotrello. (Rom. 1676. fol.) p. 463. "Iohannes Horrion, natione Belga, gente Eburo, dioecesis Leodiensis, ingressus in societatem sedecennis anno 1691., et vota quattuor professus est. Is cum magnos fecisset in poësi et in oratoria facultate progressus, Moguntiae philosophiam, deinde et ibi et Paderbornae theologiam scholasticam, et sacram scripturam multis annis docuit. Desiit inter mortales vivere Coloniae die 21. August. 1641." add. Iäck. in Pantheon d. Bamb. Gelehrt. anno 1815. d. 8. Aug. nr. 16. p. 2120. u. 2121. Biblioth. Coloniens. cur. et stud. Ioseph. Hartzheim. S. I. Presbyt. SS. Theol. Doct. et Regent. Gymn. Tricoronat. (Colon. fol. 1747.) p. 181.

quintae libri quinque priores, sive libri XLI. usque ad XLV., quos Grynaeus ex vetusto monasterii Laurisha-mensis codice in lucem protulit. Eadem editio repetita Basil. anno MDXXXV. Continet eadem ferme, quae praecedens anni MDXXXI., nisi quod in hac iam primum apparent Rhenani et Gelenii in Livium notae, et quod Glareani chronologia, ab ipso recognita, auctior procedat, a Troia capta usque ad Iustinianum Caesarem. v. Drakenb. elench. ad h. a. 'Multum omnino duumviri 'Sigismundo Gelenio, et, quem ille in partem curationis 'adscivit, Beato Rhenano Livii historias debuisse, testatur 'idem Drakenb. praef. T. VII. p. XXXI. sqq.' Hi operam, ait, susceptam hoc modo inter se dispertiti sunt, ut Rhenanus sibi servarit 6 primos Livii libros cum bello Punico secundo; Gelenio vero concesserit quattuor ultimos primae decadis libros, et bellum Philippicum atque Antiochium[7].

7 Sigismundus Gelenius honesto loco Pragae natus est. v. Coelius Secund. Curio praef. in Appian. Rom. Hist. apud Bayl. s. v. Gélénius. not. A. conf. Schweighaeus. praef. ad Appian. p. x. Mature magna itinera suscepit per Germaniam, Galliam, Italiam. In Italia plurimum operae cognoscendis literis latinis tribuit; linguae graecae magistrum habuit celeberrimum Musurum* natione Graecum. Ex Italia redux factus, Basileam delatus in notitiam Erasmi Roterodamensis venit, qui eum Iohanni Frobenio† pro singulari eius ingenio et doctrina commendavit. Is officinae suae praefecto tum graecos, tum latinos, tum hebraicos libros corrigendos mandavit. Huic negotio per 30 annos ad exitum usque vitae praefuit. Multos graecos scriptores latinitate donavit, multos alios, quod inerat in homine acre iudicium, quae linguae utriusque peritia, innumeris mendis purgavit. Concinnavit lexicon tetraglotton, notas conscripsit in Plinium, Tacitum. Latina fecit opera Flavii Iosephi, ipsis ad libros MSS. exactis, homilias item B. Hieronymi, historias romanas Dionysii Halicarnassensis, historiam ecclesiasticam Evagrii, Origenis librum contra Celsum, scripta Philonis, Appiani, Iustini Martyris operum interpretatio morte auctoris interrupta. Editionem paravit historiarum Ammiani Marcellini (v. Vales. praef. ad Ammian. T. I. p. LXXXI. ed. Wagn. et Erfurdt.,) Arnobii adv. gent., denique anno MDXXIII. Hannonis periplum edidit. v. Sax. Onom. T. III. p. 164. Obiit Gelenius Basileae anno vel 1554 vel 1555. Quo anno natus sit, nuspiam memoratum re-

* Musurus literas graecas professus est Patavii, nec latinae, ut homo Graecus, linguae rudis. v. Erasm. Epist. V. libr. XXIII. p. 1209. et Beat. Rhenan. Vit. Erasm. p. 33. 34. cf. Bayl. dict. cr. s. v. Musurus. not. I. Patavio Venetiam, inde Romam migravit, ubi eum Pontif. Max. Leo X. episcopatu Malvagiae in Morea donavit. Paulo post autumno anni MDXVII. Romae obiit. v. Pauli Bombasii Ep. ad Erasm. XXIII. libr. II. Musuro debemus editiones principes Athenaei, Hesychii, Aristophanis comoediarum, alias. v. Bayl. l. l. notis: C. H. K. add. Chevillier. Origine de l'Imprimerie de Paris. p. 194. Saxii Onom. T. II. p. 523. sq.

† Johannes Frobenius, cui operam praebuerunt Ioh. Reuchlinus, Desiderius Erasmus, Beatus Rhenanus, Gelenius. v. Sax. Onom. T. III. p. 8. sqq. Filii erant Hieronymus et Iohannes. v. ibid. p. 9. Iohannes Frobenius, pater obiit anno MDXXVII.. Ei iam operam locaverant Erasmus, Gelenius, qui postea etiam filiis v. Dictionn. raisonné de bibliologie par Peignot. tom. I. p. 273. sq. (Paris. 1802. tomi II. 8vo.)

In altera parte pensi sui, sive in decade quarta (v. Drakenb. l. l. p. xxxv.) duos Gelenius codices adhibuit, alterum Moguntinum, alterum Spirensem, quos nominatim memorat ad Liv. XXXVI. 22, 18. 'Horum (Drakenborchii verbis utar) Moguntinus fuit praestantissimus ille 'omnium istius partis codicum Livianorum, ex quo libro'rum XXXIII. et XL. partes posteriores Moguntiae anno '1518. publicae luci restitutae sunt. Id variis argumentis 'probari potest. Primo enim Gelenius ad Liv. XXXII. '10, 11. affirmat, in altero exemplari suo (intelligit Dra'kenb. Moguntinum) primum et secundum libros atque 'initium tertii quartae decadis desiderari. Eadem autem 'omnia in Msto illo, unde Nic. Carbachius quaedam Livii, 'a nullo unquam antea impressa, primus in lucem protraxit, 'defuisse, colligitur ex eius praefatione in ed. Moguntina 'obvia, quam tom. VII. p. 268. Drakenb. dedit. Deinde 'Gelenius in recensendis particulis librorum XXXIII. et 'XL., quae soli codici Moguntino debebantur, et in nullis 'dum membranis a viris doctis inventae sunt, attamen Mo'guntini sui lectiones laudat.' Denique idem Gelenius ad Livii XXXIII. 21. 8. et ad XL. 39. 8. quas partes primi Moguntini ediderunt, testatur, fragmenta haec libr. XXXIII. et XL. tot vitiis deformata et aliter, quam in membranis legebantur, cum orbe erudito communicata esse, 'ob prisci characteris formas, suo seculo ignotiores, 'nec cuivis lectu faciles.' Haec autem descriptio unice 'convenit optimo Moguntino. Nic. Carbachius enim, qui exemplar a typographis exprimendum ex codice Moguntino paravit, in laudata praefatione confitetur, 'codicem 'suum adeo antiquis literis scriptum esse, ut, nisi ab as-

perii. v. laudatos a Saxio Onom. l. l. et p. 607.

Beati Rhenani vitam diligenter conscripsit laudatus mihi supra Bruckerus in libro, cui titulus: Ehrentempel d. deutsch. Gelehrsamk. p. 10. sqq. Natus est Selstadtiae in Alsatia anno MCCCCLXXXV. ob. Argentorati a. d. XIII. Mart. MDXLVII. De hoc viro p. 13. haec Bruckerus disputavit: "In der Critik, zumal was die alten Schriftsteller betrifft, war er so glücklich und gründlich dass man sich wundern muss, dass er bey damaliger Morgenröthe der schönen Wissenschaften es so weit gebracht habe. Sonderlich hat er sich um Tertullianum unter den Kirchenscribenten, und um Velleium Paterculum unter den Profanscribenten unsterblich verdient gemacht. Dann diesen haben wir ihm am ersten in einer solchen Gestalt zu danken, dass man ihn lesen kann, und ienem hat er zuerst ein solches Licht angezündet, dass aller Glanz der gelehrten Manner, so diesen Kirchenscribenten nach ihm herausgegeben, nicht verdunkelt hat. Was er auch über Plinium, Livium, und sonderlich Tacitum angemerkt, das behält noch heutiges Tages bey den Kennern seinen Werth. Zumal aber hat er sich um die Alterthümer und die Geschichte unsers Deutschlandes durch seine drey Bücher 'rerum Germanicarum' verdient gemacht, in welchen er seine weitläuffige Belesenheit, gute Einsicht und seltene Gelehrsamkeit mit Beyfalle der grössten Männer dargethan hat.

'sueto, legi haudquaquam possit, repuerascendumque pro-
'pemodum sibi fuisse in noscitandis literis.' Quid multa? Ipse Gelenius in praef. monuit, se in editione Liviana secutum esse exemplar, ex quo tertius quartae decadis liber reliquo operi Liviano sua aetate adiectus est, eiusque docuit non pauca loca, quae castigatorem fefellerant, ob imperitiam legendi et scripturae difficultatem, in annotationibus emendasse.

Reliqua pars huius Epilogi, quam hoc loco omittendam esse duxi, in T. Livii libro tertio trigesimo a Franc. Goeller Francofurti ad Moenum a. 1822. edito exstat. [Ed.]

FRANCISCO GOELLERO

S. P. D.

OANNES THEOPHILUS KREYSSIGIUS.

ERGRATAE mihi fuerunt literae Tuae, Vir Praestantissime, quas abhinc biennium et quod excurrit, luntati meae obsequutus, de Livii codice Bambergensi, tenebris in lucem protracto, cum variarum, quas vocant, ctionum specimine ad me misisti. His enim iterum erumque lectis, fieri non potuit, quin magnopere et ipse etarer, et Livio meo gratularer, re multo magis quam erbis confutatum esse Io. Vossium, qui olim Lusignanum mmerito cavillans, de Hist. Lat. lib. I. cap. 19. haec gariebat: 'At qui nuper, tanquam Livii genuinam, libri XXXIII. partem maiorem e veteri, ut ait, bibliotheca primus iuris publici fecit, nae ille fucum fecit auritis Midis; non illis, quibus corculis esse datum est, et qui norunt, quid aera lupinis distent.' Quum vero nuper libelli Tui plagulae, a prelo recentes, essent adlatae cupidiusque, ut fit in re diu exspectata, a me perlustratae, dici vix potest, quanta voluptate fuerim perfusus. Nam unici huius codicis beneficio tot Livii loca mutilata reparari, depravata emendari, conclamata persanari, et ingeniosissimas Gronovii, Dukeri, Perizonii aliorumque coniecturas, velut igne probatas, eiusdem auctoritate confirmari, quis, quaeso, non una mecum in sinu gaudeat? Certatim quidem viri docti hac nostra aetate in eo potissimum elaborarunt, ut codicibus manuscriptis adcuratius excutiendis vel inedita in medium proferrent, vel edita numeris suis explerent et utroque modo communibus literis optime consulerent. Pauca tamen, si a Gaii Institutionibus[1], quas Niebuhrius,

1 In huius operis specimine, Berolini edito, p. 2. §. 5. Goeschenius verissime scripsit: "idem de eo, qui in mancipio est, magis praevaluit." Nam compendium *p̄. lit.* pro quo forsitan olim *p̄. luit* positum erat, vel

plaudentibus Iureconsultis, Veronae in codice palimpsesto detexit, aliisque nonnullis ad literas graecas et latinas pertinentibus discesseris, in magna librorum libellorumque multitudine invenies, quae cum codicis Bambergensis copiis, Bartholino partim leviter delibatis, partim turpiter neglectis comparari mereantur. Has certe, quamvis Angeli Maii meliora haud dubie daturi, si in promptu habuisset, laudibus nihil quidquam detractum velim, longe praeferendas putem omnibus, quae ex Mediolanensi anecdotorum officina prodierunt. Verum tamen his etiam, praecipue Excerptis illis Dionysianis, quae editor doctissimus ex integro Dionysii Halicarnassensis opere nobis venditavit, nonnulla inesse, quibus rerum Romanarum scientia amplificari possit, sub ipsum huius epistolae initium uno saltem exemplo docere placuit. Quod quidem Tibi, Goellere Amicissime, qui me rogaveris, ut, si quid haberem de Livio nostro, quam primum ad Te perscriberem, eo magis gratum acceptumque fore existimavi, quo magis ad loc. Liviani interpretationem et emendationem refertur.

De primo igitur lectisternio, Romae a. 355. a. u. c. habito, in Excerptt. Dionys. XII. 9. 10. post hiemis perfrigidae et nivosae descriptionem haec leguntur: *Ἑορτὰς ἦγον οἱ Ῥωμαῖοι τὰς καλουμένας τῇ ἐπιχωρίῳ γλώττῃ στρωμνὰς, ὑπὸ τῶν Σιβυλλείων κελευσθέντες χρησμῶν. Νόσος γάρ τις λοιμώδης γενομένη θεόπεμπτός τε καὶ ἀνεύ τέχνης ἀνθρωπίνης ἀνίατος εἰς ζήτησιν αὐτοὺς ἤγαγε τῶν χρησμῶν. Ἐκόσμησάν τε στρωμνὰς τρεῖς, ὡς ἐκέλευον οἱ χρησμοὶ, μίαν μὲν Ἀπόλλωνι καὶ Λητοῖ, ἑτέραν δὲ Ἡρακλεῖ καὶ Ἀρτέμιδι, τρίτην δὲ Ἑρμῇ καὶ Ποσειδῶνι· καὶ διετέλουν ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ δημοσίᾳ τε καταθύοντες καὶ ἰδίᾳ κατ' οἰκεῖαν δύναμιν ἅπαντες τοῖς θεοῖς ἀπαρχόμενοι, ἑστιάσεις τε λαμπρότατας ἐπιτελοῦντες, καὶ ξένων τοὺς παρεπιδημοῦντας ὑποδεχόμενοι. Πείσων δὲ ὁ Τιμητικὸς ἐν τοῖς ἐνιαυσίοις ἀναγραφαῖς καὶ ταῦτ' ἔτι προστίθησιν· ὅτι κελυμένων μὲν τῶν θεραπόντων ὅσοις πρότερον ἐν τοῖς δεσμοῖς εἶχον οἱ δεσπόται, πληθυούσης ὄχλου ξενικοῦ τῆς πόλεως, ἀναπεπταμένων τῶν οἰκιῶν διὰ*

propterea per *placuit* explicari non potest, quod nota *p̄* ubique *pras* significat. Rem conficit locus Institutt. IV. 4. 2. "id enim magis praevaluit." Paullo post p. 4. §, 9. Goeschenius ad verba: "at ne illud quidem, interest," haec annotavit: "Cod. *ad.* posuissem *ao*, nisi in Institutt. esset *at*." Sed in Bieneri editione Institutt. III. 20, 1. *ao* legitur, ut apud Gaium supra p. 2. §. 5. "ac ne ipsi quidem aliter actio competit," quae cum Buttmanno sollicitare nolim.

2 Pro *καθύοντες*, quod a typothetae opinor, negligentia profectum non solum editio Francofurtensis, sed etiam Mediolanensis exhibet, *καταθύοντες* scribi oportere, manifestum est. Illud ambigitur, an infra vocabulum *ἑορτάδων*, quod *ἅπαξ λεγόμενον* analogiae saltem non repugnat, in *ἑορταῖων* recte mutaverit Schneiderus in Lex. gr. ed. noviss. s. v. *ἑορταῖος*.

ἡμέρας τε καὶ νυκτὸς, καὶ δίχα κωλύσεως εἰσιόντων εἰς αὐτὰς τῶν βουλομένων, οὔτε χρῆμα οὐδὲν ἀπολωλεκέναι τις ᾐτιάσατο, οὔτε ἠδικῆσθαί τινα ὑπ' οὐδενὸς. καίτοι πολλὰ φέρειν εἰωθότων πλημμελῆ καὶ παράνομα τῶν ἑορτάδων καιρῶν διὰ τὰς μέθας. Ex his multiplex sane utilitas redundat in locum Liv. V. 13. ubi de eodem lectisternio haec narrantur: 'Tristem hiemen, sive ex in-'temperie coeli, raptim mutatione in contrarium facta, sive 'aliaqua de caussa, gravis pestilensque omnibus animalibus 'aestas excepit. Cuius insanabili pernicie quando nec 'caussa nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex senatus 'consulto aditi sunt. Duumviri sacris faciundis, lectis-'ternio tunc primum in urbe Romana facto, per dies octo 'Apollinem, Latonamque et Dianam, Herculem, Mer-'curium atque Neptunum tribus quam amplissime tum 'apparari poterat, stratis lectis placavere. Privatim quo-'que id sacrum celebratum est. Tota urbe patentibus 'ianuis, promiscuoque usu rerum omnium in propatulo 'posito, notos ignotosque passim advenas in hospitium 'ductos ferunt; et cum inimicis quoque benigne ac co-'miter sermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum; 'vinctis quoque dempta in eos dies vincula; religioni 'deinde fuisse, quibus eam opem dii tulissent, vinciri[3].' Primum enim verba: Πείσων δὲ ὁ Τιμητικὸς ἐν τοῖς ἐνιαυσίοις ἀναγραφαῖς καὶ ταῦτ' ἔτι προστίθησιν, aperte docent, Livium haec omnia ex L. Calpurnii Pisonis Frugi sive Censorii annalibus, quos idem lib. I. 55. lib. II. 58. lib. IX. 44. lib. X. 9. et lib. XXV. 39. commemoravit, in

3 Subiicere placuit lectionis varietatem ex Cod. Lipsiensi, de quo dicam postea, diligenter enotatam, ut saltem, quam levis illa sit, ex hoc specimine intelligeretur. Coeli] omissum. — sive alia qua] *sine aliqua.* — insanabili pernicie] *insanalibi penitie.* Literam *r* vocabulo *penitie* manus recentior inseruit. — aditi] *additi.* — tunc primum] *tum primum*, cum aliis apud Drakenborch. — amplissime] *applissime.* — stratis] *statis.* — celebratum, *cellebatum.* Litera *r* a recentiore manu inserta est. — usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosque] omissa. Quum propter ὁμοιοτέλευτον excidissent, a manu recentiore in margine suppleta sunt. — ferunt] *fuerunt.* Postea priori *u* duo puncta sunt subiecta. — habitos] *habiti.* — iurgiis] *urgiis.* Sed manus recentior addidit literam *i*, a praecedenti vocabulo *habiti* interceptam. — vinctis] *iunctis.* Punctum literae initialis erasum est, ut *uinctis* legatur. — religioni] *religionem*, cum Cod. Veith. et aliis apud Drakenborch. — dii] omissum. Praeterea in Ed. Ascens. a. 1513. postea a. 1516. repetita, quam a Livii editoribus immerito neglectam esse, Müllerus in Obss. Livianarum specimine, Cizae, 1789. exemplis docuit, hanc lectionis diversitatem deprehendi: tristem hiemem sive] *hyemem tristem seu.* — sive alia qua] *sive alia quacumque*, cum aliis libris apud Drakenborch. — lectisternio] *lectisternia.* — facto] *facta.* Utrumque aliae quoque editiones offerunt. — Latonamque et] *Latonem et* — amplissime] Hoc in textu: in marg. *piissime.* Praecedens *quam* literas *am* intercepit; quo facto, *plissime* facile in *piissime* mutatum est. — iurgiis ac] *iurgiis atque.* — dii tulissent] *detulissent*, de qua lectionis varietate vid. Drakenborch. ad. h. l.

suos Historiarum libros eodem fere modo transtulisse, quam Livianam pugnae inter Manlium Torquatum et Gallum descriptionem lib. VII. 10. ex Claudii Quadrigarii annalibus, quorum fragmentum Gellius Noctt. Att. IX. 11. servavit, petitam esse post alios monuit Krusius in Diss. de fide Livii recte aestimanda, Lips. 1812. p. 14[4]. Tum lectisternium illud non per octo, sed per septem dies habitum esse, apparet ex verbis ἐφ' ἡμέρας ἑπτά, quae, quum Livium a Dionysio, eundem auctorem sequuto, in dierum numero discrepare, non magis probabile sit, quam librarios vocabula ἑπτὰ et ὀκτὼ vel literas vicarias ζ et η confudisse, ut in Livii loco pro 'per dies octo,' numerorum notis VII et VIII. inter se commutatis, 'per dies septem' reponamus suadere videntur. Deinde hoc ipso Dionysii loco Dousatius et Rupertius, quorum ille Apollinem et Dianam cum Latona matre primum, Herculem et Mercurium, Iove et ipsos natos, secundum, Neptunum, eiusdem fratrem, tertium occupasse lectum credidit, hic autem Latonam cum Apolline et Diana, matrem cum liberis, in primo, Herculem in altero, Mercurium et Neptunum in tertio accubisse lecto statuit, facile poterunt erroris convinci. Etenim binos in singulis lectis deos, id quod iam Drakenborchius ex Liv. XXII. 10. recte coniecit, fuisse compositos, non tam significant, quam declarant verba: ἐκόσμησάν τε στρωμνὰς τρεῖς, ὡς ἐκέλευον οἱ χρησμοὶ, μίαν μὲν Ἀπόλλωνι καὶ Λητοῖ, ἑτέραν δὲ Ἡρακλεῖ καὶ Ἀρτέμιδι, τρίτην δὲ Ἑρμῇ καὶ Ποσειδῶνι. Quum vero Rupertius opinionem suam, quam alios quoque ante se habuisse, non satis accurate monuit, copularum collocatione probabilem reddi, non temere dixerit, nescio an Dionysii auctoritate, vocula 'et,' quam Cod. Lovel. 2. omittit atque Cod. Havercamp. post 'Herculem' inserit, transposita, sit rescri-

4 Huc etiam referendus est locus simillimus de M. Valerii Corvi pugna cum Gallo Liv. VII. 26. coll. Gell. Noctt. Att. IX. 11. ubi haec res in libris annalibus memorata dicitur, Excerptt. Dionys. XV. 1. et Suid. s. v. ἀμύσσειν. In Livii narratione vide, an pro: "*Minus insigne certamen humanum numine interposito deorum factum*," quae Walchius in Emendatt. Liv. p. 34. ita tentavit, ut *auctum* pro *factum* legendum esse coniiceret, rescribendum sit: "Minus insigne certamen humanum, numine interposito, decorum factum." Nam haec quoque, ut Livius in Praefat. ait, "poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum gestarum monumentis, traduntur." cf. Niebuhrii Hist. Rom. Part. II. p. 455. sq. et p. 459. sq. Apud Gellium haud scio an pro *unguibus manum laniabat*, quod per se quidem non reiiciendum praecedentibus: *in adversarii os atque oculos pugnare incipit*, non congruere videtur, audaciore coniectura sit refingendum: *unguibus malas laniabat*, h. e. τοῖς ὄνυξιν ἤμυττε τὰς παρειάς, quod in Dionysii descriptione legitur. Similiter etiam Ovid. Met. XII. 562. sq. de Periclymeno in aquilam mutato: "Viribus usus avis, pennis roetroque redunco, Hamatisque viri laniaverat unguibus ora."

bendum: 'Apollinem Latonamque, Dianam et Herculem, 'Mercurium atque Neptunum.' Nam quae de Livii more copulae 'que' particulam 'et' vel 'ac' subiiciendi Drakenborchius ad Liv. II. 31. 1. et lib. V. 17. 9. monuit, in hunc nostrum locum, quo non tria, ut lib. XXXIII. 25. 3. et alibi, sed plura iunguntur subiecta, per paria inter se distinguenda, haud quadrare videntur. Denique, ut nec hoc omittam, vinctos illos, quibus dempta in eos dies vincula dicuntur, esse servos a dominis in carcere detentos, perspicue demonstrant verba: *λελυμένων μὲν τῶν θεραπόντων ὅσους πρότερον ἐν τοῖς δεσμοῖς εἶχον οἱ δεσπόται*, quae ex parte saltem confirmant sententiam Dukeri, cuius haec est ad h. l. nota: '*Vinctis quoque dempta in eos dies vincula*] 'Hoc Casaubonus ad Suet. Tib. c. 61. de iis, qui publice 'vincti erant, videtur accipere. Fortassis ad nexos ob aes 'alienum pertinet, et ad religionem, qua haec sacra pri-'vatim celebrata fuisse dicit Livius.'

Iam vero, ne diutius Te, Amice Suavissime, in ipso epistolae principio morer, ad alia pergam, multo Tibi, opinor, iucundiora et exoptatiora. Quum enim ex literis Tuis intellexissem, Te quam maxime desiderare Romanam libri XXXIII. editionem, a. 1616. evulgatam atque hoc ipso anno Venetiis et Parisiis, insequenti autem Paderbornae cum Horrionis notis repetitam, hanc ut nanciscerer usquam et in Tuos usus cum textu Drakenborchiano conferrem, nihil reliqui faciendum existimavi. Postquam igitur Spohnius eruditissimus mihique carissimus me per literas docuerat, eam in locupletissima Senatus Lipsiensis bibliotheca asservari, sine mora adii Blümnerum, virum iuris consultissimum atque ad bonas literas, quas doctrina ornat, quoquo modo iuvandas paratissimum. Qui quidem precibus meis eo facilius annuit, quo benignius iam antea Livii codicem membranaceum ex eadem bibliotheca mecum communicaverat. Est autem ille ipse codex Lipsiensis, ex quo Drakenborchius olim per Longolium quattuor priorum librorum excerpta accepisse se praedicavit tom. VII. p. 323. sq. et quem postea Ernestius, id quod in praefatione Livio praemissa p. 9. sq. profitetur, penitus excussurus erat. Atque dignus sane est hic liber manu scriptus, qui cum textu vulgato diligentius conferatur, quum Longolius in prioribus libris alia prorsus praetermiserit, alia non satis accurate exsignaverit, atque in reliquis etiam hic codex, praeter ingentem lectionum vanissimarum farraginem, probas nonnullas et minime contemnendas offerre videatur. Quum enim iam in aliquot Iustini codicibus melioris notae non sine fructu pervolutandis plurimum laboris ac taedii exhauserim, codicem

Livianum, operis mole deterritus, non nisi passim inspe- ita ut pauca tantum exempli gratia subiicere possim. A primum quidem lib. I. 5. pro: *qui ex eo genere Arcadu multis ante tempestatibus tenuerat loca*[5], in Cod. Lip ensi quoque rectius legitur: *qui ex eo genere archada multis ante tempestatibus tenuerit loca*, quod Longol non annotavit. Deinde idem memoriae prodidit, lib. III 58. pro: *octies extra ordinem donatus*, in hoc ipso codi exstare: *tricies extra ordinem donatus*, quod per se no spernendum foret, quum etiam lib. XLII. 34. veterani iactitet: *quater et tricies virtutis caussa donatus ab im peratoribus sum.* Sed nostro loco Cod. Lipsiensis cu aliis, quos vide apud Drakenborchium, pro *octies* sai perspicue *tociēs*, i. e. *tociens* sive *totiens*, scriptum exhibet[6]. Verum tamen, ut haec levia sint, aliaque, v. c. quod lib. I. 57. pro *Ardeam Rutuli habebant*, in eode codice perquam ridicule *Arceam vituli habebant*, exaratum est, multo leviora, Plinianum illud: *Nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset*, uti de omnibus, ita de hoc quoque codice valere, uno saltem exemplo docere liceat. In vivida enim illa cladis Cannensis descriptione, quae lib. XXII. 51. legitur, inter alia haec exstant: *Praecipue convertit omnes substratus Numida mortuo superincubanti Romano vivus, naso auribusque laceratis: quum, manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus, laniando dentibus hostem, exspirasset.* Ex hoc fonte parum, ut videtur, limpido sua hauserunt Valerius Max. III. 2. 11. et Silius Ital. VI. 41—53. atque lectionis vulgatae antiquitatem testantur. Quum vero Livius non tam Poenorum et Numidarum, quam Romanorum foedam etiam hostibus stragem exponat, auctoris consilium et ipsa narrationis series flagitare videntur, ut vitium Valerii ac Silii aetate antiquius corrigas atque totum locum, cuius difficultates Doeringius primus sensit, non magis tamen quam Rupertius sustulit, in hunc ordinem redigas: *Praecipue convertit omnes substratus Numidae mortuo superincubanti Romanus vivus, naso auribusque*

5 Ita enim ex sententia Drakenborchii, qui pronomen *ea*, quod verbis lib. I. 1. *qui tum ea tenebant loca*, tueri possis, codicum auctoritate delendum censuit, scribendum esse, apparet ex eius notis ad h. l. et Erratorum indice tom. VII. p. 343. ex quo recentiores Livii editores, ut leviora mittam, etiam discere potuissent, lib. X. 46. non, numero immodice aucto, *pondo millia trecenta triginta*, sed ex ed. Gronov. a. 1679. aliisque *P. M. XXXCCC.* in quo operae lapsi sunt, sive, *pondo mille trecenta triginta*, esse reponendum.

6 Contra ea Liv. XXXI. 9. extr. pro *toties* in Cod. Bamberg. *octiens* exstat, cui lectioni, licet eam memoratu dignam iudices, non multum equidem tribuerim. Nam praecedens *vovit* effecisse videtur, ut *toticns* librarii negligentia in *octiens* abiret, hoc autem a manu emendatrice in *octiens* mutaretur.

laceratis: quum, manibus ad capiendum telum inutilibus, in rabiem ira versus, laniando dentibus hostem, exspirasset. Quippe Romanus ille, quem Numida dentibus dilaniaverat, vulneribus confectus et iam propior leto cogitandus, veluti quosdam, id quod Livius supra memoravit, iacentes vivos succisis feminibus poplitibusque invenerunt. Cuius quidem coniecturae, olim in Obss. in auctt. Rom. class. Spec. I. a. 1810. edito, p. 13. sqq. copiosius expositae atque in Actt. Seminar. Reg. et Soc. phil. Lips. Vol. II. Part. II. p. 444. sq. breviter repetitae, nunc quoque non est, cur me poeniteat; praesertim quum nostram qualemcunque opinionem egregie confirmet Cod. Lipsiensis, in quo hic locus ita exaratus est: *Praecipue convertit omnes subtractus numide mortuo superincumbenti romanus vivus. Naso auribusque laceratis cum manibus in rabilem ira versus laniando dentibus hostem expirasse.* Utinam testem citare possim locupletiorem.

Misenae. 1819.

Huius Epistolae pars reliqua desideratur, quam Goellerus editioni suae T. Livii libri XXXIII. Francofurt. ad Moen. 1822. subiecit. [Ed.]

PRAEFATIO KREYSSIGII

AD LIBRUM TRICESIMUM TERTIUM.

QUOD iam dudum vehementer exoptaveram, neque tamen, quum olim in Ernestiana Livii editione recognoscenda occupatus, ut mihi de Franc. Goelleri eiusque socii diligentia multas ob causas dubitanti codicis Bambergensis denuo inspiciendi copia daretur, a Ioach. Iaeckio, bibliothecae Bambergensis praefecto, verecunde quidem, ut par erat, sed frustra contendissem, unquam eventurum esse speraveram, id ipsum ante hos octo et quod excurrit annos casu aut forte fortuna nec opinanti mihi ultro est oblatum. Absoluta enim Livii editione, quam Imm. Bekkerus in usum scholarum adornavit, libraria Weidmannia codicis Laurishamensis sive Vindobonensis collationem, a Barth. Kopitario, bibliothecae Caesareae Vindobonensis custode, eiusdem librariae sumptibus in meos usus institutam atque cum Bekkero communicari iussam, mihi remisit, adiectis duobus codicibus Bambergensibus[1], quorum alterum longe praestantiorem olim, ut supra dixi, nancisci non potueram, alterum sex priores Livii libros cum septimi particula complectentem Godofr. Seebodius, id quod Iaeckius nuperrime ad me perscripsit, nunc quum maxime perscrutatur. Horum codicum aspectus iucundissimus,

1 De utroque vide Iaeckii Vollständige Beschreibung der öffentlichen Bibliothek zu Bamberg. Nürnberg, 1831—34. Part. I. p. LII. et 110. atque Part. II. p. X. L. IV. Scripturae specimina ex his codicibus deprompta reperiuntur in opere splendidissimo, quod idem Iaeckius edidit ita inscriptum: Viele Alphabete und ganze Schrift-Muster vom VIII. bis zum XVI. Jahrhunderte aus den Handschriften der öffentlichen Bibliothek zu Bamberg. Leipzig, 1833—35. Fasc. III. Tab. VI. No. 2. et 5. Miror tamen, Iaeckium non libri tricesimi tertii, id quod Goellerus fecit, paginam aliamve codicis antiquioris particulam, sed verba Lib. XXIV. 7. *literis certiorem fecit*, etc. ex codicis recentioris principio petita a chalcographo describi iussisse.

dici vix potest, quantam mihi voluptatem attulerit: neque mirabar, nullam fasciculo inclusam esse epistolam, quae, qua ratione in meas manus pervenerint, copiosius exponeret; quippe qui olim librariae Weidmanniae per litera significassem, me maximo praestantioris illius codicis desiderio teneri. Illico igitur, ne rescribendo tempus perderem, ad laborem strenue suscipiendum ac perficiendum me accinxi et, quum a tricesimo tertio Livii libro ad ceteros, qui codice Bambergensi continentur, libros essem progressus, Goellerum eiusque socium, sive tempore exclusos, sive necessitate coactos, raptim omnia ac praepropere egisse, Bekkerum autem, licet codicem eximium diutius domi suae haberet, Goellero ubique temere confisum alia invito codice in orationis contextum recepisse, alia vulgatis utique praeferenda omisisse intellexi. Profligato deinde ac paene confecto labore, cuius gravitatem et molestiam impigrum de Livio bene merendi studium magnopere levabat, successu exsultans rem laetissimam, ut arbitrabar, ad librariam Weidmanniam detuli et, num librum a me inchoatum ac mox absolvendum suis impensis divulgare vellet, ex ea quaesivi. Tantum autem abfuit, ut ad spem eventus responderet, ut illa praeter exspectationem mihi rescriberet, codices Bambergenses ad Iaeckium, cui fide interposita satis datum sit, remittendos per errorem sibi maxime poenitendum in meas manus pervenisse, et Bekkerum, nisi incepto absisterem, integra codicis Bambergensis collatione, quam in promptu habeat, foras emittenda consilium meum ad vanum atque irritum esse redacturum[2]. Quibus quidem artificiis et comminationibus, praesertim quum codex Bambergensis, id quod Bekkero responderi iussimus, prae ceteris dignus sit, qui non a duobus, sed a tribus diligentissime pervolutetur et excu-

2 Verba epistolae, Lipsiae a. d. VIII. Id. Sextil. a. 1830. datae, haec sunt: "Zugleich müssen wir Ihnen melden, dass Hr. Professor Bekker erklärt hat, die Collation sei vollständig in seinen Händen, das Brauchbare daraus habe er für seinen Text benutzt, und er werde, falls Sie auf der Ausführung Ihres Vorhabens bestehen, das Ganze auf wenigen Bogen drucken lassen und dies im voraus öffentlich bekannt machen." Utinam Bekkerus tenax propositi, ne mendacii turpissimi coargueretur, et absoluta saltem Livii editione codicem antea ne inspectum quidem diligentius cum editis contulisse, publice docuisset.

tiatur, haudquaquam passus sum me prohiberi, quo minus liberum codicis praestantissimi usum a Iaeckio precibus enixissimis, quas ille perquam benevole admisit, impetrarem et, quam largam lectionum maxime memorabilium messem Goellerus pariter ac Bekkerus nobis reliquerit, partim in editionis Bekkerianae censura Ephemeridibus literariis Ienensibus a. 1831. No. 153—156. p. 257—287. inclusa, partim in *Meletematum criticorum Spec. I.* Misenae a. 1832. edito demonstrarem, simulque obtrectatorum criminationibus obviam eundo mea mihi vindicarem.

Haec de re aeque ingrata ac iucunda praefati primum omnium pauca addamus iis, quae Goellerus p. 347. sqq. de codicis Bambergensis ad saeculum undecimum vel duodecimum referendi forma et habitu disseruit. Adiecta erat codici chartula, in qua vir doctus nescio quis haec consignaverat:

'*Fol.* 81 [sive 1.] *sind* 14 *Zeilen des* 7. *Kapitels, dann* '*folgt das* 8. *bis zum Schlusse des* 24. *Buches. Der Kustos* '9. [imo 8. sive VIII.] *steht hinten.* [id est in aversa fol. 8. 'pagina.] *Die Kustoden laufen fort bis* 23. *incl.* [Hic in 'aversa fol. 126. pagina reperitur.] *wovon N.* 21. *nur* 6 '*Blätter, die übrigen* 8 *Blätter haben.*'

'*Fol.* 1. [sive 128.] *beginnt das* 31. *Buch einer ganz* '*verschiedenen, älteren Handschrift von* 80 *Folioblättern.* — '*Die Gleichartigkeit der Lettern der* 2 *letzten Seiten des* 30. '*Buches mit denen des* 31. *wäre veilleicht nur dadurch er*-'*klärbar, dass beide entweder vom nämlichen Schreiber sind,* '*oder nach den letzteren kopirt wurden*[3].'

'*Am Schlusse des* 36. *Buches findet sich der Schreib*-

3 Goellerus quoque p. 348. sq. "In penultimo, inquit, partis B. [id est codicis recentioris] folio verso, [sive fol. 126b] linea vicesima columnae prioris eadem quae parte A. [id est in codice antiquiore] scriptura apparet, ceterum inter lineas idem spatii interest, quod in parte B., nempe ut folia capiant trigenas quinas lineas. At in ultimo huius partis folio, exeunte libro trigesimo lineae eodem intervallo dispositae sunt, quo in parte A., scilicet ut folia habeant trigenas septenas, trigenas octonas lineas. Eodem folio scribendi ratio propius etiam, quam penultimo, ad formam literarum partis A. accedit. Quod quomodo explicandum sit, cum non eadem aetate, non eadem manu utraque pars conscripta sit, haud scio, nisi forte, qui partem B. scripsit, antiquiorem librum A. ad manus habens, characterem pingendo imitatus sit." Ultima ex iis, quae in chartula codici Bambergensi adiecta leguntur, petita esse apparet. De ceteris deinceps dicemus.

'*fehler Buch* 38. *statt* 37., *welcher Fehler auch im nächsten* '*Buche fortgesetzt wurde*[4]. *Das* 38. *Buch endigt sich mit* '*den ersten* 2 *Zeilen des* 46. *Kapitels.*'

Septem igitur, qui interciderunt, codicis recentioris octerniones, quos vocant, Lib. XXI. et sequentes usque ad verba Lib. XXIV. 7, 8. *bellum oriens ex propinquo quum cerneret, senatum* complectebantur: qui restant sexdecim a verbis *literis certiorem fecit* incipiunt et in Lib. XXX. fine desinunt. Qui hunc codicem exscripsit librarius in aversa fol. 126. pagina vers. 20. in verbis Lib. XXX. 42. 21. *Per quos deos foedus icturi essent, quos eos, per quos* substitisse, et proxima *ante ictum esset*, usque ad verba cap. 43. 13. *nominis Latini qui erant, securi percussi*, quibus altera huius paginae columna triginta quinque versibus constans finitur, ab alio librario exarata esse videntur. Namque literarum ductus paullo minores et elegantiores, id quod Goellerus p. 348. recte monuit, atque orthographia sive vocabulorum scribendorum ratio ad codicis antiquioris similitudinem propius accedunt. Praeterea idem librarius in adversa fol. 127. pagina, quum novem prioris columnae versus essent omissi, lacunam verbis *Romani in crucem sublati*, et cap. 44. *Annis ante quadraginta — — exitio Carthaginis finiret*, ita expleris, ut haec cum sequentibus male coagmentaret hoc modo: *finiret*". *carthagini* etc. Scripturae diversitas a Goellero p. 354. non satis accurate enotata haec est:

Lib. XXX. Cap. 42. inquit] *inquid.* — qui tam] *quoniam tam.* Erroris originem Drakenborchius explicavit. — Cap. 43. provincia] *provintia.* — senatusconsulto] *senatus consulto.* — M'. Acilius et Q. Minucius tribuni plebis] *M. Atilius et Q. Minutius tr. pl.* — Karthaginiensibus] *Carthaginiensibus.* Sic hoc nomen ubique scriptum est. — et quem eam pacem dare] *quem eam pacem dare*, omisso *et*, quod praecedens *fieret* intercepit. — ex Africa exercitus] *ex Affrica exercitum.* Paullo post tamen *exercitus* in codice

4 Libro XXXVI. est subscriptum: "Liber XXXVI. explicit, incipit Liber XXXVIII." et libro XXXVII. subiectum: "Liber XXXVIII. explicit, incipit Liber XXXVIIII." Ubique tamen nota *I.* ut numeri congruerent, erasa est.

legitur. — uti rogassent] *uti rogatae erant.* — eumdem] *eundem.* — cum populo Karthaginiensi] *cum populo Carthaginiensium.* — petieruntque] *et petierunt.* — conloqui] *colloqui.* — quum] *cum.*—ut sibi] *sibi,* omisso *ut.* — quum ducentos ferme] *cum CC. ferme.*—senatusconsultum] *S̄C̄.* —ducentos] *CC.*—Karthaginienses] *Carthanienses,* syllaba *gi* superscripta. — Africam] *Affricam.* — nunciarentque] *nuntiarentque.* — quum in Africam] *cum in Affricam.* — senatusconsultum in haec verba factum est] *S̄C̄. factum est in haec verba.* — privos] *prius.* — privasque] *primasque.* — praetor] *pretor.* — his imperaret] *imperaret,* omisso *his.* praetorem sagmina poscerent] *pretorem sagminā poscerent,* lineola vocabulo *sagmina* temere superimposita. — sumtum] *sumptum.* — dari fecialibus] *fecialibus dari.* — Karthaginienses] *Carthaginenses,* litera *i* superscripta. — quum in Africam] *cum in Affricam.*—quattuor millia] *IIII milia.* Satis erat *IIII* scripsisse.—quae remis agerentur] *quae remis regerentur.*—tum ipsa Karthago] *ipsa Carthago,* omisso *tum.* — perfugis] *pgis,* syllaba *per* per compendium scripta et syllaba *fu* superimposita. — Cap. 44. quadraginta] *XL.* — tribus et viginti] *tribus et XX.* — septimodecimo anno] *septimo X anno.* — Cn. Cornelio P. Aelio Paeto consulibus] *Cn. P. Emilio Paeto cos.,* omisso *Cornelio.* Goellerus codici perperam *CR*. pro *Cn.* et *cōs.* pro *cos.* tribuit. — Saepe] *Sepe.* — ferunt Scipionem] *Scipionem ferunt.* — Ti. Claudii] *et Claudi,* non *Claudii,* ut Goellerus perhibet. — cupiditatem] *cupiditate,* omissa lineola pro litera *m* poni solita. — deinde] *dein.* — Karthaginis] *Carthaginis.* Illud Goellerus codici falso tribuit. — finiret] *finiret*, id est *finiretur,* cui illud ed. Frob. 2. substituit.

Sed haec leviora: illud haud paullo gravius, quod Goellerus non vidit, folium 127., cuius paginam aversam librarius propterea vacuam reliquit, quod in adversa decadis tertiae liber ultimus finitur, antiquioris codicis particulam esse cum recentiore, ut supra memoravi, minus apte coagmentatam. Primum enim eadem est, quae in antiquiore codice reperitur, membranae bonitas et crassitudo; deinde hoc folium cum octernione vicesimo tertio non cohaeret, sed a bibliopego agglutinatum est; tum adversa huius folii

pagina codicis antiquioris paginas altitudine pariter ac latitudine ad amussim aequat; deinde huius paginae columna altera eaque integra, alterius enim partem superiorem a priore librario vacuam fuisse relictam diximus, non triginta quinque, ut in codice recentiore, sed duodequadraginta, ut in codice antiquiore, versibus constat; denique literarum ductus, orthographia, scripturae compendia et correctiones mendorum ab iis, quae in antiquiore codice reperiuntur, ne tantillum quidem differunt. Quae quum ita sint, scripturae diversitatem in hac codicis parte repertam atque a Goellero p. 354. sq. parum diligenter enotatam, ex qua Lib. XXX. 44. lectionem: *Necesse est, in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis,* a Drakenborchio coniectura praeceptam restitui, suo loco reponere non dubitavi. Ceterum libro tricesimo, id quod Goellerus praetermisit, haec subscriptio est subiecta: *Titi Livii ab urbe condita Liber XXX. explicit feliciter.* Alibi tamen librarius non *Titi Livii*, sed *Titi Livi posuit*[5].

Quemadmodum autem ex scripturae similitudine potissimum intelligitur, hoc folium olim cum codice antiquiore fuisse coniunctum, ita totum codicem non ab uno, sed a pluribus librariis exscriptum esse, ex eiusdem dissimilitudine apparet, quam in tribus hisce codicis antiquioris partibus nobis deprehendisse videmur. 1) Fol. 128—168ª sive Lib. XXXI. 1. *Me quoque iuvat,* etc. usque ad Liv. XXXIV. 72. *finire nutu disceptationem potuisset.* In hac parte singulae columnae duodequadragenis, et inde a fol. 167ª tricenis septenis versibus constant. 2) Fol. 168ᵇ—175ᵇ sive Lib. XXXV. 1. *Principio anni,* etc. usque ad Cap. 33. *praevertendum sibi esse, dixit: decretum.* In hac parte, cuius singulae columnae tricenis septenis versibus constant, scriptura primum quidem propius ad illam accedit, sed paullatim longius ab ea recedit. 3) Fol. 176—207ᵇ sive Lib. XXXV. 33. *responsumque breve in Italia,* etc. usque ad Lib. XXXVIII. 46. *Quid igitur in-ci-*, ubi codex desinit. In hac parte, quae literulis com-

5 Vide Iuvenatii nostrasque Annotatt. ad Livii Fragm. Lib. XCI. p. 375. sqq. et quae Freundius ad Cic. pro Mil. cap. 1. p. 1. sqq. hac de re disseruit.

positissimis, ut Cicero ait, et clarissimis in membrana crassiore exscripta est, singulae columnae duodequadragenis, et inde a fol. 192[a] tricenis septenis versibus constant. Praeterea lacunae, quae olim Lib. XXXI. 16[6]. 30. et 50. Lib. XXXIII. 29. Lib. XXXVII. 10. 18. et 47. atque Lib. XXXVIII. 12. in codice describendo vacuae erant relictae, postea ab aliis, ut mihi quidem videtur, librariis diligenter admodum sunt expletae.

Quanta porro, ut ad graviora pergamus, commoda ex codice Bambergensi ad Livii, quos continet, libros supplendos atque emendandos redundaverint, uti perfacile est docere, ita non minus facile intelligitur, permagnum eius usum esse in libro tricesimo primo et tricesimo secundo, quos ad codicum aetate ac praestantia Bambergensi longe inferiorum[7] fidem editos esse constat, maximum in libro tricesimo tertio, cuius pars maior, priusquam initium ex codice Bambergensi accederet, ex codice Moguntino in lucem est protracta, minorem in ceteris, quos et ipsos codicis Moguntini ope iam dudum optime suppletos atque emendatos esse neminem fugit. Quo clarius autem codicis Bambergensis virtutes exsplendescant, singula ad certa quaedam genera, exemplorum varietate adiecta, revocasse iuvabit.

Primum igitur lacunas permultas, maiores alias, alias minores, quarum ne vestigia quidem interdum comparebant, optime explet. Lib. XXXI. Cap. 14. *et irritatio quidem animorum.* — Cap. 15. *cum, si institissent tunc Philippo.* Vocula *tunc* in codice perperam omissa est. — Cap. 24. *mille ferme passus longus.*—Cap. 31. *Eadem haec Chios* sive potius *Cianos.* — Cap. 34. *brachiis cum humero abscisis.*—Cap. 36. *hostem vidit, in tumulos quoque ac sub ipsum vallum.* — Cap. 43. *et quingentos equites.* — Cap. 45. *urbem arcemque tradiderunt.* — Ibid. *ad Canastraeum.* —

6 Hanc quoque lacunam ab alio librario suppletam esse, pro certo affirmare nolim. Vide, quae ad hunc locum p. 136. annotavi. De ceteris vix est, quod dubites.

7 Inter hos principatum obtinet Cuiacianus sive Lovelianus primus, de quo vide nostrorum Meletematum criticorum Spec. II. quo Iusti Lipsii Annotationes ad T. Livii Lib. XXI. in bibliotheca Guelpherbytana repertae continentur. Misenae, 1837. p. 3. sqq.

Cap. 46. *Itaque cum praeter spem tempus ibi traheretur, plusque in obsidione et in operibus, quam in oppugnatione celeri spei esset.* — Cap. 49. *bina iugera agri.* — Lib. XXXII. Cap. 11. *armentum pascere solitum, ait.* — Ibid. *si semper aliquos consul mittere velit.* — Ibid. *Haec ubi consul audivit, percunctatum ad Charopum mittit, satisne credendum esset tanta re agresti censeret?* — Cap. 14. *cum iam scalas ad moenia erexisset.* — Cap. 21. *maritimae tum urbes.* — Ibid. *compulsi et deprensi.* — Cap. 30. *Oppida Gallorum, quae Insubrum defectionem secuta erant.* — Cap. 31. *Literae consulum amborum de rebus in Gallia gestis prospere* sive potius *prospere gestis.* — Lib. XXXIII. Cap. 17. *longae hae fauces erant.* — Ibid. *Tum pars in medio caesi.* — Cap. 18. *ad Alabanda.* — Ibid. *tenui tum aqua.* — Ibid. *Inclinato deinde laevo cornu, in dextrum omnes connisi.* — Cap. 19. *ex Ptolemaei ditione.* — Ibid. *Ciliciae, Lyciaeque et Cariae.* — Cap. 20. *cum regibus Persarum.* — Ibid. *eo fine.* — Ibid. *aut iis aut sociis eorum.* — Cap. 21. *ab Thebis.* — Ibid. *in maritima ora Malacinos, Sexetanosque, Etruriam omnem,* ubi *Bacteriam* pro *Etruriam* ponendum. — Cap. 22. *et C. Cornelius adiiceret.* — Ibid. *honorem immeritum.* — Cap. 23. *Aeris tulit in triumpho,* vocabulo *aeris* post *quingentos* sive *et quingentos* omisso. — Cap. 24. *et ab rege Philippo.* — Ibid. *Ibi haud multa verba facta.* — Cap. 25. *multos illustres viros.* — Ibid. *duas urbanas.* — Cap. 27. *Restitutis iis.* — Ibid. *legatos gratias agentes ei.* — Cap. 28. *si sibi conscius esset.* — Ibid. *mentionemve eius caedis.* — Ibid. *cum scirent ipsi nihil.* — Ibid. *eo ipso timore rem ad iudicium protraxit.* — Ibid. *et ad magistratus indicium defert.* — Cap. 29. *credentes, non sine consilio imperatoris Romani.* — Ibid. *ab insidiantibus.* — Ibid. *ab odio.*—Ibid. *ipse cum parte Coroneam circumsidit.*— Cap. 30. *vacuasque traderet Romanis ante Isthmiorum tempus.* — Ibid. *in decem annos impositum regi tradit: Claudius in annos triginta.* — Cap. 31. *ne nominatae quidem.* — Ibid. *Asiae urbes.* — Ibid. *facere ac statuere.* — Ibid. *cum primum ei vires suae satis placuissent.* — Ibid. *profectus Quinctius.* — Ibid. *Ibi consilia de libertate Graeciae dies prope totos in concilio decem legatorum tractabantur.* — Ibid. *caritatem ac maiestatem.* — Cap. 32. *per duo diversa maria omnium re-*

rum usus ministrantis, humano generi concilium, Asiae Graeciaeque is mercatus erat. Tum vero non ad solitos modo usus undique convenerant. — Ibid. *alii alia.* — Ibid. *Romanos* facturos vix cuiquam persuadebatur Graecia omni cessuros.* — Ibid. *non audire modo.* — Cap. 33. *sed maria traiiciat.* — Cap. 34. *abstineret liberis civitatibus, ne unquam lacesseret armis; et in pace et in libertate esse debere omnes ubique Graecas urbes,* quo loco *ne* in *neu* mutandum. — Ibid. *ea una res in arbitrium senatus reiecta est.* — Cap. 35. *in altercationem.* — Cap. 36. *M'. Acilius Glabrio praetor.* — Ibid. *Corolamus quidam.* — Ibid. *prospera pugna elati.* — Ibid. *ad morae taedium ferendum.* — Ibid. *passim dilapsi sunt.* — Ibid. *Galli feroces Boiorum ante dies paucos pugna.* — Ibid. *Quod ubi Marcellus animadvertit.* — Cap. 37. *exercitum eadem via, qua adduxerat, reduxit.* — Ibid. *ceteraque circa castella.* — Ibid. *Marcellus consul.* — Cap. 38. *haud difficulter videbat iugum accepturas.* — Ibid. *terrestres copias traiici ab Abydo Chersonesum iussit. Cum ad Madytum, Chersonesi urbem, terrestri navalem exercitum iunxisset.* Ita hic locus constituendus videtur. — Ibid. *Idem metus Sestum incolentes aliasque Chersonesi urbes in deditionem dedit.* — Ibid. *prope omnem.* — Ibid. *conquirere et contrahere.* — Cap. 39. *quid, quod.* — Ibid. *quantum a bello aperte Romanis indicto abesse?* — Ibid. *Romanos autem non exspectaturos, ut id posset facere.* — Cap. 40. *Adversus ea Antiochus, Mirari se, dixit, Romanos tam diligenter inquirere.* — Ibid. *sed qua Lysimachi quondam regnum fuerit.* — Ibid. *Philippum usurpandae alienae possessionis causa tenuisse.* — Ibid. Chersonesus *quidem et proxima Thraciae, quae circa Lysimachiam sint, quem dubitare, quin Lysimachi fuerint?* — Ibid. *Ad ea recipienda in antiquum ius venisse.* — Cap. 41. *ut nullus exitus imponeretur sermonibus, effecit.* — Ibid. *qui ad fidem faciendam, nihil novaturum regem, de societate agerent.* — Ibid. *sed etiam insignium regis amicorum.* — Cap. 42. *tribunus plebis.* — Ibid. *datum est.* — Ibid. *tribuni plebis.* — Ibid. *L. Valerius Flaccus.* — Ibid. *Eo anno aediles curules.* Cap. 43. *L. Valerius Flaccus et M. Porcius Cato consules Idibus Martiis.* — Ibid. *sed iam etiam.* — Cap. 44. *ver sacrum ex decreto pontificum iussi fetere,* pro quo *iussit*

facere in codice reperitur. — Cap. 45. *cur decerneretur illum.* — Ibid. *nulla mitescere arte.* — Ibid. *immitem et implacabilem.* — Cap. 46. *Qui unum eius ordinis offendisset.* — Ibid. *vocari ad se quaestorem iussit. Quaestor id pro nihilo habuit.* — Cap. 47. *cum Carthaginem venissent.* — Ibid. *venisse se.* — Cap. 48. *ad mare.* — Ibid. *naves aliquot Phoenicum onerarias.* — Ibid. *legatum se Tyrum missum.* — Ibid. *ad id quod serum erat.* — Ibid. *vulgo fremebant.* — Ibid. *factionibus discordi.* — Cap. 49. *nuntiosque ab eo ad Antiochum et Aetolos missos, consiliaque inita impellendae ad defectionem Carthaginis, nec alio eum quam ad Antiochum regem profectum.* — Ibid. *Ibi profectum iam regem in Asia cum audisset.* — Lib. XXXIV. Cap. 2. *sine tutore auctore.* — Cap. 24. *quam ulli barbari, immo quam immanes bellua vivunt.* — Cap. 53. *P. Sempronius Sophus consul.* — Cap. 54. *Cornelio Gallia, Minucio Ligures evenerunt. Sortiti praetores, C. Scribonius.* — Lib. XXXV. Cap. 48. *principe alterius unius civitatis.* — Lib. XXXVIII. Cap. 13. *castellum cepit, captum Alabandensibus reddit.*

Deinde egregias virorum doctorum coniecturas in orationis contextum sive receptas sive recipiendas peropportune confirmat. Has illorum nominibus adiectis deinceps in recensebimus, ut Franc. Bartholini et Ant. Quaeremi emendationes in Romana libri tricesimi tertii editione ex corruptissimo codicis Bambergensis exemplo descriptas propositas omittamus. Lib. XXX. Cap. 44. *Necesse est in vos odio vestro consultum ab Romanis credatis* pro *Nec est in vos odio vestro* etc. Drak. — Lib. XXXI. Cap. 2. *qui tunc in provinciis erant* pro *qui tunc in proelio cum Boiis erant,* Alb. Ruben. — Cap. 4. *T. Quinctius Flamininus* pro *Q. Flaminius,* Pigh. — Cap. 5. *renuntiassent* pro *pronuntiassent,* Drak. — Ibid. *tum responderi placere* pro *tum responderi placere,* Duk. et Crev. — Cap. 14. *et irritatio quidem animorum* pro *et irritatio animorum,* Fr. Gron. — Cap. 15. *cum, si institissent tunc Philippo* pro *si institissent tunc Philippo,* Duk. Vocula *tunc* in codice peperam omissa est. — Cap. 27. *Cnidus* pro *Ilion,* Iac. Gron. — Cap. 29. *in Siciliam transcenderunt* pro *in Siciliam conscenderunt,* Crev. — Ibid. *eidem* pro *eiusdem,* Crev. — Cap. 31. *ne ipsi quidem* pro

neque ipsi quidem, Fr. Gron. — Cap. 34. *paullo plus mille passus* pro *paullo plus ducentos passus*, Roell. — Cap. 40. *Oreum* pro *in Oreum*, Fr. Gron. — Cap. 43. *et quingentos equites* pro *et equites*, Fr. Gron. — Cap. 46. *agitari* pro *consultari*, Iac. Gron. — Ibid. *quae super portum est* pro *quodque super portum est*, Buettner. — Lib. XXXII. Cap. 5. *Heracliden amicum* pro *Heraclide. nam cum*, Iacobs. — Cap. 10. *arbitro aut iudice* pro *arbitrio aut iudice*, Fr. Gron. — Cap. 13. *ingens iter agmini, sed metus urgebat* pro *ingenti itinere agminis, et metus urgebat*, cui Drakenborchius *ingens iter agminis, sed metus urgebat* ex Gronovii coniectura substituit, Heusing. — Ibid. *Palaepharsalus* pro *Palaepharus*, Ortel. — Cap. 20. *pro bono atque utili fore defendendum* pro *pro bono atque utili foedere defendendum*, Iac. Perizon. — Cap. 25. *Ad hos orator* pro *Adhortator*, Fr. Gron. — Cap. 28. *quadringeni equites* pro *quadringenti equites*, Crev. — Cap. 34. *recens decretum* pro *recens de exercitu*, Crev. — Cap. 35. *causas certaminum defore* pro *causas certaminum deponere*, Fr. Gron. — Cap. 36. *et Q. Fabium* pro *Q. Fabium*, Drak. — Lib. XXXIII. Cap. 9. *incompositos* pro *compositos*, Fr. Gron.—Cap. 13. *aut imperata a Romanis* pro *aut impetrata a Romanis*, Fr. Gron. — Cap. 18. *continentis regionem* pro *continentem regionem*, Duk. — Ibid. *circumdat, et* pro *circumdaret*, Iac. Perizon. — Ibid. *Rhodii Achaeos* pro *Rhodia cohors*, Iac. Perizon. — *nec recipi, nisi aliquanto post, per Antiochum potuit*, pro *recipi, nisi aliquanto post, per Antiochum non potuit*, Heusing. — Cap. 19. *ab contemptu concussi tum regni* pro *ab contentu concessit. Quum regni*, Iac. Perizon. — Cap. 21. *mitis ac munificus amicis fuit* pro *mitis ac munificus amicus fuit*, Fr. Gron. — Cap. 22. *Cum Q. Minucius* pro *Cumque Minucius*, quod ex coniectura recepi. — Cap. 23. *C. Cornelio* pro *Cn. Cornelio*, Drak. — Ibid. *servitute exemptos* pro *servitute exceptos*, Fr. Gron. — Ibid. *Aeris tulit in triumpho ducenta triginta septem milia et quingentos* pro *Tulit in triumpho ducenta triginta septem millia, quingentos aeris*, Hotomann., omissa tamen copula *et*, quae ex cod. Bamb. accessit. — Cap. 25. *M'. Acilius Glabrio* pro *Acilius Glabrio*, Pigh. In cod. Bamb. *M.* pro *M'.* legitur. — Ibid. *dubios sententiae patres*

fecerat pro *dubios sententia patres fecerat,* Sigon. — Ibid. *satis iam ante videri esse* pro *satis iam ante dividere esse,* Sigon. et Drak. — Cap. 26. *quas videretur* pro *quas viderentur,* Fr. Gron.—Cap. 27. *ovans ex senatus consulto urbem est ingressus* pro *cum* sive *quum ex senatusconsulto urbem est ingressus* sive *esset ingressus,* Pigh. — Ibid. *auctores fuerunt* pro *auctores fuerunt,* Fr. Gron. — Cap. 28. *opinione omnium* pro *opinionem omnium,* quod ex coniectura receptum posui in codice inveni. — Ibid. *iussus Zeuxippo dare quam primum, quia non* pro *iussit Zeuxippo dare quam primum. Id quia non,* Fr. Gron. — Ibid. *Anthedonem* pro *Atenorem vel Athenas,* Glarean. — Ibid. *aliisque* pro *aliquae,* Iac. Gron. — Cap. 29. *Efferavit ea caedes* pro *Efferaverat caedes,* Gelen. — Ibid. *commeantes* pro *commeatus,* Gelen. — Ibid. *qui testarentur socios* pro *qui testarentur sociis,* Crev. — Ibid. *Ap. Claudio* pro *P. Claudio,* Sigon. — Ibid. *complectentur essent* pro *complessent,* Drak. — Ibid. *decreverant* pro *decreverunt,* Fr. Gron. — Cap. 30. *Bithynorum* pro *Bithynionum,* Fr. Gron.—Ibid. *tradere, praeter quinque* pro *tradere, quin,* Pigh. et Meibom. — Ibid. *plus quinque milia armatorum* pro *plus quingentis armatorum,* Pigh.; ita tamen, ut *quinque millibus* scribendum censeret. — Cap. 31. *iuberi liberas esse* pro *iubere liberas esse,* Fr. Gron. — Ibid. *sese mare traiecisse* pro *esse mare traiecisse,* Drak. — Cap. 33. *sed maria traiciat* pro *maria traiiciat,* Iacobs. — Ibid. *concipere* pro *concipi,* Sigon. — Ibid. *fortunae ingentis* pro *fortunae gentis,* Sigon. — Cap. 34. *Locrensesque* pro *Locrenses, et quae,* Ursin. — Cap. 35. *ad rebellandum* pro *ad bellandum,* Glarean. — Ibid. *alii leniter questi sunt* pro *alii taliter questi sunt* vel *alii interquesti sunt,* Crev. — Ibid. *in altercationem* pro *altercationem,* Sigon. — Cap. 36. *Silanus* pro *Syllanus,* Sigon. — Cap. 37. *exercitum eadem via, qua adduxerat, reduxit* pro *eadem via, qua adduxerat, reduxit,* Duk. — Ibid. *eoque tuta loca* pro *eaque tuta loca,* Fr. Gron. — Ibid. *Laevos* pro *Levos,* Sigon. — Ibid. *octogeni* pro *octingenti,* Fr. Gron. — Cap. 38. *ad Lampsacum oppugnandam* pro *ad Lampsacum oppugnandum,* quod ex coniectura recepi. — Cap. 40. *Ad ea recipienda in antiquum ius venisse* pro *Ad ea facienda in antiquum venisset* vel *venisse,* Fr. Gron.; ita tamen, ut non *recipienda,*

sed *redigenda* scriberet. — Cap. 41. *ut nullus exitus imponeretur sermonibus, effecit* pro *ut nullus exitus imponeretur sermonibus,* Fr. Gron. — Cap. 42. *et P. Manlius, et P. Porcius Laeca* pro *et P. Porcius Laeca,* Alb. Ruben., omisso tamen *et* priore, quod ex codice adiectum est. Sigonius *Lecca* in *Laeca* mutavit. — Cap. 43. *adiutor consuli datus* pro *adiutor consuli datur,* Duk. — Cap. 45. *maior res* pro *maiores,* Iac. Perizon. — Ibid. *maturanda magis* pro *maturanda his,* Iac. Perizon. — Ibid. *cur decerneretur bellum* pro *cur decerneretur,* Crev. — Ibid. *et inertia sopiri* pro *et inertia operis,* Alb. Ruben. — Cap. 46. *offenderat* pro *offendebat,* Duk. — Cap. 47. *qui parum ex dignitate populi Romani esse ducebat* pro *quia parum expugnantes ducebat* vel *quia parum ex dignitate sua ducebat,* P. Manut.; ita tamen, ut *quia* retineret. — Ibid. *subscribere odiis accusatorum Hannibalis* pro *subscribere odiis accusationibusque Hannibalis,* Fr. Gron. — Lib. XXXIV. Cap. 16. *profectum* pro *profecturum,* quod mihi contigit, ut coniectura reperirem. — Cap. 41. *qui in Romanis fuerit castris* pro *qui in Romanis fuerat castris,* Fr. Gron. — Cap. 59. *latae sunt* pro *datae sunt,* Fr. Gron. — Lib. XXXV. Cap. 5. *et M. Genucius et Q. et M. Marcii, tribuni militum* pro *et M. Genucius et M. Marcius, tribuni militum,* Drak., addita ante praenominis notam *Q.* copula *et,* quae in cod. Bamb. non reperitur. — Lib. XXXVI. Cap. 30. *escendit* pro *adscendit* sive *ascendit,* Iac. Gron. — Cap. 44. *similem fecissent* pro *similem fecisset,* Fr. Gron. — Lib. XXXVII. Cap. 9. *escendit* pro *adscendit* sive *ascendit,* Drak. — Cap. 32. *potestatem iis dari* pro *potestatem iis dare,* Iac. Perizon. — Cap. 34. *delapsum equo* pro *delapso equo,* Fr. Gron. Praestat *in eo tumultu delapsum ex equo* scribere. Cap. 37. *quam in castra me redisse audierit* pro *quam ut in castra me redisse audierit,* Fr. Gron. — Cap. 55. *ea ut civitatis Rhodiorum essent* pro *ea civitatis Rhodiorum essent,* Drak. — Cap. 57. *intestabili* pro *inaestimabili,* Fr. Gron. — Lib. XXXVIII. Cap. 17. *fugerunt* pro *fuderunt,* Mod. — Cap. 20. *quo postulet res* pro *quo postulent res,* Crev. — Cap. 38. *redeunto* pro *redeant,* Muret.

Denique praeter has, quas modo protulimus, permultas

offert lectiones in ceteris codicibus non repertas, vel ex paucis tantum enotatas, quarum aliae ita sunt comparatae, ut de earum integritate vix dubites, aliae ita corruptae, ut vera scriptura ex iis facile possit restitui, aliae ita diversae, ut codicem Bambergensem ceteros cognatione non attingere probent. Harum quoque potiores delibare placet. Lib. XXXI. Cap. 3. *ac sociorum* pro *sociorumque.* — Ibid. *senatuique* pro *et senatui.* — Cap. 5. *peractum* pro *perfectam.* — Cap. 6. *edoceret* pro *doceret.* — Cap. 7. *ut in Italiam traiiceret* pro *in Italiam traiicere.* — Cap. 8. *is quoque de exercitu* pro *atque de exercitu.* — Cap. 9. *seponique statim deberet* pro *reponi statim debere.* — Cap. 12. *curam* et *accenderunt* pro *causa* et *acciderunt.* — Cap. 14. *confirmandaeque* pro *firmandaeque.* — Cap. 15. *in civitatem suorum* pro *in civitatem sociam.* — Ibid. *virtutis ergo* pro *virtutis gratia.* — Cap. 17. *iurat* pro *iurare.* — Cap. 21. *terga verterunt* pro *terga vertunt.* — Cap. 24. *ex specula* pro *e specula.* — Cap. 29. *stata die* pro *statuta die.* — Cap. 40. *ad hoc* pro *ad haec.* — Cap. 43. *turbavit* pro *primo turbavit.* — Cap. 44. *virile ac muliebre secus* pro *virilis ac muliebris sexus.* — Cap. 46. *Romanus* pro *Romani.* — Cap. 47. *statum* pro *spatium.* — Cap. 48. *cupiditate* pro *aviditate.* — Cap. 49. *populus Romanus videret* pro *publice videretur.* — Cap. 50. *qui praetor designatus erat* pro *quem praetorem designaverant.* — Lib. XXXII. Cap. 2. *adversus id, quod iis* pro *adversus quod iis.* — Cap. 6. *agitanti ei* pro *agitanti.* — Cap. 9. *emisso e manibus hoste* pro *misso e manibus hoste.* — Cap. 10. *amplum* sive potius *aptum tegendis corporibus* pro *aptum urgendis regiis.* — Cap. 11. *qui regiis tum teneretur castris* pro *qui regiis tunc oneratus castris erat.* — Cap. 13. *in montes Lyncon* pro *in montem Lingon.* — Ibid. *ut in Thessaliam agmen demitteret* pro *suum in Thessaliam agmen demittere.* — Ibid. *ad Thaumacum* pro *Athamanum.* — Cap. 17. *ad loci angustias* pro *ad loca angusta.* — Cap. 18. *aberat* pro *abibant.* — Ibid. *habebat* pro *habebant.* — Cap. 19. *Nabis* pro *eos.* — Cap. 21. *Fortuna et dat fiduciam postulantibus, et demit* pro *portus et dant fiduciam postulantibus, et*

demunt. — Ibid. *populandosque* pro *depopulandosque.* — Cap. 23. *in se uti* pro *iusto.* — Ibid. *concurrerent* pro *concurrissent.* — Cap. 28. *ex S. C.*, id est *senatus consulto*, pro *ei.* — Cap. 40. *mota* pro *nata.* — Lib. XXXIII. Cap. 17. *in ditionem* pro *in deditionem.* — Cap. 18. *ad ipsa Tenpe admovet* pro *ad ipsa Tendeba movit.* — Ibid. *acies utraque* pro *acies utraeque.* — Ibid. *circumagere* pro *circumiacere.* — Cap. 19. *exigente* pro *eligente* vel *profligante.* — Ibid. *in expedito* pro *expeditior.* — Ibid. *nihilo quietiora ea ipsis aestivis habuit* pro *nihilo quietiores res Pausistratus habuit.* — Ibid. *coniungi eum Philippo* pro *coniungi cum Philippo.* — Ibid. *omiserant consilium* pro *omni erant consilium.* — Cap. 22. *C. Afranius* pro *C. Ursanius.* — Ibid. *sibi meritum triumphum* pro *sibimet triumphum.* — Ibid. *Cn. Ligurium legionis quartae* pro *et C. Labeonem eius fratrem.* — Cap. 25. *uti rogas* pro *uti rogatae.* — Ibid. *relatum* pro *latum.* — Cap. 26. *P. Villius eques Romanus* pro *L. Iulius Sequestris.* — Ibid. *inde Germalo* pro *Intemelio.* — Cap. 27. *perinde atque ipsos* sive potius *ipsis iis et non Quinctio et Romanis id datum esset* pro *perinde atque ab ipso hi et non a Quinctio et Romanis dati essent.* — Cap. 28. *per totam urbem* pro *tota urbe.* — Ibid. *velut ex ante indicto* pro *velut extante indicio.* — Ibid. *constanti animo* pro *consimili animo.* — Ibid. *statim* pro *sibi.* — Cap. 29. *facinora fiebant* pro *ea facinora faciebant.* — Ibid. *quaerendum* pro *querendum.* — Ibid. *Plurimae caedes* pro *Plurimi pedites.* — Ibid. *interempti* pro *intercepti.* — Cap. 30. *Cariaeque* pro *Cariae atque.* — Cap. 32. *sermonibus etiam ferebant* pro *sermonibus etiam serebant.* — Ibid. *aream* pro *arenam.* — Cap. 34. *Isthmia* pro *ista iam.* — Ibid. *denuntiatum* pro *pronuntiatum.* — Ibid. *fuerant* pro *fuerat.* — Cap. 36. *inter tumulos quosdam* pro *in tumulo quodam.* — Ibid. *cum opposuisset, equitum* pro *opposuit, et equitem* vel *equitum.* — Cap. 37. *per Ligurum extremos fines* pro *Ligurum extremo fine.* — Ibid. *cum collega secunda* pro *collegae secunda.* — Cap. 38. *quod intenderent* pro *quos in Theba*, quod ex *quod intendebant* subortum videtur. — Cap. 41. *praeveniret* pro *perveniret.* — Ibid. *si tum occupasset* pro

si tum occasio esset. — Ibid. *adorta* pro *oborta.* — Ibid. *non remigum modo militumque ignotae turbae* pro *non remigum tantum militumque ignotorum.* — Ibid. *concessit* pro *processit.* — Cap. 42. *descripserunt* pro *dimiserunt.* — Cap. 43. *et quindecim milia* pro *et quinque millia.* — Cap. 44. *quod, cum Hispania movisset, bellum negligerent* pro *quod Hispania movisset, bellum negligere* vel *negligi.* — Ibid. *instare* pro *restare.* — Cap. 45. *ab tum gravibus auctoribus* pro *iam ab gravibus auctoribus.* — Ibid. *non ita magni momenti* pro *non tam magni momenti.* — Ibid. *bellum motum foret* pro *ortum foret bellum.* — Ibid. *hostibus* sive potius *hospitibus* pro *amicis.* — Ibid. *Marcescere otii situ queri civitatem* pro *Marcescere otio situque civitatem, queri eum.* — Cap. 47. *ad senatum* pro *apud senatum.* — Cap. 48. *quo in loco iusserat* pro *quo in loco fuerunt* vel *iussi erant.* — Ibid. *nocte Byzacium* (*ita regionem quandam agri* sive potius *Afri vocant*) *transgressus* pro *nocte visa cita regionem quandam agri Vocani transgressus,* quod ab aliis in *nocte vi accita* etc. vel *nocte via cita* etc. magis etiam corruptum est. — Ibid. *suum eventum* pro *suorum eventus.* — Ibid. *Eodem die* pro *Eo die.* — Ibid. *ut umbrae* et *fierent* pro *ut umbra* et *fieret.* — Ibid. *Quanto res et tempus patiebatur apparatu celebratae eius diei epulae sunt* pro *Quantum res et tempus patiebantur, apparatae celebrataeque eius diei epulae sunt.* — Ibid. *referendis* pro *remis.* — Cap. 49. *id ei non debere impune esse* pro *Ne his debere impune esse.* — Ibid. *ut ab altera patria* pro *ut alia patria.* — Ibid. *filiumque* pro *filium.* — Ibid. *ad animum eius moliendum* pro *animo eius moliendum* vel *ad moliendum.* — Ibid. *repetentes* pro *petentes.* — Lib. XXXIV. Cap. 2. *rogationem* pro *rogationes.* — Cap. 3. *procucurrerint* pro *procurrerunt.* — Cap. 5. *seditionem* pro *seditiones.* — Cap. 13. *ostendere* pro *ostendendi.* — Cap. 19. *Cum incerta bellum an pax cum Celtiberis essent* pro *Quum incertum, bellum an pax cum Celtiberis esset.* — Ibid. *deni* pro *dein.* — Cap. 20. *insultassent* pro *persultassent.* — Ibid. *avehitur* pro *advehitur.* — Cap. 32. *cum cetera liberavimus Graecia* sive *Graeciam* pro *cum ceteram liberaverimus Graeciam.*

— Cap. 34. *faceret* pro *facere.* — Cap. 41. *et lateri adhaerens tyrannus* pro *lateri adhaerens tyranni.* — Ibid. *gaudium praebebant* pro *gaudium praebebat.* — Cap. 59. *concessurum* pro *consensurum.* — Lib. XXXV. Cap. 4. *ut egressum suis finibus hostem sensere* pro *ubi egressum e finibus suis hostem sensere.* — Cap. 20. *quindecim milia peditum* pro *quinque millia peditum.* — Cap. 36. *absumpsit* pro *consumpsit.* — Ibid. *eductus* pro *educatus.* — Lib. XXXVI. Cap. 25. *tum regionem maxime Oetae spectat, oppido quam breve intervallum videtur* pro *tum regionem ea maxime despectat oppidum, qua breve intervallum videtur.* — Lib. XXXVII. Cap. 23. *quod velut statum Favonis* sive potius *Favoniis ventis est* pro *quod velut statum Favoniis ventis esset.* — Cap. 40. *missi* sive potius *Mysi sagittarii his adiuncti erant* pro *Mysi sagittariis adiuncti erant.* — Cap. 52. *ex templo excessit* pro *templo excessit.* Lib. XXXVIII. Cap. 15. *ab* sive potius *ad Lysis fluminis fontes* pro *ab Lysis fluminis fonte.* — Cap. 20. *a septentrione* pro *ad septentrionem.* — Cap. 22. *Iis vero non vulnerabantur* pro *Hi vero non vulnerabantur.*

Neque tamen eximias codicis Bambergensis virtutes ita praedicamus, ut vitia, quibus ille laborat, callide dissimulemus atque obtegamus. Primum enim maiores lacunae, ut singula vocabula mittam, ex codice Moguntino optime suppletae, quum a verbis Lib. XXXIV. 46. *tribunus militum,* Lib. XXXVI. 5. *id agi,* cap. 10. *atque oppugnationi* atque *et Demetriadem rediit,* cap. 27. *meritaque in populum Romanum,* cap. 43. *alias maioribus,* Lib. XXXVII. 2. *M. Fulvius peregrinam,* cap. 54. *in servitutem* et *Adistis Graeciae,* pro quo in cod. Bamb. *additis Graeciae* legitur, Lib. XXXVIII. 8. *parceret urbi,* aliisque locis, ubi singula vocabula in ceteris codicibus omissa in Bambergensi pariter ac Moguntino comparent, discesseris, in codice Bambergensi quoque reperiuntur. Quippe ex solo codice Moguntino, cuius virtus in ceterorum quoque, qui codice Bambergensi non continentur, Livii librorum lacunis commode explendis enituit, a Livii editoribus haec sunt suppleta: Lib. XXXIV. *Cap. 7. *hic Romae infimo generi magistris*

vicorum. — *Cap. 16. *Tria eo die laudabilia fecisse putatur: unum, quod, circumducto exercitu, procul navibus suis castrisque, ubi spem nisi in virtute haberent, inter medios hostes proelium commisit: alterum, quod cohortis ab tergo hostibus obiecit: tertium, quod secundam legionem, ceteris omnibus effusis ad sequendos hostes, pleno gradu sub signis compositam instructamque subire ad portam castrorum iussit.* — Ibid. *vinoque et cibo curatos.* — Cap. 21. *in Hispania.* — Cap. 27. *Dromon ipsi vocant.* — *Cap. 34. *Illud modo ne fallat.* — Cap. 46. *bigati centum viginti tria milia, Oscensis quingenta quadraginta.* — Ibid. *ex praeda.* — Cap. 48. *haerentem visceribus nobilissimae civitatis.* — Cap. 58. *quae Graii nominis sint.* In cod. Bamb. ceterisque *Graecas Asiae urbes* legitur. — Lib. XXXV. Cap. 2. *aut praetores.* — *Ibid. *scribi a praetore. Mens ea senatus fuit, ut in Hispania tumultuarii milites.* — Cap. 11. *propinqua viae tecta incendunt. Proximo deinde vico inferunt ignem, ferro flammaque omnia.* — Cap. 14. *quas visere* et *esset.* — Cap. 20. *Huic consuli permissum, ut duas legiones scriberet.* — Cap. 26. *ignarus. Navis erat.* — Cap. 27. *quum prospera re elatus.* Hoc Aldus cod. Mog. lectioni *quum prospere latus* recte substituit. — Cap. 30. *et diripiunt.* — Cap. 42. *Regem conspici.* — Cap. 50. *nec dubitatio* et *eosdem genti Achaeorum.* In cod. Bamb. *eosdem* reperitur. — Lib. XXXVI. Cap. 1. *Cn. filium.* — *Cap. 10. *quam pro copiis, et plures.* — Cap. 13. *et equitibus quadraginta.* — Cap. 17. *munitiones et locis opportunioribus,* pro quo cod. Bamb. ceterique *munitioribus* offerunt. — *Cap. 19. in *ipso certamine pugnae, ab incursu Aetolorum se tuentes non plus quinquaginta.* — Cap. 22. *arcem extra muros, quae.* — Cap. 24. *partim per erutos,* cui Gelenius *partim per semiruta* substituit. — *Ibid. *ex potestate.* — Cap. 27. *ac rupissent.* — *Cap. 38. *equos mille ducentos triginta; carpenta ducenta quadraginta septem.* — Cap. 42. *maturandum ratus omnium.* — Lib. XXXVII. Cap. 4. *viginti triremes.* — *Cap. 16. *Halicarnassus, Cnidus, Cous,* sive potius *Cous, Cnidus.* — Ibid. *magis, quam conserebatur.* Cap. 18. *ab Samo.* — *Cap. 19. *consilium habuit. Rhodii.*

— Cap. 23. *ad Sidam.* — *Cap. 30. *et erat secundus petentibus Ephesum ventus.* — *Cap. 41. *partim vulneribus missilium undique coniectorum.* — Cap. 44. *et ipse.* — *Cap. 50. *Plautio Hypsaeo in Hispaniam citeriorem mille Romani dati sunt pedites, duo milia socium Latini nominis, et ducenti equites.* — Cap. 56. *et oppida.* — Lib. XXXVIII. *Cap. 5. *unum e regione Aesculapii.* — Cap. 15. *et refertum rerum omnium copia.* — Cap. 25. *ab Ancyra*[8]. — His accedunt aliae quaedam lacunae in ceteris quoque codicibus repertae et in ed. Frob. 2. demum, quae verba Lib. XXXI. 11. *eosdem in Numidiam ad Masinissam. Carthaginem*, et Lib. XXXVI. 36. *ex senatus consulto* in solo codice Bambergensi inventa Gelenio auctore inseruit, aliisve editionibus Frobeniana antiquioribus expletae Lib. XXXII. Cap. 5. *sibi conciliavit.* — Lib. XXXIII. Cap. 42. *C. Fabricius Luscinus, C. Atinius Labeo.* — Lib. XXXIV. Cap. 13. *imperatorem, nullos.* — Cap. 28. *infida ac.* — Cap. 45. *et C. Salonius.* — Lib. XXXV. Cap. 23. *et aurea viginti pondo.* — Lib. XXXVI. Cap. 22. *de se.* — Lib. XXXVII. Cap. 21. *et Eumenem.* — Cap. 54. *et in hoc*, quae proxima *et in omnibus bellis* interceperunt.

Deinde in codice Bambergensi, praeterquam quod librarius, quum dubiam antiquioris, quem sequebatur, codicis scripturam explicare non posset, Lib. XXXII. 17. *trepidationemque insanam superstantibus armatis praebuerit*, cap. 19. *pro eius crudelitate perfidiaque*, cap. 21. *scilicet nos urbes*, cap. 26. *Norbam et Circeios occupare* et *qui vestigarent*[9], Lib. XXXIV. 57. *ex formula iuris antiqui*, cap. 61. *quam inimici*, Lib. XXXV. 38. *et prodi et deseri*, aliaque alibi, vacuo spatio relicto, praetermisit, non solum singula vocabula, quae enumerare longum est, sed etiam integrae sententiae et maiores perpetuae ora-

8 Drakenborchius ad Liv. XXXVI. 19. 13. non nisi lacunas asterisco notatas commemoravit iisque addidit verba Lib. XXXV. 23. *et aurea viginti pondo*, quae utrum ex Moguntino an Spirensi codice restituerit Gelenii diligentia, ad liquidum perduci non potest. Carbachius certe ex cod. Mog. nihil enotavit.

9 Utrumque, id quod maxime notabile est, librarius omisit, vacuo trium versuum spatio relicto. Vide igitur, ne plura interciderint.

tionis particulae sunt omissae, quae in ceteris codicibus non desiderantur. Harum quoque lacunarum indices subiungere placuit. Lib. XXXI. Cap. 2. *in fide mansisset.* — Cap. 7. *arma esse.* — Cap. 24. *in hostes.* — Cap. 31. *a nobis.* — Cap. 33. *hostes appropinquare.* — Lib. XXXII. Cap. 11. *Quattuor milia.* — Cap. 15. *legati a Metropoli et a Piera dedentes urbes venerunt. Venia iisdem petentibus datur. Phaloria.* — Cap. 17. *Ad hoc et muri pars adhuc integra utraque tuta praestabat.* — Cap. 21. *aut vi, aut metu.* — Cap. 26. *ex praeda.* — Cap. 34. *aut melioribus parendum.* — Lib. XXXIII. Cap. 18. *et Nisuetae.* — Ibid. *dextro cornu, sinistro mercenarios.* — Cap. 20. *alias auxiliis iuverunt.* — Cap. 23. *clarorum virorum.* — Cap. 25. *plebeii septies instaurati.* — Cap. 27. *auri mille et quingentum pondo, argenti denarium quingentos* pro *auri mille et quingenta quindecim pondo, argenti viginti milia, signati denarium triginta quattuor milia et quingentos.* — Ibid. *et ad.* — Cap. 30. *dimidium praesens.* — Cap. 35. *post victoriam.* — Cap. 37. *in ea gente.* — Ibid. *ducenta triginta quattuor.* — Cap. 38. *reficiendae urbis.* — Cap. 48. *et aptandis.* — Lib. XXXIV. Cap. 4. *coeperit; quod oportet.* — Cap. 9. *ac benigne.* — Cap. 15. *ceteri castra diripiunt.* — Cap. 16. *in Hispania.* — Cap. 39. *Deinde, crescente certamine, nequaquam erat proelium par. Missilibus enim Lacedaemonii pugnabant.* Cap. 44. *in carcerem.* — Cap. 59. *quum renuntiatae conditiones essent: et impetraturum.* — Cap. 61. *in omnium.* — Cap 62. *ab se.* — Lib. XXXV. Cap. 9. *Cethegus. Cornelius.* — Cap. 11. *in eos* et *ut is.* — Cap. 24. *Paullus, M. Aemilius.* — Cap. 27. *tamen ex.* — Cap. 36. *ibi Alexamenum.* — Cap. 48. *unquam nec arte, nec.* — Cap. 49. *esse secuturos.* — Ibid. *et Medos.* — Cap. 50. *ad Hermaeum.* — Lib. XXXVI. Cap. 2. *eo tempore.* — Cap. 3. *conscripsisset, et quos.* — Cap. 4. *Macedoniae et.* — Cap. 5. *ad eos.* — Cap. 10. *ab Larissa.* — Cap. 13. *oppugnari posse, regem ad Limnaeam.* — Cap. 31. *et Elis.* — Cap. 35. *Achaei per-maluerunt,* vocula *per* in versus fine posita, pro *Achaei, Elei per se ipsi, quam per Romanos, maluerunt.* — Cap. 36. *postulavit ab senatu, ut pecunia*

sibi decerneretur. — Cap. 43. *alias minoribus.* — Lib. XXXVII. Cap. 6. *ab Hypata.* — Cap. 7. *quidquam velle.* — Cap. 16. *pervicerunt quidem remis, ut tenerent terram: sed neque circa urbem tuta statio erat, nec ante ostium portus in salo stare poterant, aspero mari.* — Ibid. *in Italiam.* — Cap. 17. *non posse.* — Cap. 32. *aut scalis.* — Cap. 39. *in subsidio.* — Cap. 42. *aciem terror.* — Cap. 47. *L. Plautius Hypsaeus.* — Cap. 50. *eundem numerum.* — Cap. 53. *ut superare possem.* — Cap. 54. *Patres conscripti.* — Cap. 57. *Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius.* — Ibid. *tribuni plebis.* — Ibid. *neque in aerarium retulisset.* — Lib. XXXVIII. Cap. 1. *esse solita.* — Ibid. *quarta Argitheam.* — Cap. 2. *ab Ethopia.* — Cap. 3. *in Aperantiam transcenderunt.* — Cap. 6. *Uno in loco.* — Cap. 8. *vere unquam.* — Cap. 10. *ab Asia.* — Cap. 12. *ad Hieran.* — Cap. 14. *sub eo.* — Cap. 17. *in sua.* — Ibid. *se, degenerat.* — Cap. 21. *nec arte.* — Cap. 22. *L. Manlius.* — Cap. 23. *facta est.* — Cap. 24. *et iniuriam corporis.* — Cap. 25. *ducti sunt.* — Cap. 36. *et Fundani, in.* — Cap. 38. *fere cum Antiocho.* — Cap. 41. *posuerunt castra.* — Cap. 42. *de provinciis, et exercitus inde deducere.*

Denique codex Bambergensis, id quod ex nostra eius collatione manifestius apparet, in locorum singulorum scriptura et verborum collocatione saepius cum ceteris codicibus et editionibus antiquis, quam cum codice Moguntino consentit; ita tamen, ut multas lectiones, in solo ut videtur[10], codice Moguntino repertas, auctoritate sua confirmet. Goellerus enim, uti permultas lectiones ex codice Bambergensi a nobis enotatas praetermisit, ita hac ipsa negligentia, de qua inferius dicetur, etiam effecit, ut codex Bambergensis de multorum locorum scriptura a Moguntino non discrepare videretur. Quod longe secus esse, ex his potissimum intelligitur codicis Bambergensis

10 Sicuti enim Ian. Gebhardus Palatinos et Thom. Hearnius Britannicos codices non ea, qua oportebat, diligentia contulisse videntur, ita Drakenborchium quoque interdum de codicum suorum scriptura dubitasse, ex eius annotationibus ad Liv. XXXI. 34. 6. XXXIV. 5. 4. cap. 8. 2. cap. 10. 6. cap. 24. 7. cap. 26. 4. cap. 33. 12. et cap. 37. 8. XXXV. 8. 9. cap. 11. 10. et cap. 38. 14. XXXVI. 36. 4. et cap. 45. 9. atque XXXVII. 3. 3. cap. 7. 12. cap. 11. 10. et cap. 19. 4. intelligitur.

lectionibus a Goellero eiusque socio non excerptis: Lib. XXXIV. Cap. 5. *necesse est* pro *necessum est.* — Ibid. *urbe capta a Gallis, aurum, quo redempta urbs est, nempe matronae* pro *urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? nempe aurum matronae.* — Cap. 8. *ab tribunis est* pro *ab tribunis esset.* — Cap. 14. *et quam diu* pro *ut et quam diu.* — Cap. 15. *castra* pro *castra hostium.* — Cap. 25. *fere* pro *ferme.* — Cap. 37. *ibi cum ea* pro *ibi quum ea.* — Cap. 50. *argumentum est* pro *argumentum est.* — Cap. 56. *ex auctoritate senatus* pro *ex auctoritate patrum.* — Lib. XXXV. Cap. 25. *ea ratio* pro *ea oratio.* — Cap. 37. *ipsi ceteras copias* pro *ipse ceteras copias.* — Cap. 47. *imposuit* pro *imposuerat.* — Cap. 49. *iactatae sunt* pro *iactatae sint.* — Ibid. *totius* pro *potius.* — Cap. 50. *milibus* pro *milibus militum.* — Lib. XXXVI. Cap. 1. *Cn. filium* in cod. Bamb. omissa; in cod. Mog. non item. — Ibid. *consules* in cod. Bamb. omissum; in cod. Mog. non item. — Cap. 27. *ac rupissent* in cod. Bamb. omissa; in cod. Mog. non item. — Cap. 35. *defensor deprecatorque* pro *deprecator defensorque.* — Ibid. *ad consilium* pro *ad consulem.* — Cap. 38. *P. Cornelius* pro *P. Cornelius consul.* — Lib. XXXVII. Cap. 16. *navalium remigum turbam* pro *remigum turbam.* — Cap. 43. *obstitit* pro *restitit.* — Cap. 44. *concessit* pro *contendit.* — Cap. 45. *Scipionem* pro *P. Scipionem.* — Cap. 47. *ducerentur* pro *deducerentur.* — Cap. 50. *veniret* pro *rediret.* — Ibid. *praetor* pro *novus praetor.* — Ibid. *Plautio Hypsaeo in Hispaniam citeriorem mille Romani dati sunt pedites, duo milia socium Latini nominis et ducenti equites* in cod. Bamb. omissa; in cod. Mog. non item. — Cap. 52. *Scipionis* pro *L. Scipionis.* — Cap. 53. *amicitiae vestrae* pro *amicitiae nostrae.* — Ibid. *nec animum duntaxat* pro *nec duntaxat animum.* — Ibid. *ampliandi regna* pro *amplificandi regni.* — Ibid. *Masinissa hostis vobis ante* pro *Hostis Masinissa ante vobis.* — Ibid. *Antiochum emostis* pro *emostis Antiochum.* — Cap. 54. *res se- habet* pro *res se habet.* Librarius *sese* scripturus erat. — Ibid. *nisi liberas civitates in servitutem traderetis ei* pro *nisi liberas civitates ei in servitutem traderetis.* — Ibid. *aliis et*

honesta et probabilis est pro *aliis et honesta est et probabilis.* — Ibid. *et clientelam* pro *et in clientelam.* — Cap. 58. *de ea* pro *de ea re.* — Ibid. *defloratam* pro *praefloratam.* — Lib. XXXVIII. Cap. 4. *iungere* pro *ita iungere.* — Cap. 38. *ea belli causa* pro *ex belli causa.* Contra ea codicis Moguntini lectiones olim vulgatis utique praeferendae in codice Bambergensi quoque reperiuntur his in locis: Lib. XXXIV. Cap. 2. *et sperate* pro *desperate.* — Cap. 4. *et ita spero futuros* pro *sed ita spero futuros.* — Ibid. *aequato omnium cultu* pro *aequat omnium cultum.* — Cap. 5. *in se latam* pro *in se datam.* — Ibid. *ab Sabinis* pro *a Sabinis.* — Cap. 6. *visa* pro *suis.* — Cap. 7. *filiae* pro *fidae.* — Cap. 10. *successori Q. Minucio* pro *successori quoque Minucio* vel *quoque successori Minucio*, quorum hoc editiones antiquiores, illud ceteri codices offerunt. — Cap. 11. *Tria milia militum* pro *Quina milia militum.* — Cap. 13. *tria milia passuum* pro *mille passuum.* — Ibid. *exhaurire* pro *haurire.* — Cap. 14. *se ostendere* pro *ad eos tendere.* — Cap. 20. *Ibi delectarum cohortium* pro *Ibidem lectarum cohortium.* — Cap. 24. *decressent* pro *decrevissent.* — Cap. 26. *navigiis* pro *navibus.* — Cap. 28. *auxiliares* pro *auxilia* vel *auxiliis.* — Ibid. *caedem ingentem* pro *caedes ingentes.* — Cap. 31. *T. Quincti* pro *Quincti.* — Cap. 32. *Exhibe* pro *Exhiberes.* — Ibid. *si audire iuvat* pro *si te audire iuvat.* — Ibid. *At enim* pro *Etenim.* — Cap. 37. *intrarint* pro *intraverint.* — Cap. 38. *Et tunc quidem* pro *Et nunc quidem.* — Cap. 40. *emiserunt* pro *miserunt.* — Cap. 43. *Iis extra urbem* pro *duo* vel *his extra urbem.* — Cap. 54. *P. Scipio* pro *Scipio.* — Cap. 56. *ad edictum conveniretur* pro *ad edictum convenirent.* — Lib. XXXV. Cap. 1. *centum triginta quattuor* pro *centum quinquaginta quattuor.* — Cap. 2. *sex milia* pro *tria milia.* — Cap. 5. *septingenti viginti unus* pro *ducenti viginti unus.* — Cap. 6. *ne magis e re publica esset* pro *si magis e re publica esset.* — Ibid. *et tardius datum signum esset, et persequi* pro *tardius datum signum esset, ut persequi.* — Cap. 7. *coercendi* pro *cernendi.* — Cap. 8. *M. et C. Titinii* pro *M. et Crassus Ticinii* vel *Licinii.* — Cap. 11. *dein refugere* pro *et*

refugere. — Cap. 17. *et aequa iniquis miscent* pro *aequis iniquis miscentes.* — Cap. 19. *et purgare se* pro *et purgare sese.* — Ibid. *ex me quaerant* pro *ex me quaerat.* — Cap. 32. *quae inchoastis* pro *quae inchoastis.* — Cap. 33. *Hoc decretum Athenienses cum retulissent* pro *Quum hoc decretum Athenienses retulissent.* — Cap. 34. *omnia novare velle* pro *omnia novare bella.* — Cap. 35. *Mille pedites* pro *ducenti pedites.* — Cap. 36. *spectatorum* pro *perpaucorum.* — Cap. 37. *duo milia peditum* pro *viginti milia peditum.* — Cap. 38. *Thronium* pro *Thronium.* — Cap. 50. *et omni classe* pro *et cum omni classe.* — Lib. XXXVI. Cap. 3. *an ad praesidium* pro *an praesidio.* — Cap. 4. *petere sese* pro *petere se.* — Cap. 9. *fors belli* pro *sors belli.* — Cap. 18. *obiectis* pro *abiectis.* — Cap. 21. *Aristoteles* pro *Christoteles.* — Cap. 28. *Ad ea consul* pro *Ad haec consul.* — Cap. 30. *uno castello* pro *in castello.* — Lib. XXXVII. Cap. 1. *mille talentum* pro *mille talenta.* — Ibid. *dixit* pro *ait.* — Cap. 2. *equites sexcenti* pro *equites ducenti.* — Cap. 3. *Terra apud se pluisse* pro *Terram apud se pluisse.* — Cap. 4. *ut bi omnes* pro *ut biduo omnes.* — Cap. 11. *viam salutis* pro *viam saluti.* — Cap. 20. *moveri* pro *movere.* — Cap. 24. *rostro* pro *porro.* — Ibid. *revecti* pro *reversi.* — Cap. 36. *desiderabit* pro *desiderat.* — Cap. 37. *ne ante in aciem descendat* pro *ante in aciem non descendat.* — Cap. 41. *emollierat* pro *mollierat.* — Cap. 53. *in meliore statu sint* pro *meliore statu sint.* — Cap. 54. *aequare* pro *praeferre.* — Lib. XXXVIII. Cap. 1. *in finibus erat* pro *se in finibus posuerat.* — Cap. 15. *ad Anabura* pro *ad Antibura.* — Cap. 41. *in cornua* pro *in cornu.* — Cap. 45. *pugnasti* pro *pugnans.* — Praeterea in codice Bambergensi pariter ac Moguntino reperiuntur hae lectiones non admittendae: Lib. XXXVI. Cap. 12. *et mox ad portas erat* pro *mox ad portas erat.* — Lib. XXXVII. Cap. 24. *reficerentur* pro *reficerent,* sollemni, ut Drakenborchius ait, scribarum aberratione. — Ibid. *victus uno proelio adverso* pro *ictus uno proelio adverso.*

Quo clarius autem appareret, quibus in locis codices omnium optimi, Moguntinum dico et Bambergensem, inter

se conveniant ac discrepent, scripturae diversitatem a Nic. Carbachio ex codice Moguntino enotatam huic praefationi ita subieci, ut, resectis iis, quae ad rem non pertinere viderentur, codicis illius lectionibus lectiones editionis Ascensianae a. 1513. praefigerem et lectionibus in codice Bambergensi quoque repertis, quarum maxime memorabiles asterisci signo notavi, literam *B.* ascriberem, simulque, quum Drakenborchium hac in re negligentius versatum esse intellexissem, a quibusnam codicis Moguntini lectiones primum in orationis contextum fuerint receptae, diligentissime indicarem.

Atque haec quidem de codicis Bambergensis virtutibus et vitiis dixisse sufficiat. Venio nunc ad usum huius codicis, qui, quum in bibliotheca Bambergensi diu delituisset, adeoque a Drakenborchio usurpari nequivisset, nostra demum aetate, id quod magnopere laetamur, ex tenebris in lucem est prolatus. Maximum eius desiderium, ut ordine rem persequar, primus omnium excitavit magis quam explevit Franc. Bartholinus, qui, quum libri tricesimi tertii pars maior ex codice antiquissimo Moguntiae a. 1518. primum edita atque post Aldi et Frobenii curas a Sigism. Gelenio Basileae a. 1535. ad codicis Moguntini, quem postea nusquam investigari potuisse constat, fidem recognita esset[11], sexdecim priora eiusdem libri capita cum septimi decimi particula ex codice Bambergensi negligentissime descripta a. 1615. Romam transtulit ibique anno insequenti, suis et Ant. Quaerengii emendationibus in libelli margine adiectis, ita edidit[12], ut re-

11 Perperam enim Goellerus ad Liv. XXXIII. 20. p. 100. de verbo *superaret* in Frob. 1. recte adiecto haec annotavit: "Nempe qui unicum codicem MS. retractaverat, Gelenius, verbum a Moguntinis temere sive incuria omissum reposuit." et p. 358. "Quoniam, inquit, qui editionem principem Moguntinam curaverunt, multa temere et pro arbitrio mutarunt, editionem Frobenianam anni 1531. conferendam esse existimavi, cui praefuit Gelenius, vir in his rebus summa cum diligentia versari solitus, qui cod. unicum MS., unde editio Moguntina parabatur, secundis curis recensuit." Similiter Walchium quoque Emendatt. Liv. p. 245. sq. errasse, iam in Epist. ad Goeller. p. 477. monui.

12 Editio princeps sive Romana, cui Casp. Lusignanus praefatus est, ita inscribitur: T. Livii Historiarum ab U. C. Liber XXXIII. praecipua parte, quae desiderabatur, expletus ex codice manuscripto. Romae, apud Barth. Zannettum. 1616. Haec editio Venetiis et Parisiis eodem anno repetita est. Vid. Fabricii Biblioth. Lat. lib. I. cap. 11. tom. I. p. 285. ed. Ernest.

liquam libri tricesimi tertii partem ex vulgari Li[illegible] editione, quae cum Frobeniana altera plerumque con[illegible] venit, exscribi iuberet. Quod quum postea resciviss[illegible] Io. Horrion, qui primus in codicem Bambergensem in[illegible] ciderat, a. 1617. multo correctiorem et Romana praestan[illegible] tiorem libri tricesimi tertii editionem paravit, qua sola[illegible] Fr. Gronovius[13] ita usus est, ut orationis contextum tacit[illegible] interdum, id quod nobis de compluribus huius libri loc[illegible] dubitationem iniecit, ad eam conformaret et egregias Ho[illegible] rionis annotationes suis adderet. Sed Horrion quoque[illegible] quod satis mirari non possum, neque reliquam lib[illegible] tricesimi tertii partem, neque ceteros, qui codice Bam-bergensi continentur, Livii libros inspexit, et sibimet ipsi ita defuit, ut Goellerum, interiecto duorum saeculorum intervallo, rem integram suscipere pateretur. Qui, quum se Bambergae in praestantissimum Livii codicem incidisse publice indicasset, per literas a me compellatus perquam benevole in epistola Coloniae a. d. IV. Octobr. a. 1817. ad me data, quam plures aliae lectu dignissimae deinceps sunt secutae, speciminis loco mecum communicavit verba Lib. XXXIII. 32. ex codice ita descripta: 'Isthmiorum statum 'ludicrum aderat; semper quidem et alias frequens, cum 'propter spectaculi studium insitum genti, quo certamina 'omnis generis artium, viriumque, et pernicitatis visuntur; 'tum quia propter opportunitatem loci, per duo diversa 'maria omnium rerum [usus ministrantis, humano generi 'concilium, Asiae Graeciaeque is mercatus erat. Tum 'vero non ad solitos modo usus] undique convenerant, sed 'exspectatione erecti, qui deinde status futurus Graeciae, 'quae sua fortuna esset: alii [alia] non taciti solum opina-

13 Gronovius in Praefatione: "Anno, inquit, 1615. Bambergae Hectore Cotzavio Imperialis Ecclesiae Decano bibliothecam publicam recognoscente ac transferente, Io. Horrion S. I. Sacerdos, dum singulos codices excutit, in membranas incidit, quae complures T. Livii libros, in his partem priorem XXXIII. adhuc desideratam servabant. Unde exemplum factum Franc. Bartholino Urbinati non invidit: atque is id Venetiis [imo Romae] cum Ar. Quaerengi notulis, multo correctius ipse inventor Paderbornae 1617. pretulit; tacito ille quidem per modestiam nomine, sed illud me docuit, qui etiam rarissimi et ad eum diem incogniti mihi libelli copiam fecit, Bern. Rottendorfius." Propterea non miramur, nobis quoque hasce contigisse, ut hunc libellum magnopere desideratum et ubique frustra quaesitum nanciscereminur.

'bantur, sed sermonibus etiam ferebant. [Romanos fac-
'turos vix cuiquam persuadebatur Graecia omni cessuros.]
'Ad spectaculum consederant, etc.' Tanta codicis eximii praestantia mirifice allectus cum Fr. Iacobsio, quem et ipsum Notas in Livii lib. XXXIII. conscripturum esse sciebam, ita in laboris a Goellero suscepti societatem veni, ut in Epistola critica Misenae pridie Cal. Decembr. a. 1819. data et Goelleri libro[14] adiecta omnem scripturae diversitatem ex editione principe sive Romana enotarem et de nonnullis libri tricesimi tertii locis breviter exponerem. Goellerus autem eiusque socius, quem Liv. XXXVII. 31—60. cum editione Gronoviana contulisse Goellerus p. 498. monuit, qua fide atque diligentia codicem cum editis comparaverint, nunc demum intellectum est. Utrumque enim ambiguis literarum ductibus pariter ac scripturae compendiis[15] et correctionibus in permultos eosque gravissimos errores inductum esse, ex iis apparet, quae ad Lib. XXXI. 7. p. 130. cap. 15. p. 135. sq. cap. 16. p. 136. cap. 20. p. 137. cap. 27. p. 141. cap. 34. p. 145. cap. 39. p. 147. cap. 44. p. 151. cap. 46. p. 153. cap. 50. p. 156. Lib. XXXII. 10. p. 165. cap. 13. p. 167. Lib. XXXIII. 17. p. 37. cap. 20. p. 48. sq. cap. 25. p. 59. cap. 28. p. 67. cap. 29. p. 70. et 72. cap. 30. p. 74. cap. 35. p. 86. et 87. cap. 36. p. 89. cap. 37. p. 93. cap. 40. p. 100. cap. 41. p. 101. Lib. XXXIV. 3. p. 190. cap. 4. p. 191. cap. 8. p. 194. cap. 24. p. 203. cap. 26. p. 204. cap. 29. p. 207. cap. 34. p. 210. cap. 39. p. 213. cap. 60. p. 224. sq. Lib. XXXV. 6. p. 232. cap. 11. p. 235. cap. 14. p. 238. cap. 15. p. 238. cap. 16. p. 239. cap. 22. p. 243. cap. 32. p. 250. cap. 33. p. 251. cap. 38. p. 255. cap. 42. p. 258. Lib. XXXVI. 1. p. 266. cap. 4. p. 269. cap. 19. p. 280. cap. 20. p. 281. cap. 31. p. 286. cap. 34. p.

14 Ita inscripto: T. Livii Patavini Historiarum Liber tertius [et] trigesimus, auctius atque emendatius cum Fr. Iacobsii suisque notis ex cod. Bambergensi edidit Franc. Goeller. Accessit Epistola Io. Theoph. Kreyssigii ad Editorem et Varietas lectionum in libris XXXI.—XXXVIII. ex eodem codice excerpta, cum specimine scripturae lithographico. Francof. ad Moen. 1822.

15 Adde, quod Goellerus Liv. XXXIII. 3. et 36. XXXV. 3. 9. et 20. atque alibi notis numeralibus *d* et *do* sive *D* et *DC* perperam c† vel cl et c†c substituit. Propterea Baumgarten-Crusius ad Liv. XXXI. 43. numeri signum in codice positum obscurius esse dixit, nec iniuria.

288. cap. 36. p. 289. cap. 38. p. 290. Lib. XXXVII. 3. p. 322. cap. 40. p. 324. cap. 43. p. 326. cap. 45. p. 327. cap. 50. p. 330. Lib. XXXVIII. 2. p. 341. cap. 5. p. 343. cap. 6. p. 344. cap. 7. p. 345. cap. 9. p. 345. cap. 13. p. 349. cap. 14. p. 350. cap. 17. p. 353. et 354. cap. 28. p. 361. cap. 30. p. 362. cap. 36. p. 365. cap. 38. p. 367. cap. 40. p. 368. cap. 42. p. 370. aliosque locos annotavimus. Quid, quod Goellerus ne priorem quidem libri tricesimi tertii partem ex unico codice editam studiose diligenterque pervestigavit, nec vidit, ut leviora mittam, cap. 3. non *quingenti*, sed *qui ingenti*, cap. 4. non *et regni*, sed *eiut regni*, ibid. non *equitum*, sed *qui tum*, cap. 5. non *a thebas*, sed *ad athebas*, ibid. non *praebeant*, sed *praebeat*, cap. 6. non *utrisque*, sed *utris*, ibid. non *praegressus*, sed *progressus*, cap. 7. non *ad Thetideum*, sed *at Thetideum*, ibid. non *detexerat*, sed *dexter erat*, cap. 9. non *Dextro*, sed *dextero*, ibid. non *omissis*, sed *deinde omissis*, cap. 10. non *spe praedae irruunt*, sed *spe praedae*, omisso *irruunt*, ibid. non *octo hostium*, sed *VIII. hostium* sive *octo milia hostium*, ibid. non *quis credat*, sed *qui credat*, ibid. non *scribit*, sed *scribi*, cap. 11. non *quaerentisque*, sed *querentisque*, ibid. non *succensebant*, sed *suscensebant*, ibid. non *offendebat*, sed *offendebatur*, cap. 12. non *tuendae*, sed *tu-dae*, syllaba *en* omissa, ibid. non *cum iis communicaret consilia*, sed *cum iis communicare pacis consilia*, ibid. non *non ad internecionem bellaretur*, sed *ad internecionem bellaretur*, omisso *non*, ibid. non *in proelio*, sed *proelio*, cap. 13. non *potius*, sed *totius*, ibid. non *rerumque*, sed *rerum*, ibid. non *mensium*, sed *mensum*, ibid. non *a senatu*, sed *ab senatu*, ibid. non *pacis maturandae*, sed *maturandae pacis*, cap. 14. non *Macedones*, sed *Macedonas*, ibid. non *transscendebant*, sed *trascendebant*, ibid. non *Phliasiorum*, sed *Phiasiorum*, litera *l* omissa, cap. 15. non *et Sicyonium*, sed *Sicyonium*, ibid. non *exercitus*, sed *exercitib*; sive *exercitibus*, ibid. non *porta egressus*, sed *portae gressus*, ibid. non *instituit aciem*, sed *instruit aciem*, cap. 16. non *in societate*, sed *in societatē*, sive *societatem*, ibid. non *ibi quoddam*, sed *quoddam ibi*, ibid. non *abfuerant*, sed *adfuerant*, ibid. non *de ea re*, sed *de re*, ibid. non *namque*, sed *nam*, ibid. non *oratore*, sed

oratione, cap. 17. non *Flamininum*, sed *Flaminium*, ibid. non *Leucade*, sed *Leucadę* sive *Leucadae*, ibid. non *Aeotolium*, sed *Aetoliam*, ibid. non *nunc insula*, sed *nunc insula est*, et ibid. non *Acarnania*, sed *Acarnia*, syllaba *na* omissa, in codice reperiri. In posteriore autem eoque maiore libri tricesimi tertii parte Goellerus has codicis Bambergensis lectiones maxime notabiles vel praetermisit, vel parum diligenter exsignavit: Cap. 17. *longae haee fauces* pro *longae haec fauces erant*, ibid. *quassatā* sive *quassatam muri obstruere, qua patefacta ruinis erant*, pro *quassata muri obstruere, quae patefacta ruinis erant*, ibid. *transcensum urbem* pro *transscensum in urbem*, ibid. *omnes Acarnaniae populi in ditionem legati venerunt* pro *omnes populi Acarnaniae in deditionem legati venerunt*, cap. 18. *ignaris regi-ius*, syllabis *regi* in versus fine positis, pro *ignaris regiis*, ibid. *reciperandi* pro *recuperandi*, ibid. *ad ipsa Tenpe admovet* pro *ad ipsa Tenpe movit*, ibid. *alterum castellum* pro *ad alterum castellum*, ibid. *acies utraque* pro *acies utraeque*, ibid. *impetum fecerunt* pro *impetum fecere*, ibid. *moveri querunt* pro *moveri querunt*, cap. 19. *quanquam* pro *quamvis*, ibid. *dilectu* pro *delectu*, ibid. *quibus fuga in expedito fuit*, pro *quibus fuga expeditior fuit*, ibid. *Thessalonicam sese recepit* pro *Thessalonicam se recepit*, ibid. *copiis* pro *copias*, cap. 20. *coniungi eum Philippo* pro *coniungi cum Philippo*, ibid. *Aphrosiade* pro *Aphrodisiade*, ibid. *Ciliciae* pro *Cilicia*, ibid. *in ditionem acceptis* pro *in deditionem acceptis*, ibid. *Coracensium* pro *Coracesium*, ibid. *mandatorum* pro *mandaturum*, ibid. *ñ* sive *non contione* pro *in concione*, ibid. *classi Antiochi illā* sive *illam* pro *classe Antiochulta*, ibid. *omiserant* pro *omiserunt*, ibid. *civitatum* pro *civitatium*, ibid. *providendo ac promonendo* pro *providendo promonendo*, cap. 21. *Attalus* pro *et Attalus*, ibid. *XVII.* pro *decem et septem*, cap. 22. *Cum Q. Minitius* pro *Cumque Minucius*, ibid. *cum multis cum multis* pro *cum multis multis*, ibid. *tribunosque altercationes* pro *altercationes tribunosque*, cap. 23. *sese* pro *se esse*, ibid. *Aeris tulit* pro *Tulit*, cap. 24. *Q. Fabius* pro *L. Fabius*, ibid. *C. Apustius* pro *L. Apustius*, ibid. *et ab T. Quintio* pro *a T.*

Quintio, ibid. *senatus datus* pro *senatus est datus*, cap. 25. *ꝑpus* sive *prius* pro *pius*, cap. 26. *decurisset* pro *decurisset*, cap. 27. *C. Sempronium* pro *Sempronium*, ibid. *L. Stertinius* pro *L. Steranius*, ibid. *Restitutis iis* pro *Restitutis*, omisso *iis*, ibid. *metum fecerunt* pro *metum ceperunt*, cap. 28. *opinione* pro *opinionem*, ibid. *profugit* pro *perfugit*, ibid. *Pistratus* pro *Pisistratus*, ibid. *eo ipso timore rem ad iudicium protraxit* pro *eo ipso timore ad indicium protraxit*, ibid. *ut servum conscium tolleret* pro *servum conscium tolleret*, ibid. *quia* pro *is*, *quia*, ibid. *quidem* pro *quidam*, cap. 29. *conscisse* pro *constisse*, ibid. *quaerendum* pro *querendum*, ibid. *toti enim interempti erant* pro *tot enim intercepti erant*, ibid. *quia*, *ni impetrassent* pro *quiam impetrassent*, cap. 30. *Bargyllis* pro *Bargylis*, ibid. *libertatē* sive *libertatem* pro *libertate*, ibid. *quid* pro *qui*, ibid. *tranfugasque* pro *transfugasque*, cap. 31. *consilia* pro *concilia*, ibid. *agitabantur* pro *tractabantur*, ibid. *caritatem ac magistatem* pro *caritatem*, *magistatem*, ibid. *accipere* pro *accipi*, cap. 32. *in mediam aream* pro *in mediam arenam*, ibid. *Macedonibus quae* pro *Macedonibusque*, *quae*, ibid. *Pthiotas* pro *Phthiotas*, ibid. *somni vanam speciem* pro *somnii vanam speciem*, ibid. *tantū* sive *tantum* pro *tantus*, ibid. *voluptatium* pro *voluptatum*, cap. 33. *iacentium* pro *iacientium*, ibid. *procul e periculo* pro *procul periculo*, ibid. *gloria et fructus* pro *gloriae et fructus*, ibid. *sed maria traiciat* pro *maria traiciat*, ibid. *libertas omnis Graciae atque Asiae urbes* pro *liberatas omnes Graeciae atque Asiae civitates*, cap. 34. *iis* pro *his*, ibid. *Ptholomei regum* pro *Phtolomaei regnum*, ibid. *Perrhebi* pro *Perhebi*, ibid. *Pthiotae* et *Pthioticis* pro *Phthiotae* et *Phthioticis*, ibid. *fuerant* pro *fuerat*, cap. 35. *Epheci ante* pro *Ephesianten*, ibid. *ad rege* pro *ad regem*, ibid. *ne ni si quid*, vocula *ni* inducta, pro *ni si quid*, vocula *ni* punctis notata, ibid. *Graecia estatis dieb*; sive *diebus* pro *Graecia estatis theb*;, ibid. *in altercatione* pro *in altercationem*, cap. 36. *M. Acilius Glabrio* pro *M. Acilius*, ibid. *inter tumulos quosdam* pro *in tumulos quosdam*, ibid. *M. Ogulnius* pro *M. Ogulinus*, ibid. *hoste* pro *hostem*,

ibid. *et carpenta capta* pro *et carpenta*, cap. 37. *inde* pro *dein*, ibid. *fere* pro *ferme*, ibid. *inde* pro *deinde*, ibid. *Libyosque* pro *Librosque*, ibid. *Marcellus cos.* sive *consul* pro *Marcellus*, ibid. *triumphusq*; sive *triumphusque* pro *triumphus*, cap. 38. *ad Lampsacum oppugnandam* pro *ad Lampsacum obpugnandum*, ibid. *navalibus terrestribus copiis* pro *navibus terrestribusque copiis*, ibid. *Cersonesumque* pro *Chersonesumque*, ibid. *et Thracum* pro *ut Thracum*, cap. 39. *ab Thaso* pro *a Thaso*, cap. 40. *aut* pro *at*, ibid, *qui in* pro *quin*, cap. 41. *Pthomaeumque* pro *Ptolomaeumque*, ibid. *praeveniret* pro *perveniret*, ibid. *quia ad fidem faciendam* pro *qui ad fidem faciendam*, ibid. *seditionē* sive *seditionem* pro *seditione*, ibid. *Eurimedontem* pro *Eurymedontem*, ibid. *captaque* pro *ad captaque*, ibid. *adorta* pro *oborta*, cap. 42. *et M. Porcius Cato* pro *M. Porcius Cato*, ibid. *Cn. Manlius Volso, Ap. Claudius Nero* pro *Cn. Manlius Vulso, Ap. Claudius Nero, P. Manlius*, ibid. *Scribonius* pro *C. Scribonius*, cap. 43. *ad senatu* pro *ad senatum*, ibid. *quō* pro *cum*, ibid. *venisset* pro *evenisset*, ibid. *datus T. Quinctio* pro *datust Quinctio*, ibid. *opus esse* pro *opus esset*, ibid. *ut scriberet* pro *scriberet*, ibid. *Sardiniā* sive *Sardiniam* pro *Sardinia*, ibid. *T. Sempronio* pro *Sempronio*, cap. 44. *iussit facere* pro *iussit fecere*, ibid. *instare* pro *restare*, ibid. *et nisi* pro *nisi*, cap. 45. *cum decerneretur bellum* pro *cur decerneretur bellum*, ibid. *quod ad Nabim Lacedomonium attineret* pro *quod ad Nabin Lacedaemoniorum adtineret*, ibid. *non ita magni momenti* pro *non tam magni momenti*, ibid. *identidem* pro *idemtidem*, ibid. *otii situ* pro *otio situ*, cap. 46. *quantum* pro *quantam*, ibid. *et principum quibusdam* pro *principum quibusdam*, cap. 47. *casam* pro *causam*, ibid. *qui ad senatum eorum* pro *qui ad senatum eorum arguerent*, cap. 48. *iusserat* pro *iussi erant*, ibid. *celebratae* pro *celebrataque*, ibid. *ad id quod serum erat* pro *id quod serum erat*, cap. 49. *populum* pro *populum Romano*, ibid. *ibi profectum iam regem in Asia* sive potius *Asiam cum audisset* pro *ibi profectum iam regem cum audisset*, ibid. *cum convenisset* pro *convenisset*.

Praeterea in ceteris, quos codex Bambergensis complectitur, Livii libris Goellerus eiusque socius[16] ita versati sunt, ut lectiones paene innumeras, id quod quaevis fere libri nostri pagina docet, vel perperam enotarent vel praetermitterent, et in his memoratu dignissimas, veluti Lib. XXXI. 3. *senatuique* pro *et senatui*, cap. 5. *peractam* pro *perfectam*, cap. 24. *ex specula* pro *e specula*, cap. 31. *Eadem haec Chios* pro *Eadem Cium*, ibid. *ne ipsi quidem* pro *neque ipsi quidem*, Lib. XXXII. 2. *adversus id quod iis* pro *adversus quod iis*, cap. 9. *emisso e manibus hoste* pro *misso e manibus hoste*, cap. 13. *ingens iter agmini, sed metus urgebat* pro *ingens iter agminis, sed metus urgebat*, ibid. *ut in Thessaliam agmen demitteret* pro *suum in Thessaliam agmen demittere*, cap. 18. *aberat* pro *abibant*, cap. 20. *fore* pro *foedere*, Lib. XXXIV. 16. *profectum* pro *profecturum*, cap. 35. *Ne quod oppidum, neu quod castellum* pro *Ne quod oppidum, ne quod castellum*, cap. 41. *et lateri adhaerens tyrannus* pro *lateri adhaerens tyranni*, cap. 59. *latae sunt* pro *datae sunt*, Lib. XXXV. 1. *opulentum praeda exercitum* pro *opulentum praedae exercitum*, cap. 42. *quemquam* pro *quempiam*, Lib. XXXVI. 30. *escendit* pro *adscendit* sive *ascendit*, Lib. XXXVII. 28. *si minus* pro *sin minus*, cap. 32. *potestatem iis dari* pro *potestatem iis dare*, cap. 52. *ex templo excessit* pro *templo excessit*, cap. 53. *relictis meis rebus* pro *relictis rebus*, et Lib. XXXVIII. 20. *a septentrione* pro *ad septentrionem*.

Quantum haec Goelleri eiusque socii negligentia non solum Christ. Frid. Klaibero, qui editioni Drakenborchianae Stutgardiae a. 1820. repetitae delectas codicis Bambergensis lectiones ita inseruit, ut Goelleri erroribus suos adderet[17], sed etiam aliis Livii editoribus offecerit, ipse

16 Quanta huius potissimum fuerit negligentia, ubi ea, quae in Goelleri libro p. 307—318. leguntur, comparaveris cum nostris, quae huius libri p. 318—339. reperiuntur, facile intelliges.

17 Praeterea haec Livii editio Stutgardiensis, ne viliore quidem, quo nunc venditur, pretio digna, vitiis typographicis ita inquinata est, ut Lib. XXXI. 27. 6. *proprium* pro *propter*, Lib. XXXII. 30. 11. *septengentos* pro *septingentos*, cap. 35. 8. *ingressus* pro *egressus*, Lib. XXXV. 3. 3. *tutabantur* pro *tutabatur*, cap. 12. 9. *tyrannum* pro *tyranni*, cap. 29. 2. *aequatoribus* pro *aquatoribus*, cap. 34. 3. *constat* pro *constabat*, cap. 35.

primus sum expertus in recognoscenda Ernestiana Livii editione librariae Weidmanniae sumptibus parata, quae omnium prima permultos Livii locos ex codice Bambergensi suppletos atque emendatos exhibet. Neque tamen, id quod in praefatione illi praemissa p. 9. ingenue confessus sum, omnem lectionum varietatem a Goellero ex codice Bambergensi excerptam aequabili diligentia et circumspectione ad narrationis Livianae contextum reparandum contuli, sed aliis eundem post me laborem suscepturis emendationum spicilegium reliqui. Tribus huius editionis voluminibus absolutis, Leon. Tafelii prodiit editio confestim deferenda *in vicum*, ut Horatius ait, *vendentem tus et odores, et piper, et quicquid chartis amicitur ineptis*. Hic enim, ne conspecto quidem Goelleri libro[18], integerrima locorum lacunosorum supplementa ex codice Bambergensi prolata et certissimas locorum depravatorum emendationes ex eodem codice petitas in imo paginarum margine posuit, et audacissimas easdemque operose ac putide commendatas Heusingeri coniecturas, quae nemini facile probabuntur, in orationis contextum recepit. Quo quum nihil ineptius

2. *nunc* pro *tunc*, cap. 37. 3. *Brachillae* pro *Brachyllae*, Lib. XXXVI. 2. 11. *Pachino* pro *Pachyno*, cap. 9. 3. *Hyppolocho* pro *Hippolocho*, ibid. *Scorussam* pro *Scotussam*, cap. 14. 10. *ut navigatione* pro *et navigatione*, ibid. 11. *Phaerae* pro *Pherae*, cap. 19. 7. *fuerunt* pro *fuerant*, cap. 40. 12. *more* pro *suo more*, cap. 41. 5. *Antiochum* pro *Antiochus*, Lib. XXXVII. 7. 11. *accerrimus* pro *acerrimus*, cap. 14. 3. *ad Samo* pro *ab Samo*, ibid. 4. *quadriremibus* pro *quinqueremibus*, cap. 17. 3. *Bargilietico* pro *Bargylietico*, cap. 26. 10. *signis* pro *segnis*, ibid. *opinatem* pro *opinantem*, ibid. *provacatum* pro *provocatum*, ibid. 12. *tenuerant* pro *tenuerat*, cap. 39. 5. *adire* pro *adiri*, cap. 42. 6. *accipere* pro *accepere*, cap. 43. 2. *est stare primo* pro *et stare primo*, cap. 51. 7. *profectis* pro *perfectis*, cap. 54. 27. *iustissimae* pro *iustissimae irae*, cap. 55. 7. *L. Furionem Purpureonem* pro *L. Furium Purpureonem*, cap. 56. 9. *omni modi* pro *omni modo*, et Lib. XXXVIII. 41, 11. *quod peteretur*, pro *quod peteretur*, *fuerat* legatur, atque in Drakenborchii annotatione ad Lib. XXXIV. 42. 2. verba: "consentientibus omnibus nostris, *qui post fusos*," et ad Lib. XXXV. 23. 8. verba: "Mox *quae vergeret* Voss." sint omissa. Alii alia, si placet, eiusmodi vitia investigent. Utinam Klaiberus rem diligentius gessisset et Drakenborchii aliorumque editorum et interpretum erroribus corrigendis effecisset, ut editione Lugdunensi ab ipso Drakenborchio parata carere possemus.

18 Nam in praefatione tomo tertio praefixa: "Quantam, inquit, lucem Kreyssigius, vir doctissimus, postremis quinque libris e codice Bambergensi atque Vindobonensi affusurus sit, ex his, quae iam protulit, laete auspicari licet." Tafelius igitur ignoravit, postremos Livii libros non Bambergensi, sed Vindobonensi codice contineri. Quae in Epist. ad Goeller. p. 477. scripsi, ut taceam alios, qui de eadem re exposuerunt, meliora eum edocere potuissent.

perversiusque aut fingi aut cogitari possit, utrum pudeat magis, an poeniteat, quod haec deliramenta in annotationibus ad tricesimum tertium Livii librum commemoraverim, incertum habeo. Praeterea Tafelius, quum plures operarum errores, veluti Liv. X. 46. ubi *locorumque* pro *locorumque publicorum* a typotheta poni passus est, non correxerit et lectiones a me vel receptas vel repudiatas parum accurate indicaverit, hac ipsa incuria effecit, ut editioni paullo post a Baumgarten-Crusio adornatae, in qua textus, quem vocant, ex Tafelii editione descriptus est, nonnullae aspergerentur labeculae, et plura, quae Tafelii negligentiae tribuenda essent, ab editore doctissimo in critica, quam adiecit, annotatione mihi imputarentur. Codicis autem Bambergensis copias a Goellero suppeditatas Baumgarten-Crusius ita in rem suam convertit, ut a Tafelii temeritate sibi sedulo caveret, iniuriasque ab illo mihi illatas non semel, sed saepius defenderet, et in plerisque, id quod ipse ad Liv. XXXIV. 22. professus est, me sequeretur, sed ut suam rationem teneret. Verum enim vero in tanta lectionum varietate ac diversitate fieri non potuit, quin interdum a viro doctissimo mihique carissimo dissentirem; quod uti priusquam collegii primum, deinde affinitatis necessitudine cum eo coniungerer, literis consignaveram, ita ne nunc quidem, animi eius candore iam dudum perspecto, publice pronuntiare non dubitavi. Quantum autem, quum mihi non ita placeam, ut erroris convictus in aliorum sententiam discedere recusem, Baumgarten-Crusii iudicio tribuerim, ex eo *potissimum* intelligitur, quod in stereotypa, quam vocant, Livii editione, quae postea Tauchnitii impensis parata et ad codicis Bambergensis pariter ac Vindobonensis fidem diligentius composita est, alios Livii locos ex eius voluntate corrigerem, alios eidem obsecutus ad lectionis vulgatae integritatem revocarem. Propterea Bekkero quoque, quum codicis Vindobonensis collationem, de qua supra commemoravi, ad eum transmitterem, magnopere auctor fui, ut hac potius Livii editione, quam Ernestiana a me recognita, quae inexcusabili eorum, qui typothetarum specimina corrigenda acceperunt, socordia pluribus lacunis et permultis

iisque gravissimis operarum peccatis deformata est, in sua adornanda uteretur. Quod quum ille epistolae meae respondere dedignatus nescio quam ob causam facere noluisset, sed textum vitiis turpissimis inquinatum ex Ernestiana illa Livii editione describi iussisset, vix ac ne vix quidem potuit impediri, quo minus ex contagione, velut tabes, in Berolinensem quoque Livii editionem id pervaderet malum. Bekkerus enim, praeterquam quod Lib. XXXII. 39. *agi coeptum est* pro *coeptum agi est*, Lib. XXXIII. 27. *denarios* pro *denarium*, ibid. *eos esse credebat*, pro *eos credebat*, cap. 34. *et Dolopes liberi quoque pronuntiati* pro *et Dolopes quoque liberi pronuntiati*, cap. 41. *tantum* pro *modo*, et Lib. XXXV. 20. *quinque milia peditum* pro *quindecim milia peditum* falso retinuit atque Lib. XLIV. 29. vacabulum *loci* et Lib. XLV. 10. vocabulum *quoque* temere omisit, Lib. X. 1. *Marcio* pro *Marcis*, cap. 44. *ducunt* pro *legiones ducunt*, Lib. XXI. 56. *et iumenta* pro *et homines multos et iumenta*, cap. 61. *duodecim milia* pro *ad duodecim milia*, Lib. XXII. 12. *in conspectu* pro *in conspectu hostium*, cap. 20. *profecti*, quod ex ed. Ern. *in* alias est propagatum, pro *provecti*, cap. 31. *nec illi terra* pro *neque illi terra*, cap. 53. *ad regem aliquem*, de quo vide Vann. crit. p. 58. ubi huius lectionis vanitatem explosi, pro *ad regum aliquem*, Lib. XXIII. 11. *recipiendis civitatibus*, pro *in recipiendis civitatibus* cap. 35. *T. Sempronius*, quod iam in ed. Ern. reperitur, pro *Ti. Sempronius*, cap. 44. *educit*, quod ex ed. Drakenborch. in ed. Ern. translatum est, pro *eduxit*, quod iam ante Strothium Millerus et Ruddimannus restituerunt, Lib. XXIV. 5. *ita*, quod ex ed. Ern. in alias propagatum est, pro *itaque*, cap. 14. *T. Gracchus*, quod iam in ed. Ern. legitur, pro *Ti. Gracchus*, cap. 36. *nactus* pro *nactus eos*, cap. 47. *Matutae* pro *matris Matutae*, Lib. XXV. 23. *ad rem tantam* pro *ad rem tantam agendam audendamque*, Lib. XXXII. 34. *nec ego* pro *neque ego*, Lib. XXXIV. 45. *T. Sempronius*, quod ex ed. Ern. in alias est propagatum, pro *Ti. Sempronius*, Lib. XXXV. 48. *exprobans*, quod iam in ed. Ern. reperitur, pro *exprobrans*, Lib. XXXVI. 3. *ab urbe Romana*, quod itidem in ed. Ern. legitur, pro *ab*

urbe Roma, cap. 24. *T. Sempronium*, quod ex ed. Ern. in alias propagatum est, pro *Ti. Sempronium*, et Lib. XXXVII. 3. *a Ptolemaeo*, quod itidem ex ed. Ern. in alias est propagatum, pro *ab Ptolemaeo* perperam reponi passus est[19]. Haec tamen leviora sunt: illud multo gravius, quod Bekkerus, quantumvis hoc proterve negaverit, scripturae diversitatem a Goellero ex codice Bambergensi negligentius enotatam imprudenter ubique sequi, quam ex ipso codice, quem ad manum habebat, vera cognoscere maluit. Quae ne temere dixisse videar et in obtrectationis ac malevolentiae reprehensionem incurram, potiora saltem, quibus

19 Nonnulla tamen, ne quid dissimulem, ex his vitiis a Bekkero non sublatis aliaque eiusdem fere generis in stereotypam quoque, quam paravi, Livii editionem irrepserunt. Haec ita corrige, ut scribas Lib. XXII. 23. *recepisset* pro *recipisset*, Lib. XXIII. 16. *in ea impetus fieret* pro *in eo impetus fieret*, Lib. XXIV. 10. *ex praetoribus* pro *et praetoribus*, cap. 21. *quam* pro *quam*, Lib. XXX. 36. *venirent* pro *veniret*, Lib. XXXI. 45. *insulam* pro *iusulam*, Lib. XXXIII. 43. *P. Porcio* pro *Porcio*, cap. 45. *arte;* pro *arte*, Lib. XXXIV. 45. *Ti. Sempronius* pro *T. Sempronius*, Lib. XXXV. 7. *Toletum* pro *Toledum*, cap. 10. *Paulli* pro *Pauli*, cap. 48. *exprobrans* pro *exprobans*, Lib. XXXVI. 3. *ab urbe Roma* pro *ab urbe Romana*, cap. 21. *erat profectus* pro *eam profectus*, cap. 24. *Ti. Sempronium* pro *T. Sempronium*, Lib. XXXVII. 3. *ab Ptolemaeo* pro *a Ptolemaeo*, Lib. XXXVIII. 43. *deinde* pro *inde*, Lib. XXXIX. 16. *Ne quis etiam errore labatur, vestrum quoque non sum securus* pro *Ne quis etiam errore labatur vestrum quoque, non sum securus*, cap. 33. *Ti. Sempronius* pro *T. Sempronius*, Lib. XLI. 1. *hinc* pro *huic*, cap. 5. *Ti. Claudius* pro *T. Claudius*, cap. 20. *vere* pro *fere*, cap. 28. *redisset* pro *rediisset*, Lib. XLII. 57. *aggrederentur*; *inde* pro *aggrederentur. Inde*, Lib. XLIII. 16. *quo minus* pro *qui minus*, ibid. *Ti. Gracchus* pro *T. Gracchus*, Lib. XLIV. 33. *postmeridianam* pro *postmeridianum*, Lib. XLV. 13. *et Cleopatrae* pro *Cleopatrae*, cap. 24. *cumulato* pro *cumulata*, et cap. 29. *quae ubique depositae essent* pro *quae ubique depositae esset*. In *Varietate lectionum editionis Drakenborchianae* editori nostrae adiecta scribas velim ad Lib. XXXI. 9. *reponi* pro *reponique*, ad cap. 11. *arbitrium eius* et *arbitrium eis* pro *eius arbitrium* et *eis arbitrium*, ad cap. 36. *subcessit* pro *successit*, ad cap. 40. *Ortholophum* pro *Ortholophum*, ad Lib. XXXII. 11. Ibid. *se non iniquo*] *non iniquo*. — Ibid. *super caput*] *supra caput*. — Ibid. *eos deducturum*] *deducturum*. — pro Ibid. *super caput*] *supra caput*. —, ad cap. 31. *consulum e Gallia* pro *consulum in Gallia*, ad Lib. XXXIII. 32. *pronuntiavit* pro *pronunciavit*, ad cap. 38. Cap. 39. *ab Syria* pro Ibid. *ab Syria*, ad Lib. XXXIV. 48. Ibid. *deprimerent*] *deprimeret*. — Cap 49. *quam ruina provissimae civitatis*] *quam ruina provissima civitatis*. — pro Ibid. *deprimerent*] *deprimeret*. —, ad cap. 57. *ascendit* pro *adscendit*, ad Lib. XXXVI. 36. *propraetor* pro *praepraetor*, ad Lib. XXXVIII. 49. Cap. 49. *huiccine*] *huicne*. — Cap. 52. *summittere*] *submitteret*. — pro Cap. 49. *huiccine*] *huicne*. —, ad Lib. XLII. 38. Cap. 39. *Hippias*] *Hippian*. — pro Ibid. *Hippias*] *Hippian*. —, et ad Lib. XLV. 3. *Agepolim* pro *Agepolin*. Si qua supersunt vitia typographica a me nondum reperta, ea ut viri docti, occasione oblata, mihi indicent, etiam atque etiam rogo. [Vitia, quae in contextum editionis stereotypae irrepserant, plerumque emendanda curavi. Ed.]

me omni calumniae suspicione vacare satis superque probabitur, breviter complecti et de ceteris, quae hanc in rem proferri possent[20], lectores ad totum, cui praefandum erat, librum delegare placet.

Primum igitur Bekkerus Goellero nimium confisus, uti omnino codici Bambergensi in verborum collocatione mutanda plus iusto tribuisse videtur, ita non solum Lib. XXXIII. 16. *initium ibi quoddam motus fecit* pro *initium quoddam ibi motus fecit*, Lib. XXXV. 30. *ubi praegressi sunt ea* pro *ubi praegressi ea sunt*, Lib. XXXVII. 26. *ad mare duabus partibus* pro *ad mare partibus duabus*, et Lib. XXXVIII. 5. *Amphilochis nuper receptis opem ferre*, quae Goellerus pariter ac verba Lib. XXXIII. 22. *Hae inter consules tribunosque altercationes* temere transposuit, sed etiam Lib. XXXI. 5. *quibus ipsis diis videretur* pro *quibus diis ipsis videretur*, cap. 30. *neque se id queri* pro *neque id se queri*, Lib. XXXII. 20. *per diem totum habitae* pro *per totum diem habitae*, cap. 23. *disposita praesidia vidit regia* pro *disposita vidit praesidia regia*, cap. 28. *in ipso conatu belli gerendi* pro *in ipso conatu gerendi belli*, Lib. XXXIV. 9. *quantae hostium essent copiae* pro *quantae hostium copiae essent*, Lib. XXXV. 3. *duxit ad Pisas* pro *ad Pisas duxit*, cap. 43. *differre in Graeciam profectionem* pro *differre profectionem in Graeciam*, et Lib. XXXVIII. 20. *quo res postulet* pro *quo postulet res*, quae non transponenda esse librarius ipse, id quod Goellerum praeteriit, solito more significavit, in orationis contextum recepit: contra ea, quum Goellerus taceat, Lib. XXXIII. 10. *octo hostium milia* pro *octo milia hostium*, quod ex cod. Bamb. reposui, cap. 13. *pacis maturandae*, cui *maturandae pacis* substituendum esse librarius itidem indicavit, et cap. 17. *omnes populi Acarnaniae* pro *omnes Acarnaniae*

20 Vide, quae ad Lib. XXXI. 11. *adolescentiae*, cap. 14. *et militum copiis*, cap. 46. *Larissamque*, Lib. XXXII. 21. *quia pepercisse volunt*, Lib. XXXIII. 18. *recuperandi*, Lib. XXXIV. 26. *alii ab aliis pulsi*, cap. 42. *a senatu*, Lib. XXXV. 22. *missus est in Graeciam ad socios tuendos*, cap. 29. *simul etiam tentaturus*, cap. 34. *revocare iubebant*, cap. 49. *potius*, Lib. XXXVII. 28. *sin minus*, Lib. XXXVIII. 40. *per calles notos*, aliosque locos annotavimus.

populi, quod in cod. Bamb. reperitur, servandum esse arbitratus est.

Deinde idem in Livii libro tricesimo tertio lectiones a Goellero temere confictas: Cap. 12. *victus in praelio* pro *victus proelio*, cap. 13. *a senatu* pro *ab senatu*, cap. 15. *instituit aciem* pro *instruit aciem*, cap. 18. *nequierunt* pro *nequiverunt*, cap. 26. *decucurrisset* pro *decurrisset*, cap. 28. *is, quia* pro *quia*, et cap. 33. *Asiae civitates* pro *Asiae urbes*, quae nos quoque et Bamgarten-Crusium fefellerunt, non exterminavit atque cap. 10. verbum *irruunt*, quod cum insequenti *verum* in ed. Rom. margine suppletum est, in codice reperiri, Goellero credidit; in ceteris autem libris complures lectiones ab eodem parum accurate enotatas, veluti Lib. XXXI. 33. *rex* pro *rex vero*, quod in cod. Bamb. non omissum, sed in *nō* sive *non* corruptum est, cap. 49. *duodecim milia Hispanorum* pro *quindecim milia Hispanorum*, Lib. XXXII. 21. *fortuna et dat fiduciam postulantibus* omisso *Achaei*, quo cod. Bamb. lacunam explendam esse apparet, cap. 28. *quaerendo rege et exercitu eius* pro *quaerendo regem et exercitum eius*, Lib. XXXIV. 5. *iam urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? nempe matronae consensu omnium in publicum contulerunt* pro *iam urbe capta a Gallis, quo redempta urbs est? nempe aurum matronae consensu omnium in publicum contulerunt*, cap. 13. *conseretis manus* pro *conferetis manus*, quod cod. Mog. lectioni *conseretis manum* non praetulerim, cap. 35. *quasque ipse restituisset* pro *quas ipse restituisset*, quod cod. Bamb. aliorumque et editionum antiquarum lectioni *quasque et ipse restituisset* in ed. Frob. 2. recte substitutum est, cap. 39. *super capita* pro *supra capita*, Lib. XXXV. 4. *ut egressum e finibus suis hostem sensere*, pro *ut egressum suis finibus hostem sensere*, quod in cod. Bamb. reperitur, cap. 22. *missus est in Graeciam ad tuendos socios* pro *missus in Graeciam est ad tuendos socios*, quod in cod. Bamb. legitur, Lib. XXXVI. 38. *sex milia* pro *tria milia*, Lib. XXXVII. 46. *praelata in triumpho sunt* pro

praelata in eo triumpho sunt, quod in cod. Bamb. reperitur, Lib. XXXVIII. 16. *seditio orta* pro *seditio orta est*, quod vulgato *orta seditio est* non praestare videtur, et cap. 45. *cum ibi nullam causam belli inveniret* pro *cum ibi nullam belli causam invenisset* sive potius *inveniret*, quod ceteri codices offerunt, admittere non dubitavit.

Tum Bekkerus, qui incorruptas codicis Bambergensis lectiones, a nobis pariter ac Baumgarten-Crusio per imprudentiam neglectas, veluti Lib. XXXI. 12. *curam* et *accenderunt* pro *causa* et *acciderunt*, cap. 15. *suorum* pro *sociam*, cap. 50. *qui praetor designatus erat* pro *quem praetorem designaverant*, Lib. XXXII. 16. *Piraeeum praecedit* pro *Piraeeum praecepit*, ibid. *iussis, ut quaeque* pro *iussitque, ut, quae*, cap. 28. *sex milia peditum, trecenti equites* pro *peditum quinque milia et trecenti equites*, Lib. XXXIII. 10. *ibi* pro *ubi*, cap. 23. *plerique* pro *plerosque*, cap. 27. *perinde atque ipsis iis et non Quinctio et Romanis id datum esset* pro *perinde atque ipsi id a Quinctio et Romanis datum esset*, cap. 32. *sed sermonibus etiam ferebant* pro *sed sermonibus etiam serebant*, Lib. XXXIV. 2. *sine tutore auctore* pro *sine tutore*, cap. 19. *deni* pro *dein*, cap. 37. *nihil responderi et bellum geri* pro *nihil respondere, bellum geri*, Lib. XXXVIII. 13. *castellum vi cepit, captum Alabandensibus reddit* pro *castellum vi captum Alabandensibus reddit*, et cap. 22. *iis vero non vulnerabantur* pro *hi vero non vulnerabantur*, aliasque ex Goelleri collatione petitas vulgatis recte substituit, permultas alias non minus incorruptas, sed a Goellero eiusque socio praetermissas et ex ipso codice petendas, non recepit. Harum quoque, ut dubias illas Lib. XXXIII. 17. *ditionem* pro *deditionem*, cap. 18. *admovet* pro *movit*, ibid. *fecerunt* pro *fecere*, cap. 19. *quanquam* pro *quamvis*, cap. 24. *ab T. Quintio* pro *a T. Quinctio*, cap. 28. *ut servum conscium tolleret* pro *servum conscium tolleret*, cap. 29. *interempti* pro *intercepti*, cap. 31. *agitabantur* pro *tractabantur*, cap. 36. *inter tumulos quosdam* pro *in tumulo quodam*, cap. 39. *ab Thaso* pro *a Thaso*, cap. 42. *et M. Porcius Cato* pro *M. Porcius Cato*, cap. 43. *ut scriberet* pro *scribere* vel *scriberet*, cap. 44. *iussit facere* pro *iussi facere* sive potius *iussi fecere*, aliasque

id genus omittamus, potiores tantum ex eodem maxime libro depromptas commemorasse iuvabit. In codice Bambergensi igitur, iurato mihi crede, Lib. XXXI. 31. *Eadem haec Chios* pro *Eadem Chios* sive potius *Cianos*, cap. 41. *in loca pacata* pro *in loca iam pacata*, cui illud iam Gelenius substituit, Lib. XXXII. 7. *Insubrum* pro *Insubrium*, cap. 9. *emisso e manibus hoste* pro *misso e manibus hoste*, cap. 13. *ingens iter agmini, sed metus urgebat*, pro *ingens iter agminis, sed metus urguebat*, quod Drakenborchius pro *ingenti itinere agminis, et metus urgebat* Gronovii coniecturam secutus recepit, ibid. *ut in Thessaliam agmen demitteret* pro *suum* vel *subitum*, quod Bekkerus ex vanissima Walchii coniectura illi substituit, *in Thessaliam agmen demittere*, cap. 18. *aberat* pro *abibant* et paullo post, id quod Goellerus recte annotavit, *habebat* pro *habebant*, Lib. XXXIII. 4. *robur omne virium eius regni* pro *robur omne virium et regni*, cap. 15. *dein aliarum gentium exercitibus robur erat*, quod ita restitui, ut *id in illarum* pro *dein aliarum* reponerem, pro *dein aliarum gentium exercitus robur erat*, cap. 17. *nunc insula est, vadoso freto* pro *nunc insula, vadoso freto*, cap. 18. *acies utraque* pro *acies utraeque*, cap. 19. *fuga in expedito fuit* pro *fuga expeditior fuit*, cap. 20. *coniungi eum Philippo* pro *coniungi cum Philippo*, cap. 21. *Attalus* pro *et Attalus*, cap. 23. *Aeris tulit* pro *Tulit* et paullo post *et argenti*, omisso *D.* sive *quingentos*, pro *quingentos aeris, argenti* etc. cui olim et *quingentos aeris, argenti* etc. substitueram, quod Bekkerus perperam retinuit, cap. 27. *C. Sempronium* pro *Sempronium*, ibid. *Restitutis iis* pro *Restitutis*, cap. 28. *cum scirent ipsi nihil, opinione omnium pro indicio*, omisso *usi*, quod ex cod. Mog. addidi, pro vulgato *quum scirent ipsi opinionem omnium, ea pro indicio usi*, quod Bekkerus hunc locum lacuna deformatum esse ratus ita corrupit, ut vocabulo *usi* omisso, *cum scirent ipsi nihil, opinionem omnium . . . . pro indicio* ederet, ibid. *eo ipso timore rem ad iudicium protraxit* pro *eo ipso timore ad indicium protraxit*, cap. 29. *quaerendum* pro *querendum*, cap. 31. *caritatem et magistatem*, quod librarius pro *maiestatem* posuit, pro *caritatem, maiestatem*, ibid. *accipere* pro *accipi*, cap. 32.

in mediam aream pro *in mediam arenam*, cap. 33. *sed maria traiciat* sive *traiiciat* pro *maria traiiciat*, cap. 34. *fuerant* pro *fuerat*, cap. 36. *M. Acilius Glabrio* pro *M.' Acilius*, cap. 37. *Marcellus cos.* sive *consul* pro *Marcellus*, cap. 41. *praeveniret in Aegyptum* pro *perveniret in Aegyptum*, ibid. *adorta* pro *oborta*, cap. 43. *T. Sempronio Longo* pro *Sempronio Longo*, cap. 44. *instare* pro *restare*, cap. 45. *non ita magni momenti* pro *non tam magni momenti*, ibid. *otii situ* pro *otio situque*, cap. 46. *et principum quibusdam* pro *principum quibusdam*, cap. 48. *quo in loco iusserat* pro *quo in loco iussi erant*, ibid. *Quanto res et tempus patiebatur apparatu celebratae eius diei epulae sunt* pro vulgato *Quantum res et tempus patiebantur, apparatae celebrataeque eius diei epulae sunt*, a quo Bekkerus non nisi ita discessit, ut mihi tacite obsecutus *patiebantur* in *patiebatur* mutaret, ibid. *ad id quod serum erat* pro *id quod serum erat*, cap. 49. *profectum iam regem in Asia* sive potius *Asiam* pro *profectum iam regem*, Lib. XXXIV. 35. *ne quod oppidum, neu quod castellum*, pro *ne quod oppidum, ne quod castellum*, Lib. XXXV. 1. *opulentum praeda exercitum* pro *opulentum praedae exercitum*, cap. 20. *quindecim milia peditum*, pro *quinque milia peditum*, Lib. XXXVI. 30. *escendit* pro *adscendit* sive *ascendit*, Lib. XXXVII. 32. *potestatem iis dari* pro *potestatem iis dare*, cap. 52. *ex templo excessit*, pro *templo excessit*, cap. 55. *ea ut civitatis Rhodiorum essent* pro *ea civitatis Rhodiorum essent*, et Lib. XXXVIII. 20. *a septentrione* pro *ad septentrionem* reperitur. Bekkerum autem, quum nullius, opinor, hominis tanta sit perversitas, ut, inventis frugibus, glande vesci malit, Bekkerum, inquam, artis criticae longe peritissimum has lectiones sine ulla dubitatione recipiendas, si ante nos in codice Bambergensi invenisset, fastidiose aspernaturum fuisse, quis, quaeso, sibi persuaderi patiatur?

Postremo rem totam conficit ipsius Bekkeri confessio, non vi expressa, sed sponte facta, quam maximi ad refellendum et coarguendum eius mendacium momenti esse unicuique facile apparet. Bekkerus enim quattuor virorum doctorum coniecturas, quibus ipse quintam addidit, secutus quinquies a vulgata locorum de mendo suspecto-

rum scriptura ita discessit, ut Lib. XXXI. 31. *de qua re*[7]: *ipsi quidem queri possint*, quod Bekkerus a Goellero deceptus perperam vulgato *possunt* substituit, Lib. XXXII. 13. *inclinavit sententiae subitum*[4]) *in Thesaliam agmen demittere*, et cap. 20. *pro bono atque utili fore*[7]) *defendendum*, Lib. XXXIV. 31. *et accepi tum*[6]) *cum Philippi partium, non in vestra societate esset*, et cap. 59. *quae modo diserte a Quintio latae*[4]) *sunt*, partim recte, partim falso reponeret his annotationibus subiectis: "[7]) *ne* GR: codices *nec* vel *neque*." — "[4]) *subitum* Walchius: codices *suum*." — "[7]) *fore* Perizonius: codices *foedere*." — "[6]) *accepi tum*] *accepit urbem*. B." — "[4]) *latae* GR: codices *datae*." Ergo Bekkerus, id quod erat demonstrandum, palmarias Fr. Gronovii et Iac. Perizonii coniecturas codicis Bambergensis auctoritate confirmari, Walchii emendationem, quum in eodem codice, ut supra memoravi, rectius *inclinavit sententia, ut in Thessaliam agmen demitteret* legatur, admitti non posse, et suam ipsius coniecturam, quum Goellerus codici Bambergensi, in quo *nam et ipsi vocantibus ac tradentibus urbem eam accepit non occupari et accepi urbem cum Philyppi partium non in vestra societate esset* reperitur, perperam *et accepit urbem* tribuerit, vix hoc nomine dignam esse ignoravit.

Tripartitae autem, quam prosperrimo, ut nobis quidem videtur, successu absolvimus, demonstrationi illud non obstat, quod Bekkerus Lib. XXXI. 7. *ab nobis non deficient* pro *a nobis non deficient*, cap. 15. *virtutis ergo* pro *virtutis gratia*, *cap. 21. *diductis cornibus* pro *deductis cornibus*, Lib. XXXII. 5. *Megalen polin* pro *Megalopolin*, cap. 16. *travectus* pro *transvectus*, cap. 21. *quo tueatur nos* pro *quo nos tueatur*, Lib. XXXIII. 32. *voluptatium* pro *voluptatum*, *cap. 38. *ad Lampsacum oppugnandam* pro *ad Lampsacum oppugnandum*, Lib. XXXIV. *12. *ostentandam* pro *ostendendam*, *cap. 14. *dextrae* pro *dexterae*, Lib. XXXV. 4. *detractabant* pro *detrectabant*, cap. 12. *reciperandi* pro *recuperandi*, cap. 35. *Eurotan* pro *Eurotam*, *cap. 42. *quemquam* pro *quempiam*, Lib. XXXVI. *4. *Ptolemaeo Aegypti rege* pro *Ptolemaeo Aegypti*, cap. 17. *cenis* pro *coenis*, Lib. XXXVII. *2. *sortiti sunt* pro *sortiti*.

cap. 11. *Panhormum* pro *Panormum*, cap. 25. *fratris eius Africani* pro *eius fratris Africani*, cap. 53. *futura sunt* pro *futura sint*, ibid. *bellum adversus vos gessissem* pro *adversus vos bellum gessissem*, *cap. 57. *Tappo* pro *Tappus*, ibid. *obligarat* pro *obligaverat*, Lib. XXXVIII. 3. *detractarent* pro *detrectarent*, et cap. 21. *deprensi* pro *deprehensi* reposuit. Has enim lectiones a Goellero eiusque socio praetermissas, quarum nonnullas, id quod asterisci appositi significant, nos quoque, priusquam in codice Bambergensi inveniremus, vulgatis substituimus, a Bekkero, cui locorum Liv. XXXI. 7. et 15. scripturam a nobis in eodem codice repertam casus obtulit, aliorum codicum auctoritatem et coniecturarum probabilitatem secuto receptas esse, non est, opinor, quod dubitemus.

Quae quum ita sint, vix opus est, ut, quot et quantis vitiis Bekkeriana Livii editio laboret[20], operosius demonstrem; praesertim quum Bekkerus, Goelleriana codicis Bambergensis collatione inchoata magis quam perfecta, se totum, id quod constituerat, ad huius codicis auctoritatem conformare non potuerit, aliisque novam Livii editionem paraturis et Bekkerianam in oblivionem adducturis permulta emendanda atque absolvenda reliquerit. Cui quidem labori, nisi quis consilium meum praeverterit, tum fortasse memet ipse accingam, quum varietatem lectionum a Kopitario ex codice olim Laurishamensi, nunc Vindobonensi enotatam, qua Bekkerus ita usus est, ut plures quidem Livii locos, veluti Lib. XLII. 28. ubi, quamvis in codice non *imminere repulsum*, ut in annotatione subiecta perhibet, sed *immineret repulsum* legatur, *cui primo quoque tempore magistratus creari, cum tantum bellum immineret, e re publica visum erat*[21], optime restituit, recte emendaret,

20 Locis Livii a Bekkero negligenter tractatis adde etiam Lib. XXVI. 21. ubi post Crevierum pro *Ad eos Murgantinae desciverunt terrae* ex Gronovii coniectura *ad eos Murgantini descivere* tacite reposuit, neque tamen *earum*, quod sequitur, in *eorum* mutavit.

21 Hunc locum, de cuius integritate Waltherus ad Tacit. Annal. IV. 72. non dubitavit, minus recte, obsecundante tamen Baumgarten-Crusio, ita constitueram: "cui primo quoque tempore magistratus creari, quum tantum bellum immineret rei publicae, visum erat." Sub eiusdem capitis finem, ut obiter hoc addam, vulgato *post censuram minus compotem fuisse sui*, quum Kopitarius *competem*, omisso *minus*, ex. cod. Vindob. enotasset, *post censuram non compotem fuisse sui*, certa, ut opinabar, emen-

corruptissimos tamen illos, quos in Annotatt. ad Sallusii Hist. Lib. III. Fragmenta p. 86. sqq. recensui, intactos relinqueret, cum annotationibus criticis edidero.

Restat, ut de ratione, quam in Livii libro tricesimo tertio ad codicis Bambergensis et editionum antiquarum fidem edendo atque varietate lectionum in ceteris, quas codex ille continet, Livii libris diligenter enotanda secutus sum, paucissimis absolvam. Primum omnium igitur, licet nuper homunculus nescio quis, qui sibi caveat, ne, *dum vult validius inflare sese*, ut Phaedrus ait, *rupto iacent corpore*, minutiarum studium mihi publice obiecerit, in hoc quoque labore fortiter ac strenue exantlando ne minutissimas quidem res negligendas esse existimavi, haud immemor eorum, quae Erasmus Roterodamus et Dav. Ruhnkenius de codicum manu scriptorum collatione in universum praeceperunt. Ille enim in praefatione editioni Moguntinae praefixa: *Nullum*, inquit, *tam depravatum exemplar, unde sollers coniectator*[22] *non multa queat restituere;*

datione substitui, memor eorum quae in Epist. ad Goeller. p. 447. sq. scripseram. Postea tamen Kopitarius per literas mihi significavit, vocabulum *minus* in codice reperiri. Nihil igitur quicquam mutandum.

22 Apud scriptores Latinos, a quibus somniorum atque ominum interpretes, ut Quinctilianus Instit. Orat. III. 6. 30. ait, *coniectores* vocantur, frustra quaeras vocabulum *coniectator* ab Erasmo confictum. Neque nostra aetate desunt, qui Erasmi exemplum sequantur. Prae ceteris tamen Ferd. Hauthalius, cuius Latinitatem non falso, sed merito suspectam ex iis, quae de nova Horatii editione, quam molitur et magno hiatu promittit, in Iahnii Annal. philolog. et paedagog. a. 1830. Vol. II. Fasc. IV. p. 450. sqq. disseruit atque ex libello ita inscripto: Auli Persii Flacci Satira prima edita et castigata ad XXX. editiones antiquissimas, etc. a Ferd. Hauthal. Lipsiae, 1833. de quo G. Pinzgerus in ephemeridibus: Zeitschrift für die Alterthumswissenschaft. 1835. No. 30—33. p. 246—266. severe quidem, sed recte iudicavit, cognoscas licet, hoc sibi sumpsit, ut, quemadmodum in multis aliis ab incorrupta Latini sermonis integritate descisceret, ita *impressor* pro *typographus* et *garrulare* pro *garrire* poneret. Quod quum in praefatione Commentationi de C. Sallustii Crispi Hist. Lib. III. Fragmentis, etc. praemissa p. 12. per iocum magis quam serio et suppresso Hauthalii nomine reprehendissem, tam graviter ille, quum se peti sensisset, exasperatus est, ut in libro sic inscripto: Beiträge zur Geschichte, Verbesserung, Feststellung und Erklärung des Textes der Satiren des Persius von Dr. Ferd. Hauthal. Leipsig. 1837. quem mirifica sane censoris publici nunc, *si licet*, ut Propertius ait, *et ferro durior et chalybe*, a censura remoti, nostrae quondam disciplinae alumni, facilitate indulgentisque adiutus Dresdae in officina Blochmanniana typis exscribendum curavit, et, quum me illum meo mihi aere comparaturum esse recte desperaret, ipse, quis credat? ad me transmisit, p. 373—382. aliisque locis taeterrimum acerbitatis suae virus in me evomeret, simulque conviciis ac probris me insectaretur, ut pueruli in triviis solent, non verbis, sed verberibus castigandi. Par pari referre et muliercularum ritu altercari non honori, sed dedecori duco: de re pauca addam. Hauthalius

hic autem in epistola a Car. Morgensternio Dorpati a. 1836. edita ad Io. Capperonnerium haec scripsit: *Sed quaeso Te, Vir amicissime, in variantibus enotandis, ut lacunis indicandis scrupulosam et paene anxiam diligentiam exhibeas. Ridebis fortasse nos Batavos Criticos, tanquam minutiis nimis deditos. Sed profecto quotidie experimur, haec sacra non aliter constare. Mihi quidem saepenumero ex futilissimis codicum lectionibus pulcherrimae emendationes nascuntur*[23]. Propterea singulos paene literarum apices rimatus

enim, quum verba Krebsii Antibarbar. p. 230. "Garrulare neulateinisch —fand sich neulich wo geschrieben für garrire," id quod deridiculum est, ad se pertinere non sensisset, ut hoc verbum, quod Pinzgero quoque p. 266. merito displicuit, aliqua saltem auctoritate muniret, neque tamen, ut vocabulum *impressor*, solo scriptorum recentiorum usu excusaret, protulit locum Fulgentii Mytholog. Lib. I. p. 613. ed. Staver. "nec Lychnides" sive potius "lychnitides puellas inquirimus, et Hero atque Psychen poeticas garrulantes ineptias." Qua quidem defensione, levissimo Fulgentii patrocinio subnixa, nihil esse potest ineptius. Atque hae ipsae "poeticae ineptiae" admonent carminis Latini ab Hauthalii amico collegii quondam necessitudine illi coniuncto, cuius nomini nunc quoque parcam, abhinc biennio et quod excurrit invita Minerva et Musis iratis compositi*, in quo non solum antepenultima nominis *Antonius* et prima vocabuli *provehenda* syllaba per errorem vere puerilem corripitur, sed etiam verba *perfuriosa cohors* reperiuntur, quae, quum vocabulum *perfuriosus* neque apud Fulgentium, neque apud alium eiusdem farinae scriptorem legatur, Hauthalius perditam amici causam denuo suscepturus frustra defendere adnitetur. Ceterum ut me commotae crimine mentis absolvendum esse, atque etiamnum versibus incomptis ludere posse intelligat, et animi mei candorem, ne iniuriarum a me postuletur, adlatrare desinat, ludicrum subiicere placet epigramma

IN SOLENSEM LATRATOREM.

Garrulet insulsus, per me licet, usque Solensis,
Ingerat et capiti probra nefanda meo.
Dii meliora ferant, latratoremque protervum
Eumenidum rapiat *perfuriosa cohors.*

23 His concinunt, quae I. H. Goerenzius in Iahnii Annal. philolog. et paedagog. a. 1830. Vol. I. Fasc. II. p. 147. sq. de eadem re scripsit hunc in modum: "Die Sache selbst bleibt höchst wichtig und berücksichtigungswerth, da sogar in der völlig sinnlosen Lesart nur zu oft der Stoff zu Auffindung des Wahren ruht, das sich dem Scharfsinn nicht selten erst dann enthüllt, nachdem eine Menge Vorgänger, ohne es zu beachten, vorübergingen. Und von wie vielen Handschriften wollen wir noch das versteckte Wahre in freyer offen liegender Lesart erwarten? Man achte nur darauf, was wir den meisten zeither benutzten unmittelbar verdanken! Wie unbedeutend sind im Ganzen die Verbesserungen, die aus neuen Vergleichungen geraden Weges

* Quod ita inscribitur: "Viro Magnifico, Generosissimo, Amplissimo, D. Christoph. Friderico ab Ammon, principi inter concionatores Regis Saxoniae aulicos, praesidi vicario Consist. Reg. ord. Saxon. virt. civ. praefecto rell. Patrono summe Reverendo, d. XVI. Ian. MDCCCXXXVI. gratulantur Rector et Magistri Gymnasii Blochmann: gentisque Vitzthumianae. Dresdae ex officina Blochmanniana.

omnem omnino, quantum mihi quidem non lynceis oculis praedito licuit, scripturae diversitatem in verbis singulis eorumque collocatione repertam, quae largam praebuit et praebebit coniectandi materiem, ex codice Bambergensi, innumeris Goelleri eiusque socii erroribus ubique indicatis, diligenter enotavi, neque potiora eorum, quae ad veterem orthographiam pertinerent, omittenda esse arbitratus sum. Haec enim Goellerus quoque, cui fidem hac in re derogare nolebam, maximam partem exsignavit, et quantum ad accuratiorem artis grammaticae scientiam intersit, haec taliaque ex codicibus optimis et antiquissimis cognoscere, Guil. Freundius in aureo, quem nuper de Ciceronis oratione pro Milone edidit, libello[24] egregie docuit. Atque in tricesimo tertio quidem Livii libro, quem ad codicis Bambergensis et editionum antiquarum fidem, denuo recognitum, scripturae diversitate editionis Drakenborchianae adiecta, superiore anno separatim edidi[25], id potissimum mihi agendum esse existimavi, ut non solum ex codice, quo perfectiorem eius imaginem repraesentarem, sed etiam ex editionibus antiquis, id quod Waltherum quoque in Tacito edendo fecisse constat, minutissima

gewonnen werden! — Nur Combination vermag noch Bedeutendes zu leisten: diese aber findet allein in den Abweichungen der Handschriften ihr Feld und ihren Spielraum. Auch fordert insbesondere der Umstand auf, bei Collationem getreu alle handschriftlichen Abweichungen anzugeben, dass bei neugebrauchten Vergleichungen der Verdacht der Ungenauigkeit, sind die Abweichungen (besonders Wortstellung betreffend) nicht vollständig angegeben, fast unvermeidlich ist; dieser Verdacht aber muss nothwendig die Sicherheit des kritischen Urtheils selbst schwächen. — Die geringste Wortumstellung ist beim kritischen Urtheil wohl zu beachten: theils weil gerade hierin die Abschreiber am miesten sündigin, theils weil zeither die Kritik diesen so wichtigen Gegenstand nur zu sehr ausser Augen liess. Iede Textabweichung, bevor sie gründlich geprüft ist, bleibt wichtig.—Es gleicht überhaupt der Kritiker dem Goldwäscher, der, iemehr er goldhaltigen Sand wäscht, um so sichrer auf Ausbeute rechnen darf; lässt auch, im Vergleich des vielen Gerilles, nur wenig Goldstoff sich aussondern."

24 Ita inscripto: "M. Tullii Ciceronis Oratio pro T. Annio Milone. Ad codicis olim Erfurtensis, nunc Berolinensis exemplar lithographico opere quam accuratissime describendam curavit, annotationibus orthographicis et criticis atque compendiorum indice copiosissimo instruxit Guil. Freundius. Vratislaviae, 1838."

25 Hoc titulo praefixo: "T. Livii ab urbe condita Liber tricesimus tertius. Ad codicis Bambergensis et editionum antiquarum fidem denuo edidit et scripturae diversitatem editionis Drakenborchianae adiecit Io. Theoph. Kreyssig. Misenae, 1837." In *Scripturae diversitate editionis Drakenborchianae*, p. 40. I. 42. scr. *M'. Acilius*, et p. 41. I. 7. scr. Ob has res gestas] *Ob eas res gestas.*

quaeque exsignarem, simulque mutationum omnium rationem bona fide redderem. In ceteris autem, quos codex Bambergensis continet, Livii libris satis habui, omnem scripturae diversitatem ita ex codice enotasse, ut lectionibus primum a memet ipso, deinde a Bekkero receptis literas *K.* et *B.* subiicerem atque de compluribus Livii locis accuratius et copiosius exponerem, editionibus antiquis, quas Drakenborchius non ea, qua par erat, diligentia excussit, hic quoque in auxilium vocatis. Etenim ad manum habui primum *Ascensianum* a. 1513. ad decem, id quod subscriptio testatur, venerandae vetustatis codices exactam, de cuius praestantia Chr. Godofr. Muelleri *Observationum Livianarum specimen*, Cizae a. 1789. editum, velim conferas, deinde *Moguntinam* a. 1518. quae prima, ut de libri tricesimi tertii accessione nihil dicam, multos Livii locos ex codice Moguntino suppletos atque emendatos exhibet, tum *Aldinam* a. 1520. in qua permultae eiusdem codicis lectiones ab editoribus Moguntinis neglectae, vel ab iisdem, id quod Drakenborchium ceterosque Livii editores latuit, in *Emendatione errorum* editioni Moguntinae adiecta propositae reperiuntur, deinde *Basileensem* a. 1531. sive *Frobenianam* 1. a Sim. Grynaeo paratam, quae et ipsa complures lectiones ex codice Moguntino petitas, vel coniectura, ut videtur, repertas continet, denique *Basileensem* a. 1535. sive *Frobenianam* 2. a. B. Rhenano et Sigism. Gelenio adornatam[26], in qua permulti Livii loci partim ex codice Moguntino iterum excusso aliisque libris manu scriptis, partim ex coniectura, ut videtur, ita sunt mutati, ut nonnullae saltem, id quod postea videbimus, Gelenii emendationes codicis Bambergensis auctoritate confirmentur, atque praeterea *Coloniensem* a. 1525. ab Iac. Sobio pa-

26 Gelenius in Annotatt. ad Liv. XXXVIII. 22. 8. codices Moguntinum et Spirensem atque alibi manu scriptos codices sive archetypa commemoravit: multos tamen locos ita correxit, ut nescias, utrum codicum suorum auctoritatem, an coniecturae probabilitatem sit secutus. Vid. Drakenborchii Praefat. Tom. VII. p. 35. sq. Quid, quod in editione Frobeniana 2. permultae reperiuntur mutationes ad verborum scripturam et collocationem pertinentes, quarum rationem reddere Gelenius neglexit. Propterea huius editionis usus multas cautiones habere videtur.

ratam interdum consului. Quo luculentius autem appareret, quanta fuerit Drakenborchii in editionibus antiquis conferendis negligentia, simulque intelligeretur, quanta sit codicis Bambergensis utilitas ac praestantia, indicem lectionum notabiliorum in editionibus antiquis repertarum omissis tamen iis, quae in editiones Moguntinam, Aldinam et Frobenianam utramque ex codice Moguntino sunt receptae, hic ita interponere placuit, ut lectionibus in codice Bambergensi quoque repertis literam *B.* subiicerem, lectiones a Drakenborchio praetermissas asterisco notarem et lectionibus aperte falsis vel dubiis saltem atque incertis signum crucis apponerem.

Lib. XXXI. Cap. 3. *haec eadem scribere* pro *haec scribere eadem* Ald. — †Cap. 5. *Quam rem senatus* pro *Quod senatus* Ascens. — *Cap. 7. *ab nobis defecerunt* pro *a nobis defecerunt* Mog. et B. — *Ibid. *ab nobis non deficient* pro *a nobis non deficient* Ascens. Mog. et B. — Cap. 11. *eosdem Carthaginem, eosdem in Numidiam ad Masinissam. Carthaginem, ut nuntiarent* pro *eosdem Carthaginem, ut nuntiarent* Frob. 2. et B. — *Cap. 14. *et militibus* pro *et militum copiis* Ascens. et Mog. Hoc illi Aldus substituit. — Cap. 15. *virtutis ergo* pro *virtutis gratia* Frob. 2. et B. — *Cap. 17. *cum proelium nox diremptura esset* pro *quum nox proelium diremptura esset* Ascens. Mog. et B. Aldus verborum ordinem mutavit. — †Cap. 19. *ad reges* pro *ad regem* Frob. 2. et B. — *Cap. 26. *ad agros vastandos* pro *ad vastandos agros* Ascens. Mog. et B. Aldus vocabula transposuit. — †Cap. 31. *quis durius* pro *quis id durius* Frob. 2. — †Cap. 34. *in Pelagoniae faucibus* pro *in faucibus Pelagoniae* Ald. — Cap. 40. *in loca pacata ad Apolloniam, unde orsus bellum erat* pro *in loca iam pacata ad Apolloniam, unde ortum bellum erat* Frob. 2. et B. — †Cap. 41. *universi sexcentorum* pro *sexcentorum* Frob. 2. — Lib. XXXII. Cap. 2. *augeretur* pro *cogeretur* Frob. 1. et B. — Cap. 5. *Macedonum animos sibi conciliavit* pro *Macedonum animos* Ascens. — *Ibid. *maxime* pro *maximae* Ascens. et B. — *Ibid. *vincla* pro *vincula* Mog. Ald. Frob. 1. 2. et B. — *Ibid. *tenere et commu-*

nire Ascens. Mog. et B. Aldus *et* in *ac* mutavit. — Cap. 7. *venalicium* pro *venalium* Frob. 2. et B. — Cap. 8. *senatui* pro *et senatui* Frob. 2. et B. — Cap. 9. *satis expediebat* pro *satis expediebant* Frob. 2. et B. — Cap. 11. *ut polliceatur* pro *ut polliceretur* Frob. 2. et B. — †Cap. 13. *evastata sunt oppida* pro *evastata oppida sunt* Frob. 2. — Cap. 18. *Et alia* pro *Sex alia* Frob. 2. et B. — †Cap. 20. *aut illam partem* pro *aut in illam partem* Frob. 2. — †Cap. 21. *filii etiam uxorem* pro *Pyli eius uxorem* sive potius *Polycratiam eius uxorem* Frob. 2. — †Ibid. *quia pepercisse volunt* pro *quia pepercisse vobis volunt* Frob. 2. — †Cap. 23. *secuti* pro *secuta* Frob. 2. — †Cap. 31. *non auderent* pro *metuerent* Frob. 2. et B. — †Cap. 32. *ut nulla fides sit* pro *ut in nullo fides sit* sive potius *si nulla fides sit* Frob. 2. — Lib. XXXIII. Cap. 17. *expugnabilis* pro *inexpugnabilis* Frob. 1. et B. — *Cap. 18. *detractaverunt* pro *detrectaverunt* Ald. et B. — *†Ibid. *circumdat* pro *circumdaret* sive potius *circumdat et* Ald. — Ibid. *qui* pro *quae* Frob. 2. et B. — Ibid. *Achaei* pro *acie* Frob. 2. et B. — *Ibid. *cum iis* pro *cum his* Ald. et B. — †Ibid. *recipi, nisi aliquanto post per Antiochum non potuit* pro *recipi aliquanta prosperam Antiochum potuit* sive potius *nec recipi, nisi aliquanto post, per Antiochum potuit* Frob. 1. — Cap. 19. *toto prope orbe terrarum* pro *prope orbe terrarum* Frob. 2. et B. — †Ibid. *profligante* pro *eligente* sive potius *exigente* Frob. 2. — *Ibid. *fortunae* pro *fortuna* Frob. 1. et B. — Cap. 20. *superaret. Si eo* pro *Si eo* Frob. 1. et B. — Ibid. *esse* pro *esset* Frob. 1. et B. — *Ibid. *in deditionem acceptis* pro *in ditionem acceptis* Ald. — *Ibid. *vetarent* pro *vetare* Ald. et B. — *Ibid. *responsaque* pro *responsa* Frob. 2. et B. — *Ibid. *Tum* pro *qui tum* Frob. 2. et B. — *Ibid. *redierant* pro *redibant* Frob. 2. et B. — *†Ibid. *ac Myndiis* pro *Myndiis* Ald. — *Cap. 21. *magnitudini* pro *magnitudine* Ald. — Ibid. *M. Helvius* pro *M. Helvidius* Ald. et B. — †Ibid. *mutaverat* pro *nudaverant* sive potius *nudaverint* Ald. — †Cap. 22. *posset* pro *possit* Frob. 2. — Cap. 23. *centurionibusque* pro *centurionibus* Frob. 2.

et B. — Cap. 24. *L. Apustius* pro *C. Apustius* Ald. et B. — Ibid. *P. Villius* pro *P. Iulius* Frob. 2. et B. — *Cap. 25. *cum iis legionibus* pro *cum his legionibus* Ald. et B. — Ibid. *mitterentur* pro *mitterent* Frob. 2. et B. — Cap. 26. *quibus Hispaniae provinciae evenerunt* pro *quibus Hispania provincia evenerat* Frob. 2. et B. — Ibid. *spicula arserant* pro *speculatores erant* Frob. 1. et B. — †Cap. 27. *Cornelius Lentulus* pro *Cornelius Blacio* sive potius *Cn. Cornelius Blasio* Ald. Praenominis nota *Cn.* iam in Frob. 2. adiecta est. — *†Ibid. *Tercinius* pro *Sertinius* sive potius *L. Stertinius.* Gelenius, quum in Frob. 1. *Stertinius* esset editum, praenominis notam addidit, servato tamen, quod praecedit, vocabulo *quinquaginta.* — *Ibid. *ut ii* pro *ut hi* Ald. — *Ibid. *suspecto* pro *suscepto* Ald. et B. — Ibid. *fecerunt* pro *fecerunt praetorem* Frob. 2. et B. — Ibid. *quidnam se futurum esset* pro *quidnam de se futurum esset* Frob. 2. et B. — *Ibid. *et infesto iis* pro *et infesto his* Ald. et B. — Cap. 28. *Aetoli* pro *Aetolici* Frob. 2. et B. — *†Ibid. *quadam* pro *quodam* Ald. — *Ibid. *fidissimum* pro *fidelissimum* Ald. et B. — Cap. 29. *Efferavit ea caedes* pro *Efferaverat caedes* Frob. 2. et B. — Ibid. *commeantes* pro *commeatus* Frob. 2. et B. — *Ibid. *argentum in zonis habentes* pro *argenti mintionis habentes* Frob. 1. et B. — Ibid. *infamis esse Boeotia omnis coepit* pro *infamis ex Boeotia omnes cepit* Frob. 1. et B. — Ibid. *egredi castris miles* pro *egredi ausus miles* Frob. 2. et B. — Ibid. *Copaidem* pro *Copidem* Frob. 1. — Ibid. *et cum parte copiarum* pro *cum parte copiarum* Frob. 2. et B. — Ibid. *qua ab Elatia* pro *quam ab Elatia* Frob. 2. et B. — Ibid. *iere* pro *fere.* Frob. 1. et B. — Ibid. *tradere* pro *trahere* Frob. 1. et B. — Cap. 30. *Pedasisque* pro *Pisidisque* Frob. 2. et B. — Cap. 31. *inanes vana* pro *inane una* Frob. 1. et B. — †Ibid. *nisi ut* pro *nisi* sive potius *nisi quod* Frob. 2. — Ibid. *quae in Asia sint* pro *quaeque in Asia sint* Frob. 2. et B. — Ibid. *si fidem facere* pro *si idem esse, idem facere* Frob. 1. et B. — Ibid. *ad se* pro *adesse* Frob. 1. et B. — Ibid. *praesidii Romani* pro *populi Romani* Frob. 2. et B. —

*Ibid. *dominum* pro *dominium* Frob. 1. et B. — Ibid. *in Acrocorintho* pro *in agro Corinthio* Frob. 2. — Cap. 32. *Isthmiorum* pro *Nemeorum* Frob. 2. et B. — Ibid. *quo certamina* pro *certamina* Frob. 1. et B. — *Ibid. *artium* pro *antium* Frob. 1. et B. — †Ibid. *ac pernicitatis* pro *pernicitatis* sive potius *et pernicitatis* Frob. 1. — †Ibid. *caperent* pro *acciperent* Frob. 2. — †Ibid. *alii alios intueri* pro *et alii alios intueri* Frob. 2. — Ibid. *somnii* pro *somni* Frob. 2. — *Cap. 33. *lemmiscosque* sive potius *lemniscosque iacientium* pro *liminis quosque iacentium* Frob. 1. — *Ibid. *fuerit* pro *fuerit is* Frob. 1. et B. — *Ibid. *ex tam* pro *et tam* Ald. et B. — *Ibid. *suppeditabant* pro *suppeditabantur* sive potius *suppeditabat* Ald. — Ibid. *liberatas omnes Graeciae atque Asiae urbes* pro *libertas ad omnes Graeciae atque Asiae urbes* Frob. 1. et B. in quo itidem *libertas* pro *liberatas* legitur. — Ibid. *ad effectum adducere* pro *effectum adduceret* Frob. 2. et B. — Cap. 34. *iactantibus* pro *iactata* Frob. 2. et B. — *Ibid *Ptolemaei* pro *Ptolomaei* Ald. — Ibid. *Achaei Phthiotae* pro *Achaei* Frob. 2. et B. — Ibid. *Oreum* pro *Phocaeam* Frob. 2. et B. — Ibid. *senatus libertatem* pro *libertatem* Frob. 1. et B. — Cap. 35. *L. Stertinius* pro *L. Thermus* Frob. 2. et B. — Ibid. *statis* pro *statutis* Frob. 2. et B. — *Ibid. *Pylaicum* pro *Phylaicum* Frob. 1. et B. — †Ibid. *alii questi sunt* pro *taliter questi sunt* sive potius *alii leniter questi sunt* Ald. — †Cap. 36. *missus* pro *est missus* Ald. — †Ibid. *a prospera pugna* pro *prospera pugna* sive potius *prospera pugna elati* Frob. 2. — Ibid. *ne moti semel pellerentur* pro *ne moti se inde pellerent* Frob. 2. et B. — Ibid. *equitum* pro *equitem* Ald. et B. — *Ibid. *restitit* pro *exstitit* Frob. 1. et B. — Ibid. *positum* pro *posita* Frob. 1. et B. — Ibid. *Castra eo die Gallorum expugnata* pro *Postero die Gallorum castra expugnata* Frob. 2. et B. — Ibid. *an victoria* pro *an in victoria* Frob. 1. — *Cap. 37. *tam varia fortuna gesta* pro *tam varia fortuna re gesta* Frob. 1. et B. — Ibid. *castro Mutilo* pro *castro Munitilo* Ald. et B. — Ibid. *Boii* pro *in Boiis* Frob. 2. et B. — *Ibid. *Pado repente* pro

pudore repenti Frob. 1. et B. — Ibid. *destinatis* pro *destinati* Frob. 2. — Cap. 38. *Smyrna et Lampsacus* pro *Smyrna, Lampsacus* Frob. 2. et B. — Ibid. *aliae* pro *aliquae* Frob. 1. — †Ibid. *conquirere contraherequ* pro *conquirere, contrahere* sive potius *conquirere et contrahere* Frob. 1. — Cap. 39. *et ex Thracia* pro *et Thracia* Frob. 1. et B. — *Ibid. *animi exasperati sunt Romani* pro *animi exasperati sunt Romanis* Frob. 1. *et* B. — Ibid. *in Asiam* pro *in Asia* Ald. et B. — Ibid. *etiamsi* pro *etiam* Frob. 2. et B. — Cap. 40. *quid regi Antiocho faciendum* pro *regi Antiocho faciendum* Frob. 2. et B. — Ibid. *at* pro *aut* Frob. 2. — Cap. 41. *Inde profectum* pro *profectum* Frob. 2. et B. — Cap. 42. *Praetores inde facti C. Fabritius Luscinius, Catinius Labeo* sive potius *C. Fabricius Luscinus, C. Atinius Labeo* pro *Praetores inde facti*, ceteris omissis, Ald. — Ibid. *et ter toti instaurati* pro *et toti instaurati* Frob. 2. et B. — Cap. 43. *quo die* pro *quidem* Frob. 2. et B. — Ibid. *Liguribus* pro *Libuis* Frob. 2. et B. — Ibid. *praeter* pro *praetori* Frob. 1. et B. — Ibid. *Q. Fabius* pro *P. Fabius* Frob. 2. et B. — Cap. 44. *Cn. Servilio* pro *C. Servilio* Ald. et B. — Ibid. *in Q. Fabii Maximi locum* pro *in Q. Fabii Maximi* vel *in locum Q. Fabii Maximi*, quod in Frob. 1. legitur, Frob. 2. et B. — †Ibid. *caeterosque* pro *ceteros* Frob. 1. — Cap. 45. *qui* pro *quia* Frob. 2. et B. — †Ibid. *marcescere otio situque civitatem queri eum* pro *marcescere otio tum queri civitatem eum* sive potius *marcescere otii situ queri civitatem* Frob. 2. — Cap. 46. *iudices infensos* pro *iudices infestos* Frob. 2. et B. in quo tamen *infensos iudices* legitur. — Ibid. *impotenti* pro *potenti* Frob. 2. et B. — *Ibid. *prae quorum* pro *quorum* Frob. 2. et B. — Cap. 47. *ordinarii* pro *ordinati* Frob. 2. et B. — Ibid. *omnibus* pro *et omnibus* Frob. 1. et B. — Ibid. *publicus peculatus* pro *publici peculatus* Frob. 2. et B. — †Ibid. *quia parum ex dignitate sua ducebat* pro *quia parum expugnantes se ducebat* sive potius *qui parum ex dignitate populi Romani esse ducebat* Frob. 1. — †Cap. 48. *Poeni* pro *Phoenicum* Frob. 2. — Ibid. *invenissent* pro *invenisset* Frob. 2. — Ibid. *earum* pro

eorum Frob. 2. et B. — †Ibid. *et, ut non* pro *ut non* Ald. —— *Ibid. *eum, tandem allatum est* pro *quum* sive *cum tandem allatum est* Frob. 1. et B. — Cap. 49. *exceptusque* pro *exceptus* Frob. 2. et B. — †Ibid. *animo eius ad moliendum* pro *animo eius moliendum* sive potius *ad animum eius moliendum* Frob. 1. — Lib. XXXIV. †Cap. 4. *sicut fera bestia* pro *sicut ferae bestiae* Frob. 2. — *Cap. 5. *defendam* pro *deflendam* Ascens. et B. — *Ibid. *a Sabinis* pro *ab Sabinis* Ascens. et Mog. — †Cap. 7. *usu* pro *usum* Frob. 2. — *†Ibid. *melius pretium* pro *manus pretium* Ascens. — Ibid. *excellentiorem ornatum* pro *excellentiores ornatus* Frob. 2. et B. — †Cap. 8. *Brutorum* pro *tribunorum* Frob. 2. et B. — *†Cap. 10. *morbo fuisset* pro *fuisset morbo* Frob. 2. — Cap. 11. *filius* pro *filius eius* Frob. 2. — *Cap. 15. *effusoque* pro *effuso* Ald. — Ibid. *interequitans* pro *inter equites* Frob. 2. et B. — †Ibid. *ipsis castris exuti* pro *ipsi castris exuti* Frob. 2. — Cap. 19. *noxae* pro *noxiae* Mog. — †Ibid. *dein* pro *deinde* sive potius *deni* Frob. 2. — Cap. 20. *sicut futurum ratus erat* pro *futurum ut ratus erat* Frob. 2. et B. — †Cap. 22. *conventu* pro *conventum* Frob. 2. — †Ibid. *ad diem certam edicto, ubi* pro *ad diem certam edicit, ad quam ubi* Frob. 2. — †Cap. 23. *manendi* pro *quia remanendi* Frob. 2. — Cap. 25. *multi proxima nocte* pro *proxima nocte* Ascens. — †Cap. 26. *convenerant* pro *convenerunt* Frob. — †Ibid. *alii ab aliis pulsi* pro *alii ab aliis expulsi* Frob. 2. — †Cap. 28. *quae minus infida ac trepida fuisset* pro *quae minus trepida fuisset* Frob. 2. — Cap. 29. *contracta* pro *concitata* Frob. 2. et B. — Cap. 31. *nequivi* pro *nequeo* Frob. 2. — †Ibid. *et accepi* pro *et accepi urbem* Frob. 2. — Ibid. *eo me liberat* pro *me liberat* Frob. 2. et B. — *Cap. 32. *nihil esse* pro *nihil sit* Ascens. — Ibid. *vera* pro *verba* Ascens. et B. — Ibid. *At enim* pro *Etenim* Ascens. et B. — Ibid. *Utrumque a te factum est* pro *Utrum non a te factum est?* Frob. 2. et B. — Cap. 35. *quas ipse restituisset* pro *quasque et ipse restituisset* Frob. 2. — *Ibid. *filium suum in iis* pro *filium in his suum* Ascens. et Mog. — Cap. 39. *a capta prope urbe* pro *prope capta urbe* Frob. 2. — †Cap. 40.

aspernatus pro *aspernatum* Ascens. et B. — Cap. 41. *tyrannus* pro *tyranni* Frob. 2. et B. — Ibid. *praebebat* pro *praebebat* Frob. 2. et B. — Ibid. *populum Romanum* pro *tribunum militum* Frob. 2. et B. — †Cap. 43. *Ita extra urbem* pro *Iis extra urbem* Ald. — Cap. 45. *L. Cornelius Merula et C. Salonius* pro *L. Cornelius Merula* Frob. 2. — †Cap. 48. *Boiorum Ligurumque agros populatum isse* pro *per Boiorum Ligurumque agros populatum isse* Frob. 2. — †Cap. 50. *totam Graeciam* pro *Graeciam totam* Ald. — Ibid. *imperator secutus* pro *imperatorem secutum* Ascens. et B. — Cap. 51. *vitiis* pro *divitiis* Ascens. — Cap. 53. *Exitu huius anni* pro *Exitu anni huius* Ald. — Ibid. *Ralla* pro *Ahala* Frob. 1. — Cap. 54. *C. Atilius Serranus* pro *Atilius Serranus* Frob. 2. — Ibid. *novam et superbam* pro *novam, superbam* Ascens. — †Cap. 57. *in Asia* pro *aut in Asia* Frob. 2. — †Cap. 60. *bellum excitaretur* pro *excitaretur bellum* Frob. 2. — †Ibid. *sermonis esse* pro *esse sermonis* Frob. 2. — †Cap. 61. *et ab Antiocho rege* pro *et Antiocho rege* Ald. — Cap. 62. *Emporia* pro *Emporiam* Frob. 1. — Lib. XXXV. Cap. 1. *propraetor* pro *praetor* Mog. — Ibid. *opulentum praeda exercitum* pro *opulentum praeda exercitum* Ascens. et B. — †Ibid. *facta* pro *facta est* Frob. 2. — †Cap. 5. *Secunda legio missa est* pro *Secunda missa est legio* Frob. 2. — Cap. 7. *hiberna* pro *hibernacula* Ald. — Cap. 8. *videri esse amotum* pro *videri sese amotum* Frob. 2. — Cap. 10. *a porta Fontinali* pro *ad portam Fontinalem* Frob. 1. — Cap. 11. *equi* pro *equos* Frob. 2. — *Cap. 12. *inimici infestique* pro *inimice infesti* Ascens. — Cap. 16. *disceptatur, et non belli causa* pro *disceptaturi* vel *disceptaturis non belli causa.* Ascens. — *Cap. 17. *expostulationes* pro *postulationes* Ascens. — Cap. 19. *Odi, odioque sum* pro *odioque quod sim* Frob. 2. — Cap. 20. *Atilio* pro *A. Atilio* Frob. 2. — Ibid. *ut ei duo milia* pro *uti duo milia* Frob. 2. — Cap. 21. *terra pluisse* pro *terram pluisse* Frob. 2. — Ibid. *sive motu* pro *seu motu* Frob. 2. — Ibid. *pecua* pro *pecora* Frob. 2. et B. — Cap. 23. *ut inde* pro *inde* Frob. 2. — Ibid. *et ut M. Fulvius praetor* pro *et M. Fulvius praetor* Frob. 2. — Ibid. *scribere eum* pro *scriberet* Frob. 2. — Ibid. *qua vergeret* pro

quae vergeret Frob. 2. — Ibid. *et vasa argentea centum pondo, et aurea viginti pondo* pro *et vasa argentea centum pondo* Frob. 2. — Cap. 24. *A. Cornelius* pro *L. Cornelius* Frob. 2. — *†Cap. 26. *adeo* pro *ab Aegio* Ascens. — *†Ibid. *cum* pro *tum* Ascens. — *Cap. 27. *prospera re elatus* pro *prospera elatus re,* quod illi in Frob. 2. perperam est substitutum, Ald. — Ibid. *et pauci* pro *pauci* Ascens. — Ibid. *praeberet* pro *praeberent* Frob. 1. — Ibid. *quoniam satis et suorum a pudore* pro *quoniam satis essent testes suorum et a pudore* Ascens. — *Ibid. *maxime parte* pro *maxime a parte* Ascens. — †Cap. 28. *foret* pro *esset* Frob. 2. — Cap. 29. *et quacunque* pro *quacumque* Frob. 2. — *Ibid. *iniqua, quam* pro *nequaquam* Frob. 1. — Cap. 30. *vix tranquillum* pro *via tranquillum* Mog. — Ibid. *descenderunt* pro *descenderant* Ald. — Cap. 31. *Sub hanc vocem* pro *Sub hac voce* Mog. — Ibid. *magnae cum* pro *Magnetum* Frob. 2. et B. — Cap. 33. *nam quum id ipsum decretum posceret eum Quinctius* pro *nam quum id ipsum posceret decretum T. Quinctius* Frob. 2. — Ibid. *aliud in praesentia* pro *primo aliud in praesentia* Frob. 2. — *Cap. 34. *moturi* pro *moti* Ascens. — Ibid. *et optimum quemque* pro *optimum quemque* Mog. et B. — Ibid. *Chalcidem et Lacedaemonem* pro *Chalcidem, Lacedaemonem* Mog. — *Ibid. *nulla alia spes erat* pro *nulla spes alia erat* Ascens. — *Ibid. *concionem frequentem adire iubent* pro *concionem frequenter* vel *frequentem adierunt* Frob. 1. — *Ibid. *praefectus* pro *tunc* sive *tum praefectus* Ascens. — *Cap. 35. *Lacedaemones* et *Lacedaemonas* pro *Lacedaemonios* Ascens. et Mog. — Ibid. *dextrasque* pro *dextras* Ascens. — Cap. 36. *simul contemptus* pro *ac simul contemptus* Frob. 2. — Cap. 40. *Crassipes* pro *Crassus* Frob. 2. — Cap. 41. *in cella Iovis* pro *et in cella Iovis,* quod antea edebatur, Frob. 2. — †Cap. 42. *quempiam* pro *quemquam* Frob. 2. — Cap. 43. *Lamiam* pro *Hyameam* Frob. 1. — Cap. 44. *excusantis* pro *primo excusantis* Mog. — Ibid. *viris, equis* pro *viris equisque* Frob. 2. — *Cap. 45. *abscisa*

pro *abscissa* Ascens. — Cap. 46. *ab Demetriade* pro *Demetriade* Frob. 2. — Cap. 48. *petiit* pro *petit* Frob. 1. — Cap. 51. *ab Tanagra* pro *a Tanagra* Mog. et B. Hoc illi in Frob. 2. demum est substitutum. — Cap. 51. *quo sunt templa* pro *quoque sunt templa* Frob. 1. — Ibid. *Hi quoque tamen* pro *Hi quoque iam* Frob. 2. — Lib. XXXVI. Cap. 2. *propraetore* pro *proconsule* Frob. 2. — Ibid. *et in eam classem* pro *in eam* vel *in eam classem* Frob. 2. — Cap. 6. *eamdem orationem exorsus* pro *eadem oratione exorsus* Frob. 2. — Cap. 7. *de Achaeis, de Boeotia* pro *de Achaeis, deque Boeotia* Frob. 2. — Ibid. *Boeotosque* pro *Boeotiosque* Frob. 2. et B. — *Ibid. *ad impetrandam veniam* pro *ad impetrandum veniam* Ascens. — Ibid. *comparatus* pro *comparatum* Mog. et B. — *†Cap. 10. *His perfectis Cranonem cum toto exercitu adortus esset, cepit* pro *his perfectis, Cranonem, profectus cum toto exercitu, primo adventu cepit* Ascens. — Cap. 13. *Sub adventum* pro *Sub adventu* Mog. — Cap. 14. *delectos militum tribunos* pro *trecentos militum tribunos* Ascens. — Ibid. *haud sane decoro maiestati suae ioco* pro *haud sane decoro maiestatis suae loco* Ascens. — Cap. 15. *verso* pro *versu* vel *versum* Frob. 2. — Cap. 17. *inter se* pro *inter sese* Frob. 2. — †Cap. 18. *eduxit* pro *educit* Frob. 2. — Cap. 19. *Scarphiam* pro *Carpeiam* Frob. 2. — †Ibid. *persecuti sunt* pro *consecuti sunt* Frob. 2. — Ibid. *a effuso constiterit cursu* pro *a confuso constiterit cursu* Frob. 2. — Ibid. *sed magnam partem* pro *magnam partem* Ascens. — Cap. 23. *ex ratione temporis* pro *exspectatione temporis* Frob. 2. — Cap. 24. *abrupta* pro *obruta* Ascens. — *Ibid. *traditus fuit* pro *traditum fuit* Ald. — Cap. 25. *oppido quam breve intervallum videtur* pro *oppidum, qua breve intervallum videtur* Ascens. et B. *Ed. Mog. *oppido quam breve vallo videretur.* — *Cap. 26. *qui ante* pro *qui et ante* Ascens. — Cap. 27. *et se suppliciter agentibus iis adfuturum* pro *et suppliciter agentibus iis profuturum* Frob. 2. — Cap. 28. *in quo id diserte* pro *in id quod diserte* Frob. 2. — Ibid.

et se quidem Phaneas, et qui adsint pro *et Phaneas* sive *Phaeneas, se quidem et qui adsint* Frob. 2. — †Cap. 29. *Is duodecimo die* pro *Duodecimo is die* Frob. 2. — *Cap. 31. *Et Elei tamen* pro *Elei tamen* Ascens. — Ibid. *Andaniam* pro *Eudaniam* Frob. 1. — *Cap. 36. *Matris magnae Ideae* pro *matris magnae deae* Ascens. — Ibid. *aedem faciendam ex senatus consulto* pro *aedem faciendam* Frob. 2 et B. — Ibid. *tredecim annis* pro *tertio decimo anno* Frob. 2. et B. — Cap. 40. *addatur* pro *adiicitur* Frob. 2. et B. — †Ibid. *trecenos* pro *centenos* Frob. 2. — Cap. 41. *dubitare* pro *dubitabat* Frob. 2. — Cap. 42. *adiit* pro *adit* Frob. 1. — Ibid. *et, prospera* pro *prospera* Frob. 2. — *Cap. 43. *potuerat* pro *poterat* Ascens. et Mog. — †Ibid. *cecidere* pro *ceciderunt* Frob. 2. — Cap. 44. *detergunt* pro *defringunt* Frob. 2. — Cap. 45. *Phoenicuntem primum portum Erythraeae terrae praetervecti* pro *Penicunte primum portu Erythreo praetervecti* Frob. 2. — Ibid. *C. Atinius* pro *C. Antistius* Frob. 2. — Lib. XXXVII. †Cap. 2. *sortiti* pro *sortiti sunt* Frob. 2. — Ibid. *Cn. Fulvius* pro *M. Fulvius* Frob. 2. — †Cap. 6. *fugati ab senatu fuerant* pro *fugati ab senatu erant* Ald. — Cap. 7. *inde enim est dimissus* pro *inde Elim est dimissus* Frob. 2. et B. — Cap. 8. *circa Thyatira* pro *circa Thyatiram* Frob. 2. — Cap. 11. *in apparatu* pro *apparatu* Ascens. — Ibid. *facile telis ancipitibus* pro *facile ex ancipitibus* Ascens. — Ibid. *cum duabus Cois* pro *cum duabus Cypriis* Frob. 2. — *†Cap. 12. *omissa de navibus res est* pro *omissa* sive potius *emissa de manibus res est* Ascens. — Ibid. *Eudamo* pro *Eudemo* Frob. 2. — Ibid. *Seleuci castra* pro *Seleucia castra* Ald. — Ibid. *Teiorum promontorium* pro *Pelorum promontorium* Ascens. — Cap. 13. *noctem totam* pro *nocte tota* Frob. 2. — Cap. 15. *id usui fore* pro *usui fore* Frob. 2. et B. — Cap. 16. *C. Livius* pro *L. Livius* Mog. — †Ibid. *ante hostium portus* pro *ante ostium portus* Frob. 2. — Ibid. *a maritima vi tutum* pro *ad maritima vix tutum* Frob. 2. — †Ibid. *omissa Patara amplius tentandi spe* pro *omisso conatu Pataram* sive potius *Patara amplius*

tentandi Frob. 2. — *Ibid. *et adversus* pro *adversus* Ascens. et Mog. — Cap. 17. *in Bargylletico* sive potius *Bargylietico sinu exscensionem ad Iassum fecerunt* pro *in Bargyllam et Icoson descensionem ad Iassum fecerunt* Frob. 2. — Ibid. *pulsi sint* pro *pulsi sunt* Frob. 2. — Cap. 18. *misit* pro *misit milites* Frob. 2. — Cap. 19. *peregerimus* pro *peragamus* Ald. et B. — †Cap. 20. *trecentos* pro *sexcentos* Frob. 2. — *Ibid. *consedit* pro *considet* Ascens. — *†Cap. 21. *imminet urbs* pro *imminet urbi* Ascens. — Ibid. *Phocaeensium* pro *Phocensium* Frob. 2. — †Cap. 23. *ad Sidam iam hostes esse* pro *ad Sidam hostes esse* Frob. 2. — *Ibid. *quo velut flatu Favoniis ventis esset* pro *quod velut statum Favonii ventis esset* sive potius *est* Ascens. et Mog. — Ibid. *pugnatura, e portu movit* pro *pugnaturae portu movit* Frob. 2. — †Cap. 25. *primo* pro *primum* Frob. 2. — Cap. 26. *hosti eripere* pro *eripere* Frob. 2. — Cap. 27. *ad aversa insulae* pro *adversa insulae* Frob. 2. et B. — Ibid. *a mari exesae fluctibus rupes claudunt* pro *a mari rupes exesae fluctibus super claudunt* Frob. 2. et B. — Cap. 28. *Nocte occupare* pro *Inde nocte occupare* Frob. 2. — Cap. 30. *laevo in cornu* pro *laevo cornu* Ascens. — Ibid. *ancora* pro *in ancora* Frob. 1. — Ibid. *excussa e nave sua* pro *excussa nave sua* Frob. 2. et B. — Ibid. *tractum ancorale* pro *tracta ancora* Frob. 2. — Ibid. *debilitatum* pro *debilitate* Frob. 2. — *Cap. 31. *Naustathmon ab re appellant* pro *ab re appellant Naustathmon* Ascens. — Cap. 33. *velut in pacata litora* pro *velut in pacato litore* Frob. 2. et B. — Cap. 35. *Lysimachis iam* pro *Lysimachia* Frob. 2. et B. in quo *Lysimachiam* legitur. — Cap. 36. *est pollicitus* pro *pollicitus* Ald. — Ibid. *publice* pro *sed publice* Frob. 2. — Cap. 37. *Eo et Eumenes rex* pro *Eo et rex Eumenes* Frob. 2. — *†Ibid. *quadraginta milia peditum* pro *sexaginta milia peditum* Ascens. — Cap. 38. *ex propinquis castris facili subsidio* pro *ex propinquo castris facili subsidio* Frob. 2. — Ibid. *aliquanto pauciores in statione erant: et tamen per se* pro *aliquanto pauciores in sta-*

tione erant: duo tamen milia Frob. 2. — Cap. 40. *equites sagittarii* pro *equites sagittariorum* Frob. 2. — Ibid. *Mysi* pro *missi* Frob. 1. — Ibid. *et similiter* pro *similiter* Frob. 2. — Cap. 41. *simul omnibus partibus* pro *exque omnibus simul partibus* Frob. 2. — †Cap. 42. *qui inter equitem* pro *qui inter equites* Frob. 2. et B. — Ibid. *et quos* pro *quos* Frob. 2. — Cap. 43. *sequenti regi* pro *sequente rege* Frob. 2. — Ibid. *ut ab sinistro* pro *ab sinistro* Frob. 1. — Ibid. *qui in praesidio erant* pro *quae in praesidio erant* Frob. 2. — Cap. 44. *et a Magnesia ad Sipylum* pro *et Magnesia, et ab Sipylo* Frob. 2. — Cap. 45. *Syriam petiit* pro *Syriam petit* Frob. 1. — Ibid. *a consule petiit* pro *a consule petit* Frob. 1. — Ibid. *hi, prius* pro *prius* Frob. 2. — Ibid. *Eubulidam* pro *Eubolum* Frob. 2. — Cap. 47. *adversa fama hominum* pro *adversa omnium fama* Frob. 2. — Cap. 51. *et dicto audiens esse flamen pontifici iussus* pro *ut dicto audiens esset flamen pontifici* Frob. 2. — Cap. 52. *cognoscere* pro *cognosci* Frob. 2. — Cap. 53. *ipsi autem* pro *sibi autem* Frob. 2. — Ibid. *voluntati* pro *voluntate* Frob. 1. — †Cap. 54. *et gloriam* pro *gloriam* Ascens. — Ibid. *et meminisse* pro *Debetis etiam meminisse* Frob. 2. — *Ibid. *genus humanum* pro *humanum genus* Mog. — Cap. 55. *ea civitatis Rhodiorum essent* pro *eae civitates Rhodiorum essent* Frob. 2. — Cap. 56. *ad Sipylum* pro *et Sipylum* Frob. 1. — Cap. 57. *quando, quod* pro *quandoquidem* Frob. 2. et B. — Cap. 58. *triginta quattuor milia septingenta* pro *triginta quattuor milia* Frob. 2. — Ibid. *centum triginta duo milia trecenti* pro *centum triginta unum milia* Frob. 2. et B. — Ibid. *ab ultimis orientis* pro *ab ultimi orientis partibus* Frob. 2. — Cap. 59. *et imperatori* pro *imperatori* Frob. 1. — Lib. XXXVIII. †Cap. 4. *in tutum* pro *in tuto* Ald. — Cap. 5. *et nocturnis* pro *nocturnis* Frob. 2. et B. — Cap. 7. *Patris* pro *partis* Frob. 2. et B. — Cap. 10. *ab Ambracia abest* pro *ab Ambracia est* Frob. 2. — Cap. 11. *ut conditiones* pro *ut ad conditiones* Frob. 2. — Cap. 12. *ad Hieran Comen* pro *ad Phileram Comen* Frob. 1. — Cap. 13. *ad Gordiu tichos, quod vo-*

cant pro *ad Gordiuticos, quos vocant* Frob. 1. — Cap. 14. *C. Helvium* pro *C. Manlium* Frob. 2. — Ibid. *in coronam auream* pro *in corona aurea* Frob. 2. — †Ibid. *frustrareris nos, nisi praesens* pro *frustrareris: nunc quoque praesens* Frob. 2. — Cap. 15. *die est* pro *die et* Frob. 2. — Ibid. *ad Lagon, proximam urbem* pro *ab Lago, proxima urbe* Frob. 2. — Ibid. *ad Lysis fluminis fontem* pro *ab Lysis fluminis fonte* Frob. 1. — Cap. 16. *per quas ituri essent* pro *per quam ituri essent* Frob. 2. et B. — Cap. 17. *Hi iam degeneres sunt; mixti, et Gallograeci vere, quod appellantur* pro *Ut iam degeneres sunt mixti et Galli et Graeci, unoque nomine Gallograeci vere appellantur* Frob. 2. et B. — Ibid. *recens captas* pro *recentes captas* Ascens. — Ibid. *tantum contagio* pro *quantum contagio* Frob. 2. — †Cap. 18. *legati compulsi* pro *legati* Ald. — Cap. 19. *ac deturbari* pro *aut deturbari* Frob. — †Cap. 20. *effusi castris* pro *effusi e castris* Frob. 2. †Cap. 21. *duobus lateribus* pro *ab duobus lateribus* Frob. 2. — Ibid. *ab omni parte* pro *et ab omni parte* Frob. 2. — *†Ibid. *quae velant* pro *quae vellant* sive potius *qua evellant* Ascens. — Cap. 24. *eius animum tentavit* pro *animum tentavit* Ald. — Cap. 25. *ardentibus ira animis* pro *ardentibus animis* Frob. 2. — Cap. 27. *saucii aut inermes* pro *saucia ut inermes* vel *saucii et inermes* Frob. 2. — Cap. 28. *vicenos Nesiotae, Cranii, Palenses et Samaei dederunt* pro *vicenos autem Cranonii, et Phalenses, et Samei dederunt* Frob. 2. — Cap. 30. *quae omnis adempta erat* pro *quae omnes adepti erant* Frob. 2. — Ibid. *Lan* pro *Lamin* Frob. 2. — Cap. 36. *in triduum* pro *primum* vel *triduum* Ald. — Cap. 37. *leges* pro *legem* Frob. 2. — Ibid. *praesidio decessum est* pro *decessit praesidio* Frob. 2. — Cap. 38. *cum iis* pro *cum illis* Frob. 2. — Ibid. *seu qui liber* pro *seu quis liber* Ascens. — Cap. 43. *edita in se* pro *habita in se* Ascens. — Cap. 44. *portoria* pro *portari ea* Ascens. — Cap. 45. *At eo ipso* pro *An eo ipso* Frob. 2. — Ibid. *cum ad bivia consisteres* pro *quum via consisteres* Frob. 2.

Itaque operae pretium fuerit antiquiores Livii editiones

inde a principe sive Romana a. 1469. usque ad Basileensem sive Frobenianam a. 1535. a Drakenborchio aliisque negligentius collatas diligentius inspicere, ut, in quibus singulae lectiones postea in codicibus repertae primum comparuerint, et quantum editionis Frobenianae auctoritati, quam Livii editores ad unum omnes sunt secuti, tribuendum sit, penitius intelligatur. Multo tamen maiorem utilitatis fructum ex codicibus antiquissimis et optimis, veluti Puteaneo, Cantabrigiensi, Petaviano 1., Florentino 1. et 2. aliisque, denuo conferendis percipi posse, eo minus dubito, quo manifestius ipse docui, quantum iterata codicum Bambergensis et Vindobonensis collatio ad multorum Livii locorum emendationem profuerit. Neque operam ludet, qui codicem Bambergensem a me diligenter excussum, id quod philologum Berolinensem, cui Alfeschkio nomen esse ex Zumptio superiore anno me invisente audivi, nunc ipsum agitare Iaeckius per literas mihi significavit[27], iterum iterumque inspexerit et cum editis accuratius contulerit. Quantum enim haec res curam ac diligentiam requirat, uti ex Goelleriana codicis Bambergensis collatione intelligitur, ita ex eo luce clarius apparet, quod Freundius in libelli, quem de Miloniana Ciceronis oratione edidit, additamento p. 39. sqq. permultas codicis olim Erfurtensis, nunc Berolinensis lectiones ab Ed. Wundero[28], quem vulgaria quoque scripturae compendia fefellisse miror, aut praetermissas aut non recte notatas esse ostendit: neque is ego sum, qui me in varietate lectionum ex codice Bambergensi et editionibus antiquis excerpenda nihil vel omisisse, vel perperam enotasse existimem[29].

27 Verba epistolae, Bambergae a. d. XV. Cal. Septembr. a 1837. datae, haec sunt: "Auch hatte voriges Iahr ein Berliner Gymnasial-Professor den von Ihnen zuerst benutzten grösseren Codex durch unser Ministerium auf drei Monate erhalten und liess erst vor zwei Monaten eine diplomatisch genaue Abschrift des drei und dreissigsten Buches noch einmal dahier nehmen, unter dem Versprechen, dass bald eine vollständige Ausgabe des Livius erfolgen würde.

28 In libro ita inscripto: "Variae lectiones librorum aliquot M. T. Ciceronis ex codice Erfurtensi enotatae ab Ed. Wundero. Accessit praefatio diligentem codicis descriptionem multasque Ciceronis scriptorum interpretationes et emendationes continens. Lipsiae, 1827."

29 Notarum singularum, quibus ad varietatem lectionum discernendam

Praeterea, ne quid libro non sine interpellatione a me conscripto et nonum paene in annum presso deesse videretur, tres addidi indices, primum locorum Livii aliorumque scriptorum, de quibus obiter in hoc libro agitur, alterum rerum et verborum, tertium vocabulorum a librariis permutatorum, quem alii utilem et necessarium, alii inutilem et supervacaneum esse iudicabunt. His indicibus denique, quum in tanta rerum, quae hoc libro continentur, varietate multa vel mutanda vel retractanda esse intellexissem et in scripturae diversitate a Nic. Carbachio ex codice Moguntino enotata, quam ea, qua par est, diligentia repetendam curavi, denuo examinanda multo maiorem quam putaram, Drakenborchii in editionibus antiquis conferendis negligentiam fuisse animadvertissem, Addenda et Corrigenda subieci, quae suis quaeque locis lectores velim respiciant.

Quod reliquum est, non nisi a peritis literarum antiquarum existimatoribus, qui quidem eorum, quos pro huius saeculi licentia, ut Tarpae partes suscipiant, talparum ritu ex caecis latibulis prorepere aliosque in clarissima rei publicae luce versari solitos maledictis et contumeliis insectari iuvat, longe dissimiles de libris ad humanitatis studia pertinentibus humaniter iudicant, probari et collaudari, vel improbari et vituperari discupio: barones insulsos asellorum[30], leonina pelle superbientium

usus sum, haec est ratio, ut *Cod. Mog.* codicem Moguntinum, *Cod.* sive *Cod. Bamb.* codicem Bambergensem, *Ascens.* editionem Ascensianam a. 1513., *Mog.* editionem Moguntinam a. 1518., *Ald.* editionem Aldinam a. 1520., *Colon.* editionem Coloniensem a. 1525., *Frob.* 1. editionem Basileensem a. 1531., *Frob.* 2. editionem Basileensem a. 1535., *Rom.* editionem libri tricesimi tertii principem sive Romanam a. 1616., *marg. Rom.* Bartholini et Quaerengii emendationes in editionis Romanae margine adiectas, *Drak.* editionem Drakenborchianam, *Goell.* varietatem lectionum a Goellero eiusque socio ex codice Bambergensi excerptam, et *Bekk.* editionem Bekkerianam significet. Praeterea literis *corr.* mendorum correctiones in codice Bambergensi repertas significavi, et vocabulis lineola interposita dividendis alteram eorum partem in fine versus, alteram in principio insequentis a librariis, qui codicem Bambergensem exscripserunt, positam esse indicavi.

30 Vocabulum *Asellus*, quod Claudiae familiae cognomen fuisse constat, apud Romanos, qui homines brutos et stolidos non *asinos* et *boves*, ut nos, sed *verveces* appellabant, vulgare convicium fuisse, Hauthalius p. 380. sq. perperam opinatus est atque se Latine nescire ipse prodidit. Contra de misero versificatore, qui syllabarum quantitatem ignorat et vocabulorum monstra procreat, tritum illud

instar rudentes et iuvenes barbatulos lepusculorum more lascivientes non curabo, eorumque conviciis et clamoribus Socratis illud reponam: *Εἰ δέ με ὄνος ἐλάκτισε, δικην ἂν αὐτῷ ἐλάγχανον*;

Scripsi Misenae, a. d. V. Non. Quintil. ipso Scholae Afranae, cui deus faveat, die natali, A. CIↃIↃCCCXXXVIII.

sermone proverbium *Ὄνος λύρας* sive *Asinus ad lyram* ex Latinorum consuetudine recte usurpari, nemo infitias ibit. Vide praeter ea, quae ipse in Silvulis Afranis p. 78. not. 30. et p. 92. not. 50. hac de re dixi, egregiam Beckeri doctissimi annotationem, in libro ita inscripto: Gallus oder Römische Scenen aus der Zeit Augusts. Zur Erläuterung der wesentlichsten Gegenstände aus dem häuslichen Leben der Römer, von W. A. Becker. Leipzig. 1838. Part. I. p. 332. propositam, locisque ibi citatis adde Cic. Orat. in Pison. cap. 30. ubi Cicero ad Pisonem: "Quid nunc te, asine, literas doceam? Non opus est verbis, sed fustibus." Quod quidem, mutato nomine, multis recte ac merito acclamaveris; praesertim ei, qui nuper, quum de libro quodam publice "iudicium faceret," perperam scripsit: "cum reciperem in me iudicium ferendum de iis," etc. Ita enim Latinos non loqui, iam in Vann. crit. p. 53. contra Doeringium monui, eundemque errorem, cui nostra aetate permulti sunt obnoxii, postea in Silvulis Afranis p. 72. per iocum exagitavi. Praeterea vide Krebsii Antibarbar. p. 220. sq. et quae nuperrime Klotzius in Iahnii Annal. philolog. et paedagog. Vol. XXIII. Fasc. II. p. 211. annotavit.

EXCERPTUM

EX

PETRI LAMBECII

BIBLIOTHECA VINDOBONENSI

LIB. II. CAP. VIII. PAG. 943.

DE ANTIQUISSIMO LIVII CODICE MSTO.

EX QUO EIUS LIBER XLI. ET SEQQ. EDITI SUNT.

VOLUMEN membranaceum in quarto maiori, ante mille et aliquot centum annos totum maiusculis iteris, et quidem antiquissimo more, sine ulla singularum vocum distinctione exaratum, eamque ob rem etiam doctissimis et in veterum Codicum MStorum tractatione exercitatissimis Viris lectu difficillimum, quo continentur Historiae Romanae TITI LIVII Libri quinque, qui propter aliorum olim sequentium defectum nunc sunt ultimi, mempe XLI. XLII. XLIII. XLIV. et XLV. Est autem hoc ipsum authenticum Exemplar MStum, ex quo Simon Grynaeus iam memoratos quinque Libros A. 1531. Basileae typis Frobenianis primus in lucem edidit cum Desiderii Erasmi Roterodami Praefatione ad Carolum Montioium, in qua eiusdem archetypi vetustatem depraedicat his verbis: 'TITVS LIVIVS, Latinae Historiae 'Princeps, iam quidem frequenter excusus est, sed nun-'quam ante hac vel magnificentius vel emendatius; et, si 'hoc parum est, QVINQVE libris modo[1] repertis auctus:

1 Scripsit Erasmus Epistolam illam dedicatoriam apud Friburgum Brisgoiae Calendis Martii A. 1531.

'quos bono quodam genio in Bibliotheca Monasterii[2] Lau-
'risseni, aut, ut vulgo[3], Lorsensis, reperit SIMON GRI-
'NAEVS, Vir, ut in omni genere literarum citra super-
'cilium eruditus, ita provehendis liberalibus studiis natus.
'Id autem Monasterium est e regione Wormaciae, sive
'Berbethomagi trans Rhenum a[5] Carolo Magno septi-
'gentis abhinc annis et eo amplius exstructum, ac librorum
'copiosissima supellectile instructum. Nam haec olim
'praecipua cura Principum fuit, et hic solet esse chari-
'simus Coenobiorum thesaurus. Archetypum erat admi-
'randae vetustatis, prisco more perpetua literarum serie ita
'depictum, ut difficillimum fuerit verbum a verbo dirimere
'nisi docto, attento, et in hoc ipsum exercitato. Unde
'non parum negotii fuit in parando exemplari, quod typo-
'graphicis operis traderetur utendum: nec minore cura,
'quam fide, advigilatum est, ne[6] usquam in describendo ab
'archetypo recederetur.' Haec Erasmus. Ubi quidem id
quod de admiranda vetustate et difficillima lectione Codicis
istius Liviani refert, omnino verum est, et cuivis etiam nunc
pro lubitu licet cernere; quae praeterea autem addit de
Monasterio, in quo idem Codex a Grynaeo repertus est, et
de editione Basileensi Frobeniana, qua quinque ultimi
libri primum publice exhibiti sunt, ea caute legenda, neque
absque animadversionibus praetereunda sunt. Quod pri-
mum enim ad nomen istius Monasterii attinet, vocatur
illud perperam[7] Laurissenum, et Lorse, revera autem ap-
pellandum est[8] Laurisheimum sive Laurishaimum, vel
secundum corruptam vulgi consuetudinem[9] Lorsch. Se-
cundo falsum est, Monasterium illud est fundatum ab Imp.

2 Imo Laurisheimensis.

3 Imo Lorsch.

4 Imo Borbetomagi. Sic enim apud Ptolemaeum Geograph. lib. II. cap. IX. legitur Βορβητόμαγος. Ex Borbetomagus autem initio per syncopen factum est Bormagus, deinde vero per mutationem B in W Wormagus et tandem Worms, quod nomen vulgo nunc in usu est.

5 Imo a Cancore, comite Pagi Rhenensis sive Rhingoviae, et matre ipsius Williswinda, anno duodecimo Regni Pipini, patris Caroli Magni.

6 Contrarium apparet ex collatione ipsius Archetypi.

7 Legitur quidem etiam apud Ioan. Trithemium in Chronico Sponheimensi ad annum 1232. Laurissa, sed errorem hunc agnoscit ipse, et corrigit in Chronico Hirsaugiensi, utpote ubi ad eundem iam memoratum annum 1232. idem Monasterium recte vocat Laurishaimense.

8 Vide ipsum antiquum Chronicon Laurischeimense, a Marquardo Freihero editum tomo primo Scriptorum rerum Germanicarum: ubi tamen pro Laurisheim sive Laurishaim, aliquoties corrupte legitur Laureshaim. Graviter etiam errat Gabriel Bucelinus, dum in Nomenclatura Monasteriorum Germaniae ex *unico* Monasterio Laurisheim facit *quattuor* diversa Monasteria, nempe Laureshcim, Lauriscum, Laurissam, et Larissam sive Tarissam, quorum *tria* posteriora in rerum natura nunquam exstiterunt, sed mere fictitia sunt.

9 Ex Laurisheim videlicet sive Laurishaim initio per mutationem a in o factum est Lorisheim, deinde autem Lorish seu Lorisch, et tandem Lorsch.

Carolo Magno. Certo enim constat ex antiquis, quae etiam nunc supersunt, Diplomatibus, fundationem illius deberi[10] CANCORI Comiti Pagi Rhenensis sive Rhingoviae, et matri ipsius WILLISWINDAE anno Christi septingentesimo sexagesimo quarto, Pipini autem Regis Francorum duodecimo. Tertio etiam notandum est, quamvis Simon Grynaeus in adornanda supra memorata quinque librorum Livianorum editione magnam adhibuerit diligentiam, valde tamen necessarium esse, ut illa editio cum ipso authentico MSto adhuc semel a capite ad calcem attentissime accuratissimeque conferatur. Superest enim profecto non mediocre variantium lectionum spicilegium, quod alias summa industria et fide a me exhibebitur in peculiari quadam Dissertatione de duodecim Codicibus MStis Historiae Romanae TITI LIVII, qui una cum triginta duabus eiusdem Historiae primariis editionibus impressis in Augustissima Bibliotheca Caesarea asservantur. Ut interim tamen ex qualicunque specimine appareat, me nec Erasmo, nec Grynaeo fecisse iniuriam, lubet hic mihi in antecessum inserere unum duntaxat notabilem locum, cuius vera et genuina lectio desideratur in omnibus hactenus impressis editionibus. Is igitur in Simonis Grynaei prima editione Basileensi legitur hoc modo (lib. XLI. cap. IX.) 'Ad legem et edictum [11]COS. [12]SC. adiectum est: 'ut Dictator, [13]COS. Interrex, Censor, [14]Pr., qui nunc 'esset apud FORVM, quem manumitteretur, in libertatem 'vindicaretur, ut iusiurandum daret: qui eum manumit-'teret, civitatis mutandae causa non mittere: qui id non 'iuraret, eum manumittendum non censuerunt. Haec in 'posterum causa iurisque dictio C. Claudio COS. decreta 'est.' Nemo certe non videt primo intuitu, verba haec, 'qui nunc esset apud FORVM, quem manumitteretur,' non bene cohaerere, sed sine dubio mendosa esse; ideoque primus omnium Carolus Sigonius ea non solum emendare conatus est, verum etiam emendationem suam coniecturalem ipsi editionum suarum Venetarum contextui inseruit hoc modo: 'Ad legem, et edictum Consulis[15] ad-'iectum est, ut Dictator, Consul, Interrex, Censor, Praetor, 'qui nunc essent apud FORVM, darent operam, qui 'manumitteretur, in libertatem vindicaretur, iusiurandum

10 Vide supra citatum antiquum Chronicon Laurisheimense, a Frehero editum, in principio, ubi Diplomata duo Cancoris et Williswindae de fundatione istius Monasterii etiam nunc exstant integra. Consule etiam Ioannis Trithemii Chronicon Hirsauiense ad an. 1232.

11 Hoc est, Consulis.

12 Hoc est, Senatusconsultum.

13 Consul.

14 Praetor.

15 Perperam hic omittitur vox Senatusconsultum.

'daret: qui eum manumitteret, civitatis mutandae causa 'manu non mittere; qui id non iuraret, eum manumittendum non censuerunt.' Secundus, qui eiusdem loci correctionem tentavit, est vetus amicus meus V. CL. Ioannes Fredericus Gronovius, qui in ultima editione Liviana, quam cum suis et Variorum Notis Amstelodami typis Elzevirianis A. 1665. tribus Tomis in 8vo. publicavit, supra memorata verba exhibet hoc modo: 'Ad legem et 'edictum Consulis Senatusconsultum adiectum est: ut 'Dictator, Consul, Interrex, Censor, Praetor, qui nunc 'esset apud FORVM, [16]***, quem manumitteretur, in 'libertatem vindicaretur, ut iusiurandum daret: qui eum 'manumitteret, civitatis mutandae causa non mittere: qui 'id non iuraret, eum manumittendum non censuerunt.' Et sic quidem ille locus ibi legitur in ipso contextu: in margine autem annotavit idem supra laudatus doctissimus [17]Gronovius, videri sibi legendum esse: 'Ut Dictator, 'Consul, Censor, Praetor, qui TVNC esset apud FORVM, 'quem MANVMITTERENT, in libertatem vindica-'retur, SI iusiurandum daret, etc.' Verum enim vero, quoniam ne hoc quidem remedium sanando isti loco sufficit, necesse est, ut recurramus ad ipsum archetypum Exemplar, ubi eum ita scriptum reperi, uti hic ponitur ante oculos:

ADLEGEMETEDIC
TVMCONS̄. S̄C̄. ADIECTVMESTVTDICTATOR
CONS̄.INTERREXCENSORPR̄.QVINVNCESSET
APVTEORVMQVEMMANVMITTERETVRINLI
BERTATEMVINDICARETVRVTIVSIVRANDV
MDARETQVIEVMMANVMITTERECIVITATIS
MVLTANDAECAVSAMANVNONMITTERENQ
VIDNONIVRAREEVMMANVMITTENDVMNO
NCENSVERVNTHAECINPOSTERVMCAVSAIV
SSIQVEEDICTOC. CLAVDICONS̄. CLAVDIODE
CRETAEST.

Hoc est: 'Ad legem et edictum consulis [18]Senatuscon-'sultum adiectum est, ut Dictator, Consul, Interrex, Cen-

16 Hi tres asterisci sine dubio hic collocati sunt, ut significent, locum hunc videri mutilum. Sed revera nihil deest.

17 Vide etiam eiusdem CL. Gronovii Notas ad T. Livii Libros superstites, Ludg. Batav. typ. Elzevir. A. 1645. in 12mo. separatim editas p. 670.

18 Haec vox abbreviata S. C. sive Senatusconsultum, perperam editionibus Caroli Sigonii omissa est.

'sor, Praetor, qui [19]nunc esset, [20]aput EORVM quem '[21]manumitteretur in libertatem vindicaretur [22]ut iusiu-'randum daret, qui eum [23]manumittere, civitatis [24]mul-'tandae causa manu non mittere [25]n qui id non [26]iurare, 'eum manumittendum non censuerunt. Haec in posterum 'causa [27]iussique edicto C. Claudii Consulis Claudio de-'creta est.' Hinc igitur patet, Simonem Grynaeum pro EORVM perperam legisse FORVM, et hanc vocem a sequenti pronomine relativo QVEM per interpositum comma minus recte separasse, cum tamen illud revera ad praecedentem genitivum EORVM pertineat. Veram ergo et genuinam istius loci lectionem existimo esse hanc: 'Ad legem et edictum Consulis Senatusconsultum adiec-'tum est: ut Dictator, Consul, Interrex, Censor, Praetor, '[28]qui [29]nunc esset, apud EORVM [30]quem [31]QVIS ma-'numitteretur, [32]in libertatem vindicaretur, [33]OPERAM 'DARET, ut [34]IS iusiurandum daret, qui eum manu-'mitteret civitatis mutandae causa non manumittere; 'NAM qui id non iuraret, eum manumittendum non 'censuerunt.' Caeterum ne quis dubitare possit, quin Codex MStus Ambrasianus, de quo in praesens agitur, ille ipse sit, quo Simon Grynaeus olim usus sit, necessario indicandum restat, quaecunque in quinque ultimorum

19 Hoc adverbium *nunc* non est mutandum in *tunc*. Retinuit enim illud Livius de industria, ut ostenderet, in ipso Senatusconsulto scriptum fuisse, QVI NVNC EST. Vide Barnabae Brissonii librum secundum de Formulis et sollennibus Populi Romani verbis, p. 157. et 158. editionis Paris. anno 1583. in folio, ubi antiquam legem de Viatoribus exhibet.

20 Ita ibi mendose scriptum est, nempe APVT pro APVD.

21 Videtur hic deesse pronomen QVIS pro aliquis.

22 Hic sine dubio desunt verba OPERAM DARET, quae librarii negligentia omissa sunt propter paullo post sequentem repetitionem verbi DARET.

23 Ita ibi mendose scriptum est, nempe MANVMITTERE, pro MANVMITTERET.

24 Ita ibi mendose scriptum est, MVLTANDAE, pro MVTANDAE.

25 Haec litera singularis N videtur ibi significare NAM.

26 Ita ibi mendose scriptum est IVRARE, pro IVRARET.

27 Ultima haec verba, ut supra videre est, correxit et immutavit Simon Grynaeus hoc modo IVRISQVE DICTIO C. CLAVDIO CONSVLI DECRETA EST.

28 Verba haec, qui nunc esset, non solum pertinent ad Praetorem, verum etiam ad Dictatorem, Consulem, Interregem et Censorem, ac si post cuiusque nomen singulatim repetita essent.

29 Adverbium NVNC omnino hic retinendum, nec mutandum in TVNC, ut paullo ante iam semel monui.

30 *Apud eorum quem*, pro *apud quem eorum:* uti passim in antiquis formulis.

31 *Quis* pro *aliquis*.

32 Coniunctio et hic deest, uti passim in aliis eiusmodi antiquis formulis.

33 Duo haec verba, *operam daret*, culpa negligentis librarii omissa, et omnino hic inserenda sunt. *Daret* autem legendum est, non vero *darent;* eodem nempe sensu, quemadmodum paullo ante legitur *esset*, non autem *essent*.

34 Nempe manumittendus et in libertatem vindicandus.

librorum Livianorum editionibus impressis vel magnae vel parvae lacunae sive defectus sunt, easdem omnes etiam in hoc Codice MSto Ambrasiano reperiri, ita nempe, ut vel integra desint folia, vel tantum pauca quaedam verba, aut paucae literae in foliorum quorundam lacerorum extremitatibus. Quamvis etiam idem hic Codex MStus in fine libri quadragesimi quinti a Simone Grynaeo non potuerit legi, nisi usque ad haec verba: 'Moratus circa Urbem 'triginta [35] HAUD amplius dies, in Regnum est profectus: attamen non est hic, ut vulgo creditur, verus finis istius libri, sed post vocem PROFECTVS sequitur immediate in eodem versu sive linea ACTVMQVE. Reliqui autem duo ultimi versus sive lineae prorsus evanuerunt, nec ulla ratione ex eorum vestigiis certi quicquam potest colligi. Clauditur denique totum illud volumen subscriptione hac, ob nimiam vetustatem vix amplius visibili:

TITI LIVI
AB VRBE CONDITA
LIB. XLV. EXP.
INC. LIB. XLVI. FELICITER.

Unde liquet, sequentes Historiae Romanae Titi Livii Libros, qui nunc habentur pro deperditis, tunc temporis, ubi Codex ille exaratus est, integros adhuc exstitisse. Haec igitur in praesens sufficiant de rarissimo illo et hactenus unico Codice Msto Liviano, qui primum quidem ex Monasterio Laurisheimensi in Helvetiam, deinde autem ex Helvetia in Comitatus Teriolensis Archiducalem Arcem Ambrasianam, et tandem ex Arce Ambrasiana transmigravit in Augustissimam Bibliothecam Caesaream Vindobonensem, ubi nunc tanquam redivivus nova fruitur luce, et doctis sui aestimatoribus admirandum simul ac periucundum praebet spectaculum.

35 In ipso authentico exemplari MSto pro HAVD satis clare et perspicue legitur AVT.

SYLLABUS CODICUM,

QUIBUS IN LIVIO

RECENSENDO USUS SUM.

[EX EDITIONE DRAKENBORCH.]

Et quidem ad Decada primam hi mihi praesto fuerunt.

FLORENTINUS, qui servatur Florentiae in bibliotheca Serenissimi Magni Etruriae Ducis Medicea, ac notatur numero XVIII. Huius, cum editis collati, variantes lectiones, a viro Eruditissimo Abbate Antonio Maria Salvinio anno CIↃIↃCCXVIII. confectas, ex peregrinatione Italica in Angliam attulit, et liberaliter mecum communicavit Illustrissimus Thomas Coke, Baro de Lovel. Verum quum eo demum tempore ad me adferrentur, postquam typographorum operae iam ad lib. III. cap. XXXII. pervenerant, prioris partis varietates, ne Lector se iis carere aegre ferret, ad finem tomi secundi, quo loco aliquid vacuae chartae supererat, subiunxi. Eodem hoc codice in adornanda altera Livii editione, quae anno CIↃIↃCLXV. prodiit, usus est I. Fr. Gronovius, excerpta eius nactus partim a consobrino suo Luca Langermanno, partim a Marquardo Gudio, et recte testatur, eum omnium huius partis optimum esse. Verum quaedam spicilegia relicta fuisse, nec eo consulendo me operam lusisse deprehendi.

II. FRAGMENTUM HAVERCAMPIANUM est codex membranaceus, forma maiori, quem Hagae Comitum in auctione quadam, quae Petavii et Mansartii nomina praeferebat, divenditum Henr. Hadr. van der Marck, toparcha in Leur, sibi comparavit: postea vero vir Clariss. Sigeb. Havercampius, quum bibliotheca Markiana publice distraheretur, coëmit, et usibus meis benigne indulsit. In hoc codice pauca tantum libri primi et secundi Liviani fragmenta exstabant. Et quidem duo tantum ex libro

primo. Eorum prius incipiebat a cap. III. §. 4. voce *creverant*, et desinebat in cap. VII. §. 4. voce *facinorisque*: posterius a cap. XXXI. §. 1. voce *mons*, et desinebat in cap. XXXIII. §. 1. voce *traduxit*. Tria occurrebant ex libro secundo. Primum incipiebat a cap. XXV. §. 3. voce *caussa*, et desinebat in fine cap. XXXII. secundum a cap. XL. §. 12. voce *muliebri*, desinens in cap. XLVII. §. 6. voce *portas*: tertium a cap. LV. §. 1. voce *delectus* incipiens cum ipso libro desinebat. Sequentes octo libros hic codex integros exhibebat; nisi quod in libro quinto unum vel alterum folium desideraretur a cap. 11. §. 12. voce *usurpare* usque ad cap. X. §. 4. vocem *militum*: quodque in libro decimo post cap. XX. §. 9. vocem *agmen* reliqua omnia deessent. Hoc fragmentum manu satis antiqua exaratum videtur, et, post codicem Florentinum ac Leidensem primum, bonitate reliquis huius partis praestat.

III. Gaertnerianus est codex chartaceus in forma maiori, qui eadem manu tribus voluminibus exaratus exhibet librorum Livii decadas primam, tertiam, ac quartam. Hunc a Nobilissimo ac Celeberrimo viro Car. Guil. Gaertnero, Iuris in Academia Lipsiensi Antecessore, mihi impetravit Clarissimus Paullus Daniel Longolius. Referendus est inter codices recentiores.

IV. Harleianus Primus codex est Honoratissimi Comitis Oxoniensis, septingentorum vel octingentorum, ut creditur, annorum, octo tantum priores Livii libros continens, et inter meliores huius partis numerandus, quem saepissime optimis consentire deprehendi. Hunc codicem, ex bibliotheca sua depromptum, deprecante Viro Celeberrimo Iac. Philippo D'Orvillio, de Livio meo optime merito, in usum huius editionis cum vulgatis libris conferri insigni benignitate concessit. In colligendis autem lectionum varietatibus operam ac manum mihi commodavit Eruditissimus Casleius, bibliothecae Regis M. Britanniae Custos, in hac re exercitatissimus, multisque experimentis probatus.

V. Harleianus Secundus alter est eiusdem Illustrissimi Comitis Oxoniensis codex, sed priori longe recentior et bonitate cedens, quem anno CIↃ CCCCLIV. exaratum, eiusque fini haec verba ascripta esse Doctissimus Casleius, qui et hunc mihi codicem excerpsit, testatur:

'Nomen meum non pono,
Quia laudari non volo.
Si tamen vis scire,
Palus vocatur iste.'

VI. Havercampianus codex est membranaceus forma maiori, qui Fragmento Havercampiano, paullo ante num. II. memorato, in eodem volumine subiectus, eo tamen longe recentior et minus integer, eosdem, quos illud, dominos habuit. De eius aetate infra dicam, quum Havercampianum, tertiam librorum Livii decada continentem, recensebo.

VII. Leidensis Primus codex est membranaceus in forma maiori, ac satis antiquus, quem viri docti sex vel septem seculorum aetatem ferre existimant. Videtur autem ab imperito librario descriptus esse ex codice longe vetustiore; qui sine ulla vocum distinctione continua literarum serie exaratus fuit. Id autem ex eo conficio, quia passim vocabula, quae distinguenda erant, perperam connectuntur, et contra, quae iungenda erant, distinguuntur. Nihilominus omnium optimo Florentino, quem numero I. recensui, bonitate proximus est, plurimamque partem eidem consentit: unde si non ex eodem, ex quo ille, certe ex simili exemplari utrumque descriptum esse videtur. Ad idem persuadendum faciunt etiam singulares formulae, quae ad finem quorumdam librorum Livii et in hoc et in illo codice occurrunt; quas hic enotasse, et Lectoris oculis subiicere, haud abs re erit.

In Florentino.	In Leidensi primo.
Ad finem libri I.	
Victorianus vero (lege *V. C.*) *emendabam Domnis Gymnachis.*	*Titi Livii ab urbe condita liber primus explicit. Incipit liber secundus.*
Ad finem libri II.	
Titi Livii ab urbe cond. lib. II. explicit. Incipit lib. III. felicit".	*Victorianus CIC* (l. *V C.*) *emendabam Domnis Symmachis. Titi Livii ab urbe cond. liber II. explicit. Incipit tertius.*
Ad finem libri III.	
Ad finem huius libri in	*Titi Livi Nicomachus*

excerptis meis nihil annotatum video.

Dexter V. C. emendavi ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis liber III. explicit.

Ad finem libri IV.

TITI LIVI Nichomacus Dexter V. C. emendavi ab urb. cond. Victorianus V. C. emendavi Domnis Symmachis liber IIII. explic.

Titi Livii Nicomachus Dexter V. C. emendavi ab urbe conditor. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. Explicit liber quartus. Incipit liber quintus feliciter.

Ad finem libri V.

T. LIVI Nicomachus Dexter V. C. emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. Explicit liber V. incipit liber VI. feli ci ter.

Titi Livii Nicomachus Dexterum (leg. *Dexter V. C.*) *emendavi ad exemplum parentis mei Clementiani ab urbe cond. Victorianus emendabam Domnis Symmachis. liber V. explicit. Incipit liber VI.*

Ad finem libri VI.

T. Livi Nicomachus V. C. III. Praefect. urbis emendavi ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. liber VI. explicit.

Titi Livii Nicomachus Favianus V. C. IIII. Praefec. urbis emendavi ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. l. VI. expli. incipit liber VII.

Ad finem libri VII.

Emendavi Nicomachus Liviañ Titi Livi ter. Pref. urb. apud Hennam ab urbe conditor. Victorianus VIC. (l. V. C.) emendabam Domnis Symmachis. liber VII. explicit. Incipit liber VIII. Feliciter.

Explicit liber septimus. Emendavi Nicomachus Flavianus Titi Livii ter̄ prēf. urbis apud Henna ab urbe cond. Victorianus VOC (l. V. C.) emendabam Domnis Symmachis. Incipit liber VIII.

Ad finem libri VIII.

Emendavi Nico. Flavianus T. Livi VEC (l. V. C) ter praef. urb. apud Term. (l. Henn.) ab urbe cond. Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. lib. VIII. explic. incipit VIIII.

Explicit liber VIII. incipit liber VIIII.

Ad finem libri IX.

Victorianus V. C. emendabam Domnis Symmachis. Titi Livi ab urbe condita lib. VIIII. explicit. Incipit lib. X. feliciter.

Titi Livii ab urbe cond. liber VIIII. explicit. Victorianus COS (forte V. C.) emendabam Domnis Symmachis. incipit liber X.

Idem hic codex Leidensis olim Chifletii fuit, in cuius bibliotheca eum vidit ac versavit Gottefr. Wendelinus: in Dissert. enim de Natali Solo Legum Salicarum cap. XVI. p. 118. easdem formulas, quas ad plerorumque librorum Livii finem in nostro codice ascriptas dedi, exhibuit, tanta inter has et illas similitudine, ut in apertis etiam mendis, quae ex librarii aberratione natae sunt, constanter consentiant. Iocosa autem est Wendelini expositio, quum per

urbem apud Hennam, in formula finali libri VII. memoratam, quae Nicomachum Flavianum Dextrum tertium ac quartum sibi delegerit amplissimi nominis praefectum, intelligit Bagacum Nerviorum. Nam Romae quidem, quae ad ripas Tiberis condita est, nomen fuisse *urbs ad Tiberim*: Bagaco vero *urbs apud Hennam*, quoniam Henna fluvius, que nunc incolis; *l'Haine* dicitur, ad Montes usque Hannoniae magnarum navium patiens, duabus leucis ab ea abest: ob hanc autem distantiam, quum *urbs ad Hennam* dici nequeat, vocatam esse *urbem apud Hennam*. Verba igitur, quae ad finem libri VII. ascripta sunt, ita intellexit, Nicomachum Flavianum Dextrum, qui codicem illum antiquiorem, cuius Chifletianus tantum est exemplar, emendavit, fuisse tertium iam praefectum urbis apud Hennam, sive prope fluvium Hennam, id est Bagaci Nerviorum. Verum fluvius ille, ut et regio, cui nomen dedit, semper a scriptoribus Latinis et Francis per primam vocalem, et vel simplicem vel duplicem *n* literam *Haina*, *Hayna*, *pagus Haynocensis*, *Hanoniensis*, aut *Hannoniensis* vocatur. *Hanioum* etiam vel *Hanoium* in Instrumento divisionis regni Lotharingici inter Ludovicum Germanicum et Carolum Calvum; nunquam *Henna* vel *Hennoniensis*, multo minus Bagacum Nerviorum nomine *urbis apud Hennam* indicatur. Longe igitur praeferenda est sententia Henrici Valesii lib. I. de Critic. cap. XXXIV. existimantis, Flavianum Nicomachum V. C. Praefectum urbis Romae, apud Hennam urbem Siciliae Livii historias emendasse; ubi, ut et in Notis Clariss. viri P. Burmanni, plura de viris Illustribus, qui apud Romanos interpretandis et emendandis libris operam dederunt, videri possunt. Similiter illud *apud Hennam* Reinesius exposuit Epist. ad Hoffmann. et Rupert. LXIX. p. 624. et ad Inscript. Class. I. num. XL. pag. 78. Flavianum, quum Livii codicem emendaret, apud Hennam in Sicilia moratum esse. Sententia haec multis astrui posset, sed paucis contenti erimus. Is igitur, qui Livium emendavit, in subscriptionibus variorum librorum vocatur *Nicomachus Dexter*. Vide ad finem lib. III. IV. et V. *Nicomachus Favianus*. Vide ad finem lib. VI. *Nicomachus Livian̄*. Vide ad finem lib. VII. *Nicomachus Flavianus*. Vide ad finem lib. VII. et VIII. Dicitur *III.* vel *IIII. Praefect. urb.* Vide ad finem lib. VI. *ter* vel *ter̄ Pref. urb.* Vide ad finem lib. VII. *ter Praef. urb.* Vide ad finem lib. VIII. Livium emendavit *apud Hennam*. Vide ad finem libri VII. *apud Term.* Vide ad finem libri VIII. Parens eius appellatur *Clementianus*. Vide ad finem libri V. Has formulas pessime a librariis, aeque in Mediceo ac Leidensi codice, habitas, multosque in iis

rrores commissos esse, nemo, crede, negabit. Eo refero, uod in cod. Med. lib. I. pro *V. C.* legatur *vero* et *Gymachis* pro *Symmachis* lib. II. *VIC* pro *V. C.* lib. VIII. *VE C* pro *V. C.* et *Term.* pro *Henn.* Similiter quod in Leid. cod. lib. II. *CIC* legatur pro *V. C.* lib. V. *Dexterum* pro *Dexter V. C.* lib. VII. *VOC* pro *V. C.* in quibus omnes nihi facile adsensuros existimo; sed ulterius pergendum, et codicis Leid. lib. VI. *Favianus*, ac Medicei lib. VII. *Livian̄* in *Flavianus* mutandum arbitror, ut codicis Liviani emendator *Nicomachus Flavianus Dexter* vocetur. Deinde codicis Medicei lib. VI. *III.* lib. VII. *ter* lib. VIII. *ter Praef. urb.* codicis Leid. lib. VI. *IIII.* lib. VII. *ter̄ Pref. urb.* emendandum coniicio in *iter̄*. sive *iterum Praef. urb.* Et quidem primo praefecturam urbis obtinuisse videtur postmortem Valentiniani II. ab Eugenio tyranno, anno CCCXCIII. vel CCCXCIV. quam Theodosius M. tyranno devicto et interfecto, ei iterum eripuit. Certe quum postea ab Honorio Praefectus urbis fieret, *praestitisse illi AMISSIONEM PRAEFECTVRAE, quod mutavit auctorem*, testatur Symmach. lib. VII. Ep. CIV. *et cum illo HONOREM AMISSVM revertisse in gratiam, eique INTEGRATVM esse HONOREM*, lib. IV. Epist. VII. Quum autem post ereptam Praefecturam aula et conspectu Imperatoris abstinuisset, mortuo Theodosio M. ab Honorio Imperatore evocatus est in aulam, ut Theodori consulis, qui dignitatem illam anno CCCXCIX. gesturus erat, officio interesset. Vide Symm. lib. V. Epist. VI. et lib. VII. Ep. XCV. in qua re eum testimonii auctoritate adiuvit Stilico. Vide Symm. lib. IV. Ep. V. quem obire ne negligeret, suasit ipsi Symmachus lib. VI. Ep. XXXVI. Ea occasione revocatus Praefecturam urbanam, antea sub Eugenio administratam, sed a Theodosio M. ademptam, a filio eius Honorio recepit, ut ex laudatis Symmachi locis lib. IV. Epist. VII. et lib. VII. Epist. CIV. constat. Eam autem recepit anno eodem CCCXCIX. ad quem Praefectum urbis VIII. Id. Iun. Brixiae data est Cod. Theod. lib. XIV. tit. X. lex. 3. Hunc honorem etiam anno sequenti cotinuavit, ad quem missa et IX. Kal. Febr. Romae in foro Aproniani proposita est Cod. Theod. lib. XIII. tit V. lex 29. Brixiae data XIV. Kal. Sept. lib. XI. tit. XXX. lex 61. et Mediolani data VI. Id. Nov. lib. XV. tit. II. lex. 9. Quo usque honorem retinuerit, incertum est. Id constat, Decium ei in Praefectura successisse, ut colligi potest ex Symm. lib. VII. epist L. ad quem Ravennae VIII. Id. Dec. anno CCCCII. data est in cod. Theod. lib. VII. tit. XIII. lex. 15. Tandem in nomine *Clementiani*, quo pater Flaviani appellatus

fuisse dicitur, errorem commissum esse, et in eo *Flaviani* nomen latere existimo. Inter doctos enim constat, Flaviani Praefecti Urbis patrem esse, qui in lapide apud Reines. class. VI. num. 92. vocatur *Virius Nicomachus Flavianus;* ubi etiam omnium, quos gessit, honorum magnus catalogus occurrit. Ut autem reliquos missos faciamus, tantum observandum puto, eum etiam *Vicarius Siciliae* in eo lapide vocari. Vel igitur in hoc magistratu villam ac praedia non longe a Siciliae urbe Henna emendi occasionem habuit, vel ex haereditate maiorum nactus est, et ad filium transmisit, qui postea huc secedens Livium emendavit. Certe, Flavianum filium aliquid rei in Sicilia habuisse constat ex Symmacho, qui ei scribens lib. VI epist. LVII. inter alia inquit: *suadeam, ut ad Praefectum Praetorio Siciliensis caussae vestrae actio transferatur.* Et Epist. LXVI. *De Siculo negotio vestro sanctus Comazon, me quoque assentiente, rescripsit.* Hoc etiam uno verbo addendum est Victorianum V. C. ad finem librorum Livii in codd. Mediceo et Leidensi memoratum, qui Livium Symmachis emendavit, Nicomacho Flaviano iuniorem fuisse, eumque sua ex huius exemplaribus descripsisse: utrumque vero ante Apollinarem Sidonium vixisse. Id enim colligi potest ex Sidon. Apoll. lib. VIII. Epist. III. *Apollonii Pythagorici vitam, non ut Nicomachus senior e Philostrati, sed ut Tascius Victorianus e Nicomachi schedis exscripsit, quia iusseras, misi.* Symmachum autem non sibi tantum, sed etiam amicis, Livium emendari curasse, ipse testatur lib. IX. Epist. XIII. *Munus totius Liviani operis, quod spopondi, etiam nunc diligentia emendationis moratur.* Ut ex hoc deverticulo, in quod me verba, ad finem librorum Livii in codice Leidensi primo obvia, pellexerunt, in viam redeam, codex Livii Chifletianus postea ad Focaltium pervenit; in cuius bibliotheca eum Parisiis anno CIↃ IↃ CCXIV. primum versavi. Postea in Belgium allatum, et Hagae Comitum voci praeconis subiectum aere suo sibi vindicavit Amplissimus Samuel Hulsius, vir apud Haganos Consularis. Verum neque diu apud eum hospitatus est. Quum enim anno CIↃ IↃ CCXXX. bibliothecam proscripsisset, facta auctione, Livium cum multis aliis insignioribus Mstis Vir Celeberrimus Petrus Burmannus ὁ μακαρίτης bibliothecae Batavae, quae Leidae est, emit. Antequam vero in digniorem et augustiorem hanc sedem migraret, Illustrissimis Academiae Hollandicae Curatoribus et Amplissimis Urbis Leidae Consulibus id singulari benignitate permittentibus, usui meo concessus praeclarum huius editionis ornamentum est.

VIII. Leidensis Secundus est codex chartaceus, forma

maiori, vetusto satis charactere exaratus, sed qui ratione bonitatis Leidensi priori longe cedit. Hunc olim Iustus Lipsius possedisse videtur: postea ad Illustr. Zulichemium pervenit. Cuius supellex libraria quum auctione publica distraheretur, eum cum plurimis aliis Mstis, imprimis vero cum tribus spissis Epistolarum Lipsianorum voluminibus postea a se editis, bibliothecae Batavae, quae Leidae est, coëmit Celeberrimus Burmannus. Quo suffragante, eius excutiendi facultatem perquam benevole mihi concesserunt Illustrissimi Curatores et Amplissimi urbis Leidae Consules.

IX. Lipsiensis est codex membranaceus, qui servatur Lipsiae in bibliotheca Senatoria, legibili satis manu, sive eleganti litera exaratus, sed paullo recentior, vel non nimis antiquus, continens omnes, praeter quinque posteriores, libros, quemadmodum Livius sub initiis artis typographicae edi solebat, id est, deficientibus etiam libro XXXIII. et ultima parte libri XL. a capitis XII. §. 16. verbis *imponererent Macedoniae regem,* ut Goetzius testatur in Descript. Biblioth. Lipsiens. Senatoriae p. 27. insuper addens, codicem hunc primas literas auro ac figuris, pro aetatis, qua effictae sunt, modulo, fulgidas ostendere. Hic primum mihi innotuit ex *τοῦ μακαρίτου* Cortii literis, qui simul se omnem lapidem moturum promisit, ut eius excerpta acciperem. Rem etiam perfecisset, nisi invida mors eum non mihi magis, quam universo orbi literato immature in ipso aetatis flore praeripuisset. Ei defuncto mox benigne successit Vir Clarissimus Paullus Daniel Longolius, qui primo specimen submisit, unde didici, codicem hunc maximam partem convenire Gebhardi Palatino primo; cui et Gebhardus et I. Fr. Gronovius haud postremam laudem tribuerunt. Ad libri igitur collationem sese accingens, quattuor priorum librorum excerpta submisit. Verum quum ulterius pergere conaretur, quaedam insperata intervenere, quae effecerunt, ut subsistere coactus fidem datam liberare non potuerit. Quum igitur per eum non steterit, quo minus integri codicis variantes lectiones habere potuerim, aeque me ipsi obstrictum agnosco, ac si rem ex voto confecisset.

X. Lovelianus Primus est codex admodum spissus, formae maioris, non tantum primam, sed insuper tertiam ac quartam decadas librorum Livii continens, deficiente tamen libro XXXIII. et ultima parte libri XL. scriptus in pergameno purissimo, qualibet eius pagina in duas columnas divisa, et non tantum in superiore et inferiore cuiusque parte, verum etiam in interstitio, inter duas paginarum columnas medio, picturis exornata. Hunc librum

ad Alphonsum, Sapientem dictum, primum stirpis Arragonicae regem Siculum ac Neapolitanum, pertinuisse, eique manu notatum esse, eundem postea ordine ad Cuiacium, Lipsium, ac Wouwerium pervenisse, haec verba recentiori manu in initio eius ascripta, testantur. 'Titi Livii Patavini historiae principis codex manuscriptus 'Alphonsi regis Arrag. Sicil. Neapolis, etc., manu notatus: 'qui e Gallia in Belgium a Iacobo Cuiacio ad Iustum Lipsium dono missus, Ioannis Wouwerii Antwerpiensis in 'potestatem tandem pervenit. Spectator, codicis venerandam vetustatem et inclitam invicti regis eruditionem 'suspice.' Codicem hunc regis Alphonsi olim fuisse, Wouwerio, vel quisquis testimonium dixit, affirmare credo. Non tamen existimo, esse illum regis Alphonsi codicem, quo nullum in omni Italia augustiorum occurrere, quemque aemulorum manu emendatum vel corruptum fuisse, Valla testatur ad Livii libr. XXIII. cap. XVIII. §. 12. non quoniam ornatus ac splendor, quem Valla commendat, ei desit, (merito enim inter splendidissimos codices refertur) sed potius, quod ipsius Vallae, non autem aemulorum eius lectionem, quam tamen in eo receptam vel invectam esse testatur, eo loco praeferat. Praeterea quod codex ille augustissimus, quem Cosmus Mediceus vir primarius Florentia regi dono misit, et Antonius Panhormita, Bartholomaeus Facius et Iacobus Curlus emendarunt, dumtaxat bellum Punicum secundum continere Valla testatur lib. IV. Recriminat. in Facium p. 602. quum noster Lovelianus primus tres decadas librorum complectatur. Habuisse igitur videtur rex Alphonsus, insignis literarum suo tempore patronus, plures codices Livianos. Certe exemplar regium, quod bellum Punicum secundum describens Florentiae emendatum erat, et lectionem diversam ab emendatione Panhormitae ac Facii praeferebat, laudat Valla ad Livii lib. XXII. cap. LI. §. 2. Codicem etiam regum Arragonum Neapolitanum, et a modo memoratis et a nostro diversum, Romae vidit et contulit Latinus Latinius; eum enim tantum decem priores Livii libros exhibuisse inde verisimile fit, quoniam eorum tantum excerpta dederit, quum antea memorati etiam bellum Punicum secundum, noster adhuc insuper bella Macedonicum et Asiaticum describant. Neque mirum vel incredibile videri potest, regem primo illo renascentium literarum crepusculo arte typographica nondum inventa, tot unius Livii codices in bibliothecam suam recepisse: tanti enim Livium aestimasse constat, ut cadaveris eius, quod in urbe sua superesse Patavini sibi persuadebant, brachium, misso Antonio Panormita legato, petere dignatus sit. Vide Tomasini

Livium Patavinum cap. X. ipsumque Livium *regem librorum* appellare consueverit. Vide Panormitae Epistolam apud Bayle in Diction. Histor. Crit. in voce *Panormita*. Eundem codicem a Iacobo Cuiacio ad Iustum Lipsium pervenisse, inde verisimile fit, quod se Cuiacii Livios recepisse Petro Egmondo nunciat Lipsius in Epistola, quam edidit Celeberr. Burmann. in Syntagm. Epistol. tom. I. p. 56. Illis autem mittendis id forsitan occasionem dederit, quod ipse Cuiacio scripserit, se aliquid in Livio exorsum, quod detexere pergeret, si paullo firmius librorum auxilium sibi foret. Vide eius Centur. I. Miscellan. Epist. LXVII. Postea idem ille codex Alphonsinus migravit in Hispaniam, et illatus est in bibliothecam Caspari de Haro Marchionis Lichei (Eliche), qui filius erat Illustrissimi Ludovici de Haro, Comitis Ducis Olivaresii, Philippi IV. Hispaniarum regis aulici ac primarii rerum administratoris, frater maior Iohannis Dominici de Haro, Comitis Montifregii (Monterrey), qui seculo proximo nomine Caroli II. Hispaniarum regis Belgii Hispanici praefecturam gessit. Verba sunt viri Celeberrimi Iac. Gronovii in Epistola, Mantuae in Carpetanis a. d. v. Nonas Iulias anno CIↃIↃCLXXIII. ad Nic. Heinsium scripta et a celeberrimo Burmanno edita in Syllog. Epist. tom. III. p. 553. 'Quum publica fama 'nos excitasset ad videndam elegantiam Marchionis Lichei '(is filius Ludovici de Haro, frater maior hodierni Flan-'driae praefecti), quam in colligendas tabulas pictas pul-'cherrimi operis ex more horum procerum contulit, praeter 'exspectatum inducti sumus in bibliothecam satis egregiam, 'ubi inter alia erant Msti Plautus, Livius, quondam Al-'phonsi Arragonum regis, postea a Cuiacio missus ad 'Lipsium, deinde Iani Wouwerii Antverpiensis; Caesar, 'Ovidius cum commentariis, Plinii historia naturalis, Cur-'tius, Suetonius, Claudianus, Donatus in Terentium, omnia 'non antiquissima.' Tandem hic codex illatus est in Magnam Britanniam, et asservatur in bibliotheca instructissima viri Illustrissimi et Honoratissimi Thomae Coke Baronis de Lovel, optime, si quis alius, de hac Livii editione meriti, qui et hunc et reliquos Livii codices, *Lovelianos* a me appellatos, ut et vetustas editiones, quas subinde memorabimus, insigni favore ac benevolentia in usus meos huc Traiectum transmitti consensit.

XI. Lovelianus Secundus itidem scriptus est in membranis, forma maiori, cuius etiam quaelibet pagina duas columnas continet. Hoc autem volumen pari modo decadas librorum primam, tertiam et quartam complectitur, cuius ultimae subscriptionem suo loco infra exhibebimus. Prima huius codicis pagina picturis, et postea cuiusque

libri initium pictis et variegatis literis excultus est. Ceterum praecedenti recentior esse videtur.

XII. Lovelianus Tertius est etiam codex membranaceus, forma maiori, cuius titulus et primae singulorum librorum literae auro variisque coloribus eleganter pictae erant. Liber hic fuit recentior, qui Vossiano secundo inferius recensendo, in multis lectionibus assentiebatur. In fine haec verba minio ascripta legebantur. *Iohes Rainaldus Mennius Surrentinus scripsit.*

XIII. Lovelianus Quartus similiter codex est in membranis forma maiori exaratus, cuius frons et primae omnium librorum literae auro variisque coloribus pictae praefulgebant.

XIV. Lovelianus Quintus scriptus est in pergamen. forma maiori, cuius pari modo frons et literae singulorum librorum initiales auro et diversis coloribus depictae sunt. Complectitur autem septem priores Livii libros cum parte libri octavi, usque ad cap. XIV. §. 5. vocem *abductus.* In libro septimo deerat etiam unum folium a capitis XXVI. §. 10. voce *concione,* usque ad cap. XXX. §. 7. dictionem *quandocumque.*

XV. Portugallicus, est codex membranaceus in forma maiori; cuius olim Hagae Comitum in auctione, Sanphilippi Hispaniarum regis legati nomen praeferente, venalis expositi usus, ut eum cum vulgatis editionibus conferrem, benigne mihi concessus est. Eum autem voco *Portugallicum,* quia eum Portugalliae regi plus offerentes cessisse renuntiatum est.

XVI. Vossianus Primus codex est in membranis scriptus, forma maiori, qualibet eius pagina in duas columnas divisa, qui cum reliquis Vossianae bibliothecae Mstis a Curatoribus Academiae Batavae redemptus, cum bibliotheca publica Universitatis Lugduno-Batavae coaluit: in cuius catalogo p. 369. num. XXI. memoratur. De codicibus Livii Vossianis in genere testatur I. Fr. Gronovius a. d. IV. Non. Maias. CIↃIↃCLXIII. Nic. Heinsio scribens, eos quidem secundi generis esse, tamen quibus carere nollet. Vide eius epistolam in Syllog. Burmann. tom. III. p. 485. Ipse observasse visus sum, eum saepe Leidensi secundo et Loveliano primo consentire. Vide quae notavi ad Livii lib. IV. cap. III. §. 9. Hunc et reliquos codices Vossianos mei caussa excuti, ac cum vulgatis committi indulserunt Illustrissimi Academiae Bataviae Curatores, quam laboris ac taedii plenam provinciam in se benigne susceptam diligenter perfecit Vir. Clariss. Francisc. Oudendorpius.

XVII. Vossianus Secundus codex itidem membrana-

ceus est, maiori forma, qui in bibliothecam publicam Academiae Lugduno-Batavae illatus recensetur in eius Catalogo p. 369. num. XX. In hoc codice ad finem cuiuslibet libri Liviani, solo tantum ultimo excepto, ascripta erat formula in aliis nonnullis codicibus obvia, *Victorianus V. S.* (in quibusdam locis pro *V. S.* legebatur *nunc;* sed emendandum videtur *V. C.*) *emendabam domnis Symachis.* Septimus vero liber hac formula claudebatur: *Emendabam Nic.* (vox illa *Nic.* delenda est) *Nicomachus Titi Livii terpraff* (lege *ter praef.*) *urbis apud Hennam, ab urbe condita. Victorianus V. e.* (lege *V. C.*) *emendabam domnis Symachis.* Eadem verba, sed longe emendatiora, itidem Livii libro septimo in Codicibus Florentino et Leidensi primo reperiri, supra notavi. Iisdem etiam codicibus bonitate plurimum cedit. Vossiano hoc secundo I. Fr. Gronovius quidem usus est, sed demum eum adhibere coepit ad Livii lib. V. cap. III. §. 5. ut ipse ad illum locum notavit.

Ad Decada tertiam his codicibus Mstis usus sum.

BEROLINENSIS est Mstum in membranis, forma maiori, quod Vir Optimus ὁ μακαρίτης Maturinus Veyssiere la Croze ex bibliotheca regia Berolinensi, cui summa cum laude praefuit, officiose depromptum usibus meis indulsit. Erat autem codex paullo recentior, quem ferme cum priscis editionibus convenire deprehendi.

II. CANTABRIGIENSIS est codex membranaceus, qui Cantabrigiae in bibliotheca Trinitatis asservatur. Eum Vir Clarissimus Iac. Gronovius, quum Cantabrigiae hiberna ageret, diligenter excussit, ac testatus est, se non meminisse alium propius ab archetypo Puteaneo dissidere. Eiusdem excerpta, ad oram ultimae editionis Gronovianae ascripta, benigne mihi obtulit vir Clariss. Ioseph. Wasse: unde testimonium, quod Gronovius ei dixit, verissimum, et librum hunc optimae notae esse passim expertus sum.

III. FLORENTINUS est codex membranaceus, qui Florentiae ad D. Laurentii in bibliotheca Serenissimi Magni Etruriae Ducis exstat pluteo LXIII. num. 20. omnium huius partis, post antiquissimum et sanctissimum Puteaneum, optimus. Huius codicis librum primum et exiguam partem libri secundi olim Gudius in Italia degens cum

vulgatis contulerat, et in Hollandiam redux excerpta su cum Gronovio, Livium anno CIↃ IↃ C LXIV. edend communicarat. Vide Gronov. ad Livii lib. XXII. cap. VI. §. 4. Reliquorum librorum variantes lectiones opera Viri Celeberrimi atque Amicissimi Iac. Philippi D'Orvilli nactus sum, quae insigni usui fuerunt, et in plurimis locis cum omnium praestantissimo Puteaneo amice conspirarunt. Postea Illustrissimus Lovelius integri eiusdem codicis excerpta, quae, erudita Clarissimi Salvinii manu facta, ex Italia in patriam deportarat, una cum multis aliis ad Livium facientibus subsidiis, benignissime ad me submisit. Id longe gratissimum accidit. Quum enim tantae auctoritatis et fidei codex sit, ex duplici illa collatione, a diversis viris doctis instituta, eo certius de vera eius lectione diiudicare, et, quum nemo omnibus horis in negotio hoc tam plenissimo ad quaevis minima intento animo esse possit, quicquid alter forte neglexisset, ex altero supplere potui.

IV. Gaertnerianus ille est, de quo iam supra inter codices, quibus ad primam librorum decada usus sum, num. III. egi. in hac autem parte plerumque a primis editionibus parum dissidet.

V. Hafniensis codex est membranaceus in forma maiori, eleganti manu ante annos admodum trecentos quinquaginta scriptus, quemadmodum iudicarunt, qui eum viderunt. Huius Msti primam apud me mentionem fecit Vir. Clarissimus Iac. Phil. D'Orvillius, optime de Livio meo meritus; qui, codicem illum in bibliotheca Viri Illustrissimi Friderici Rostgaardii, auctione publica anno huius seculi vigesimo quinto vel sexto distrahenda, notans, eundem suae bibliothecae eo consilio emere destinarat, ut mihi Livium edituro commodaret. Verum, vel mandatis serius Hafniam perlatis, vel aliis animosius licitantibus, se spe excidisse postea nunciavit. Anno deinde sequenti vigesimo septimo Vir Doctissimus Fridericus Luthers codicem hunc ex bibliotheca Rostgaardiana in splendidissimam Illustrissimi Comitis Christiani Danneskiold transmigrasse indicavit, simulque obtulit, se eundem mei causa cum editis collaturum. Licet autem, officium eius ambabus ulnis amplexus, id mihi gratissimum futurum rescripserim, aliquid tamen intervenisse, forsitan etiam responsum aberrasse, suspicor, ne deinceps promissis stare, et excerptas lectionum varietates mittere potuerit. Tandem vero Vir plurimum Reverendus Io. Christophorus Wolfius, qui ultimo itinere, anno CIↃ IↃ CCXXXIV. una cum fratre Celeberrimo Io. Christiano in Belgium instituto, me alloquii honore dignatus Livium typis imprimi viderat, in patriam redux a Viro Clarissimo Io. Grammio, Graecarum

literarum in Academia Hafniensi professore, eiusdem Msti collationem obtinuit; ex quo etiam didici, codicem hunc, quem olim Illustriss. Rostgaardius possederat, nunc in bibliotheca regia Hafniensi asservari.

VI. Harleianus codex est Honoratissimi Comitis Oxoniensis, quem circa artis typographicae inventionem exaratum fuisse testes oculati retulerunt. Hunc una cum Hearnii Msto D. plerumque vitiosissimo Rhenani Spirensi consentire expertus sum.

VII. Havercampianus est codex Viri Clarissimi Sigeberti Havercampii membranaceus, forma maiori; quem, simul cum decadis primae fragmento et alio codice primam librorum decada continente in idem volumen compactum, in auctione bibliothecae Markianiae sibi comparavit, ut in Mstis Decadis primae num. II. supra monui, mihique petenti benigne utendum concessit. Codex est recentissimus, cuius calci haec temporis nota adiecta est: *Finis. die 24. mensis Decembris* 1460. Quum autem characterum forma fidem faciat, adiunctos decem primos Livii libros, supra in Mstis Decadis primae num. VI. memoratos, ab eadem manu profectos fuisse, eos etiam ad idem tempus referendos esse arbitror.

VIII. Lovelianus Primus. De hoc codice videndum est supra inter illos libros, qui mihi ad primos decem libros praesto fuerunt, num. X.

IX. Lovelianus Secundus. De hoc etiam Msto ibidem egi num. XI.

X. Lovelianus Tertius codex est scriptus in pergameno, forma maiori. Est autem paullo recentior.

XI. Lovelianus Quartus codex est membranaceus, forma similiter maiori, neque etiam admodum antiquus.

XII. Lovelianus Quintus pariter codex est membranaceus, forma maiori, qui paullo tantum ante artem typographicam repertam exaratus esse videtur.

XIII. Recanatianus est codex, quem servat Ioannis Baptistae Recanati Patricii Veneti bibliotheca. Eius excerpta Vir Clarissimus atque Amicissimus Iac. Philippus D'Orvillius, quum in itinere Italico Venetias adiens ibidem moraretur, impetravit, et patriis laribus postea restitutus officiose ad me transmisit. Utrum codex ille in membranis, an in charta exaratus sit, nihil habeo, quod dicam: neque certiora de eius aetate afferre possum. Ex usu tamen mihi constitit, non inter integerrimos ac primae auctoritatis referendum esse. In multis consentiebat codici bibliothecae Bodleianae inter Laudinos, quem Hearnius consuluit, et hac nota *L. I.* indicare solitus est. Praesertim vero solus ex omnibus meis exhibuit illam periodum,

quem Hearnius ad lib. XXII. cap. XVIII. §. 5. ex Laudino primo protulit, et Dodwellus Dissertatione, [t. VII. ed. Drak. p. 182.] inserta, illustravit. Quum autem in notis ad eum locum uno verbo monuerim, Recanatianum in paucis a Laudino primo dissentire, integram nostri codicis lectionem hic ascribere in rem fore visum est. Ita igitur praefert: 'Et reparando subgressus haud magis Alifae moenia quam 'palans perveniens ex oppido bellua constā a Romanis 'erupit, quam consul vi captam, trucidatis, qui in ea con- 'stiterant, resservat ad pugnam. Sed oppidani, sicut quos 'curae pusillum inerat in diem altam umbonibus belua- 'paucos fugaces invadunt, elephantemque meliorem re- 'ceptant. Et Alifas Rufrium quondam vocitatas ab deinde 'sequente sinisteriorum augurio nomen imponunt accolae.

XIV. Vossianus est codex scriptus in membranis forma maiori, coniectus in idem volumen, in quod Vossianus primus, decem priores Livii libros continens, de quo supra egi, codices, qui mihi ad primam decada praesto fuerunt, recensens num. XVI. Est vero ultima sui parte truncatus, et, amisso unico folio, desinit in libri XXX. cap. penult. §. 6. in vocibus *risum esse*.

Ad Decada quartam opem tulerunt hi codices Msti.

GAERTNERIANUS. De hoc codice supra dixi, quum illos codices, quibus in recensenda primae librorum Livii decade usus sum, describerem num. III.

II. Harleianus est codex Honoratissimi Comitis Oxoniensis, hanc solam librorum decada continens; cuius cum vulgatis editionibus comparandi potestatem mihi impetravit Vir Celeberrimus Iacobus Philippus D'Orvillius: cuius itidem officiis nunquam satis praedicandis acceptum refero, quod Virum Nobilissimum permoverit, ut etiam reliquorum bibliothecae suae codicum excerpta mihi parari liberalissime concesserit. Dicitur autem trecentorum admodum annorum fuisse.

III. Lovelianus Primus. De hoc codice supra vidimus, quum subsidia enarrarem, quibus in decem prioribus Livii libris usus sum, num. IV.

IV. Lovelianus Secundus. De hoc etiam codice ibidem videndum est num. V. Ad finem autem libri XL. Livii, qui desinebat, ut uno excepto reliqui omnes, in lib.

eius cap. XXXVII. §. 3. verbis *per omnia fora conciliabulaque edixerunt*, sequentia ascripta inveni: 'Periit huius 'XL. libri finis, quemadmodum et ceteri omnes post hunc 'librum. Fiebat autem in hoc fine post quaedam alia 'mentio de Philippo rege, qui aegritudine animi confectus, 'quod Demetrium filium, falsis Perseï alterius filii in eum 'delationibus impulsus, veneno sustulisset, cum de poena 'Perseï cogitaret, velletque Antigonum potius amicum 'suum regni successorem relinquere, raptus e medio est. 'Perseus vero regnum excepit. Hic finem Decadis 'quartae, id est libri XL. ab urbe condita Historiae T. 'Livii Patavini ante operis eius naufragium fuisse, Guini-'fortis invenit. Deo gratias amen.'

V. Lovelianus Tertius est codex scriptus in membranis, forma maiori, seculo, ut videtur, vel tertio vel quartodecimo. Sed erat mutilus. Quaedam enim deërant ab initio, et demum incipiebat libr. XXXII. cap. VIII. §. 11. in vocibus *ipsi praesidium*. Quaedam etiam deërant a fine. Nam desinit lib. XL. cap. XXVII. §. 7. in verbis *manere iussi*.

VI. Lovelianus Quartus codex est membranaceus, forma maiori, plerumque consentiens Loveliano primo. Scriptum esse seculo quintodecimo ineunte, haec ad finem eius adiecta verba testantur: *Gerhardus Magistri Lanfranchi de Bononia scripsit MCCCCVIIII.*

VII. Lovelianus Quintus est etiam codex membranaceus, forma maiore, nata iam arte typographica exaratus. Ad calcem enim libri ascripta sunt haec verba: *Finis. pro reverendissimo Domino Cardinali Theanensi Franciscus de Tianis Pistoriensis scripsit anno Domini MCCCCLXX.* Convenit plerumque cum Loveliano secundo, et cum editionibus principibus; imprimis autem cum editione Campani, quae ex simili exemplari typis descripta esse videtur.

VIII. Lovelianus Sextus est codex chartaceus, forma maiori, ac ferme cum codice Vossiano, de quo mox num. XI. agam, convenire solet.

IX. Meadianus Primus est codex Viri Clarissimi Richardi Mead, celeberrimi apud Londinenses medici, qui scriptis et editis variis libris insigne in orbe erudito sibi nomen paravit. Eius codex hic, qui in pergameno scriptus quadringentorum admodum annorum esse dicitur, complectitur primam, tertiam, et quartam decadas librorum Livii, et in principio cuiusque libri res, quae in ipso libro describuntur, picturis exhibet. Praeterea in cuiusque Decadis initio contenta singulorum librorum praemittuntur, quibus in prima decade hic titulus appositus est: *Tabula imprimis de decem libris Titi Livii, edita a magistro*

Donato de Casentino Gramatico. Harum Decadum ultimam, ut et codicem sequentem, mei caussa cum editis conferri, Viro Celeberrimo Iac. Philippo D'Orvillio, quum studiorum ergo per Angliam peregrinaretur, deprecante possessor eius benignissime permisit.

X. MEADIANUS SECUNDUS est codex membranaceus modo laudati Richardi Mead, qui, quartam tantum Decada continens, trecentorum annorum aetatem praeferre creditur. Huius etiam Msti collationem munifice ab eius domino concessam D'Orvilii, cui tot ac tanta Livius et ego debemus, beneficio debeo.

XI. VOSSIANUS est codex chartaceus, forma maiori, qui olim pars bibliothecae Vossianae exstitit, nunc vero in bibliotheca publica Universitatis Lugduno-Batavae asservatur, continens solam decada quartam. De eo vide Catalogum Bibl. publ. Lugduno-Bat. p. 373. num. LXVI. In limine huius codicis sequentia reperiuntur: *Codex hic ex Francisci Philelfi, et imprimis amicorum. Federici Cervi nunc est, dono Petri Nasarii, militum strenui praefecti, dum Veronae esset anno MDLXXXVII.* Ad finem vero ascripta sunt: *Titi Livii liber decimus de bello Macedonico feliciter explicit amen. qui liber est mei Petri de Compostellis notarii.*

Ad Epitomas Livianas hos codices Manuscriptos adhibui.

BERGIANUS est codex chartaceus, forma maiore, quem olim possedit Nic. Heinsius, a quo pervenit ad Virum Amplissimum ac Nobilissimum Iohannem van den Bergh I. C. saepius civitatis Lugdunensis consulem, summum Rhenolandiae Praetorem, et aggerum ac viarum publicarum ea regione Praefectum, qui etiamnum possidet, eiusque usum benignissime mihi concessit.

II. BOENDERMAKERIANUS est codex membranaceus, forma maiori, olim pars bibliothecae, quam in usus suos et amicorum collegit Vir Nobilissimus Theodorus Boendermaker, S. Martini apud Traiectinos Canonicus. Hunc, praeter Epitomas Livianas etiam Plinium sive, ut vulgo vocatur, Aurelium Victorem de Viris Illustribus continentem, cum editis contulit Vir Celeberrimus Carolus Andreas Dukerus, eiusdem collegii et amicitiae vinculo mihi coniunctissimus, et benigne mecum communicavit.

III. Leidensis codex est chartaceus, forma maiori, optimae notae, cui subiuncti sunt multi alii scriptores, enumerati in Catalogo Bibl. Leid. p. 325. num. XIX. Eum cum sequentibus Vossianis ad libros editos in usum meum officiose exegit Vir Clarissimus Franciscus Oudendorpius.

IV. Lovelianus est ille codex, quem inter eos, quibus ad decada primam usus sum, num. XI. latius descripsi. Is enim praeter tres decadas librorum Livii insuper complectebatur omnium deperditorum librorum historici nostri Epitomas.

V. Vossianus est codex membranaceus recentissimus, in forma quadruplice, omnium librorum Livii Epitomas continens, qui cum omnibus reliquis bibliothecae Vossianae libris in Leidensem migravit. Eidem C. Plinius, sive Aurelius Victor, de Viris Illustribus, et alia quaedam subiunguntur. Vide Catalogum Bibl. Leid. p. 388. num. LIV. Hunc codicem in septem priorum librorum Epitomis, in quibus mihi etiam alii Vossiani ad manus fuerunt, *Vossianum primum*, postea, ubi reliqui desinunt, simpliciter *Vossianum* vocavi.

VI. VII. VIII. Vossiani secundus, tertius, quartus tres sunt codices bibliothecae nunc Lugduno-Batavae membranacei, quorum duo vetustissimi forma sunt quadruplice, unus paullo recentior forma octuplice. Hi omnes post L. Annaeum Florum nobis exhibent septem primorum Livii librorum Epitomas, et quidem duplicem ac diversam libri primi. Recensentur autem in Catalogo Bibl. Leidensis unus p. 386. num. V. alter pag. ead. num. XIV. tertius pag. 389. num. LXXVII.

Hactenus Drakenborchius. Quod vero attinet ad codicem Bambergensem, cuius magnopere fide quinta, quae vocatur, Livii decas emendata a I. T. Kreyssigio provenit, Goellerus in Epilogo suo supr. p. 327. fusius disputavit, adeo ut vix operae pretium foret plura hoc loco subiicere.

[Ed.]

Ad decada quintam codex unicus opem contulit.

VINDOBONENSIS, seu Laureshaimensis, qui hodie in bibliotheca Palatina Vindobonensi asservatur, de quo Stephanus Endlicher in Catalogo suo codicum philologicorum Latinorum in bibliotheca ista asservatorum ita disseruit.

CV. 15

H. p. 68.

"Codex manuscriptus membranaceus saeculi, ut videtur, VI. literis uncialibus sine verborum distinctione, foliorum 293. in forma octavae maiori simillima.

Titi Livii Patavini Historiarum Romanarum, Decadis V. Libri I.—V.

Ultimos hos, qui supersunt, quinque Livii libros, Simon Grynaeus ex ipso hoc codice, tunc monasterii Laureshamensis cimelio, primus edidit *Basileae, typis Frobenianis*, 1531. *fol.*

Ad nos ex arce Ambras (sub. No. 287.) delatus est. Nova eius collatione usus est I. Th. Kreyssig. in sua Livii editione *Lips. Weidm.* 1823.

Historiam codicis mirifice collustrant pauca inscriptionis vetustae vestigia fol. ult. V. '*sûtberti epi de dorostat*,' nonnullis, quae praecedebant, tribus vel quattuor vocibus iniuria temporum penitus iam detritis. Sutbertum sive Suitbertum, natione Anglum, primum in Hibernia Monachum, deinde Dacorensem in Cumbria Abbatem, tandem Frisonum Apostolum, circa ann. 693. a suis in Britannia sociis episcopum electum, atque in Anglia ordinatum fuisse, e Beda (*Hist. Eccles. V.* 12.) constat: eundem cum Willebrordo (quo Romam iter intendente Suitbertum a suis episcopum renuntiatum fuisse idem Beda testatur) Dorostadii (*Wyck de Dürestedt*) per biennium Christum praedicasse, atque in eo vico vel ditione quinquaginta duo fana dedicasse, narrat Marcellinus quidam (*in vita S. Suitberti cap.* 27.) explosus quidem a Bollandistis (*ad diem I. Martii*) testis, qui tamen caute subdunt, se ea, quae de vico Dorostad ibi referuntur, nec approbare nec reiicere velle. Pulso a barbaris episcopo et dispersis sociis,—persequitur Beda,—Pipinus locum mansionis dedit in insula Rheni, quae lingua eorum vocatur in Littore (*Caesaris*

Specimen Scripturæ Codicis Vindobonensis

cf. inf. pag. 436.



J. Kathreidt Lith.

L. postumius albinus m. popilius laenas
cum omnium primum de prouinciis
exercitibus ab senatum retulissen
licuresuirique decreuisse uniuino
uas amboque ibus eam prouinciam
obtinerent legiones binas esinguu
lis decreuere eis sociumque latinum nomen
de iam illa peditum et de equites et
uirlementum hispaniae iii. milia
peditum romanorum scriberent
et cc equites ad hoc mille et a pedi
tes romanicum centum equitibus
cc. scribi iussere cum quibus pr. cui
sardiniam obtigisset in corsicam
transgressus bellum gereret in
terim m. atilius uetus pr. prouinciam
obtinere et sardiniam praetores
deinde prouincias sortiti sunt
atilius serranus urbanam c. claudi
us asellus inter ciues et peregrins
c. fabius buteo hispaniam citerio
rem m. matienus ulteriorem m.
furius crassipes siciliam c. cicere
iussere sardiniam prius quam in magis
tratus proficiscerentur senatui
placuit l. postumium cons. ad aerarium
publicum a priuato terminandum
in campania in recuius ingente
modum possidere priuatos paula

'a s. *Kaiserswerder*) in qua ipse constructo monasterio ı clausit extremum (ann. 713.) Nihil moramur Suitıum, episcopum '*nulla sedi addictum*,' ut inquit ;ii sacri auctor [*tom. I. p.* 48.] Dorostadensem vocari, in hoc loco diutius commoratum, et plures saltim esias dedicasse, satis constet. Hinc iam coniicere fas Livianum hunc nostrum codicem, unicum quintae de- s superstitem, novo etiam sancti possessoris titulo ndum, ab ipso Suitberto ex Hibernia Dorostadum, e Caesariswerdam delatum, continuo iuxta Rhenum ere Laurishemum tandem pervenisse, unde ad Gryıum in Helvetiam, postea in arcem Ambras migravit, ım nunc ad Danubium nactus asylum."

Exemplar huius codicis ad autographi similitudinem ɔressum huic tomo praefixum est, cuius facilitatem exlentissimus et illustrissimus Dominus Mauritius Comes Dietrichstein, Bibliothecae Palatinae Praefectus, et rissimus atque eruditissimus Iosephus Baro Hammerırgstall summa humanitate amicis meis praebendam raverunt, quibus ipse animo libentissimo gratiam accepm velim.

In exemplari isto, quod initium libr. XLII. complectitur, ıimadvertendum est, pauca quaedam a versione Kreysgiana discrepare, e. g. *priusquam in magistratus proɔiscerentur*, quod in omnibus editionibus pariter, ac ;reyssigiana, *priusquam magistratus proficiscerentur* nissa praepositione exhibetur. De hoc codice fusius isputavit Petrus Lambecius supr. p. 411.

SYLLABUS CODICUM,

QUI APUD OXONIENSES ASSERVANTUR.

CODEX membranaceus insignis in quarto, olim Claromontanus, posthac Meermanianus, nuper in bibliothecam Bodleianam relatus, seculi, ut videtur, undecimi haud tamen eadem manu, charactere capetiano exaratus, aliquantulum madore corruptus et mutilatus, foliorum 175.

Continet Livii Historiarum libros decem priores; deest autem decimus a verbis 'ad collegam P. Decium poscendum. Id senectuti suae adminiculum.'—cap. 22.

Excussa est etiam quaternio octavi finem et noni libri initium complectens.

In fine libri quinti legitur literis unncialibus et rubricatis exarata notitia sequens 'Titi Livii Nichomachvs. Dextervm emendavi. ad exemplv̄ Parentis. mei Clementiam ab vrbe cond. Victorianvs emendabam. Domnis Simmachis.' Lib. V. explicit. Incipit lib. VI. [*Auct. T.* I 24.] cf. supr. p. 420.

II. Codex membranaceus in folio, seculi, ut videtur, decimi quarti exeuntis, duabus columnis nitide exaratus, et quoad literas initiales pictus et hic illic deauratus, inter codices Laudianos in bibliotheca Bodleiana asservatus, foliorum 104.

Hic codex olim ad Franciscum Barbarum Venetum Patricium, postea a°. 1525. ad Ioannem Manfredum pertinebat. Continet decem primos libros, cum notulis marginalibus instructos, necnon cum brevi argumento singulis capitibus praemisso. [*Laud. Lat.* 50.]

III. Codex membranaceus in folio maiori, seculi decimi quinti, duabus columnis exaratus, et quoad literam unius cuiusque decadis initialem illuminatus, madore corruptus, inter codices Laudianos in bibliotheca Bodleiana asservatus, foliorum 180.

Continet decem priores libros, necnon a vicesimo primo usque ad quadragesimum librum inclusive, omisso tamen tricesimo tertio; deest quoque ultima pars quadragesimi libri a vocibus 'per omnia fora conciliabulaque edixerunt.' —cap. 37. [*Laud. Lat.* 112.]

In hoc codice fragmentum exstat, quod supr. p. 275. recitatur, et de quo Henricus Dodwellus plura disseruit, quae Drakenborchius in editione sua Lugd.-Batav. 1746. tom. VII. p. 182. exhibuit 'et reparando subgressu manu 'haud magna Alisfe menia quasi palans perveniens ex 'opido bellua constracta armamentis erupit quam consul vi 'captam trucidatis qui in ea constiterant reservat ad pugnam 'sed opidani sicut quibus cura pusillum inerat in diem 'alteram umbonibus belluatis paucos fugaces invadunt 'elephantemque omine meliori receptant et Alifas Ruffium 'quondam vocitatas ab dextro sequente sinistrum augurio 'nomen imponunt accolae.' Equidem cum Kreyssigio sentio, qui haec verba spuria neque a Livii manu fuisse censet, sed qua ratione in contextum irrepserint, minime apparet. Si codicem quis adire velit, fragmentum in prima columna ll. 59—68. fol. 76. parte adversa exstat.

IV. Codex membranaceus in folio, seculi decimi quinti exeuntis, cum literis initialibus pictis et deauratis, inter codices Bodleianos asservatus, foliorum 264.

Continet decem priores libros. Habet codex iste in fronte folii primi picta anonymi cuiusdam insignia gentilitia, qui portabat in scuto aurato inter leones tres caeruleos fasciam coloris eiusdem, cui imponuntur merulae tres auratae. [*Auct. F. I.* 11.]

V. Codex membranaceus in folio a°. 1476. nitide exaratus, olim Canonicianus, nuper in bibliothecam Bodleianam advectus, foliorum 227.

Continet libros decem, scilicet a vicesimo primo usque ad tricesimum inclusive.

In fine legitur notitia sequens, 'Iohannes Franciscus 'Martius Geminianensis descripsit anno M°CCCC°LXXVI°. 'Peccioli.' [*Canon. Lat.* 296.]

VI. Codex alter membranaceus in folio, manu eiusdem Iohannis Fr. Martii exaratus, olim Canonicianus, nuper in bibliothecam Bodleianam advectus, foliorum 185.

Continet libros a tricesimo primo usque ad quadragesimum inclusive, omisso tamen libro tricesimo tertio. Desinit liber XL. cum verbis 'conciliabulaque edixerunt,' c. 37.

In fine legitur, 'Deo gratias, Iohannes Franciscus Mar-'tius Gemignanensis has decadas feliciter descripsit.' [*Canon. Lat.* 297.]

VII. Codex membranaceus in folio maiori, seculi decimi quinti exeuntis, optime exaratus, et quoad literas initiales illuminatus, olim Canonicianus, nuper in bibliothecam Bodleianam delatus, foliorum 235.

Continet decem priores libros cum praefatione. [*Canon. Lat.* 298.]

VIII. Codex membranaceus in folio maiori, seculi decimi quinti, eadem manu, qua codex praecedens, exaratus et illuminatus, olim Canonicianus, nunc in bibliotheca Bodleiana asservatus, foliorum 196.

Continet decem primos libros, necnon vicesimum primum usque ad tricesimum inclusive.

In fine legitur, 'Hoc volumine continentur prima et 'tertia Decas T. Livii clarissimi Historici quod vir clarissimus Ioannes Dedus magnus Cancellarius Venetiarum 'donavit mihi Hieronymo Bononio anno Domini MDV 'postridie Kalendas Aprilis ut constat suis ad me litteris 'allatis per Augustinum puerum suum. [*Canon. Lat.* 299.]

IX. Codex membranaceus in folio, seculi decimi quinti, nitide exaratus, olim Canonicianus, nunc in bibliotheca Bodleiana asservatus, foliorum 222.

Continet decem libros, scilicet a libro XXI°. usque ad XXX^um^. inclusive, cum notulis marginalibus hic illic instructos.

Praemissa est codici inscriptio in honorem Q. Fabii Maximi, Arretii reperta, quae in Corpore Inscriptionum Iani Gruteri exstat impressa, p. ccccvi. 7. [*Canon. Lat.* 300.]

X. Codex chartaceus in quarto, anni 1466, sumptibus Ranerii de Maschis de Arimino equestris ordinis iurisque-consulti Senarum capitanei exaratus, cuius insignia gentilitia in fronte codicis depicta sunt; olim ex bibliotheca Iani Rutgersii, postea ex dono Kenelmi Digbaei equitis aurati in bibliothecam Bodleianam delatus, foliorum 400.

Continet libros XXI. usque ad XXX. inclusive, cum notulis marginalibus instructos.

In fine legitur 'Deo Gratias. Finit emendatum cor-'rectum apostillatum rubricatum revisum et remissum per 'me Ranerium antedictum manu propria Ranerius.'

XI. Codex membranaceus in folio, seculi decimi quinti, nitide exaratus, in tria volumina distinctus, in bibliotheca Collegii Novi asservatus.

Primum volumen continet libros decem priores cum titulis rubricatis et literis initialibus pictis, necnon cum notulis marginalibus instructos, quibus praemittuntur, (*a*) 'pauca de Tito Livio' incip. 'Titus Livius inter 'ceteros cuiuscunque evi scriptores clarissimus hystorio-'graphus fuit,' (*b*) 'Epythoma libri primi' incip. 'Adventus 'Aeneae,' (*c*) 'Epythoma aliud libri primi' incip. 'Latinis 'victis montem Adventinum assignavit.' Hae duae Epy-

thomae ab Epitome solita paullum discrepant. In fine decimi libri Epitomae solitae librorum XI. usque ad XXI. inclusive subiunguntur. In fronte primi folii nomen Baronis 'Say' inscribitur. Foliorum 168.

Continet volumen secundum libros XXI. usque ad XXX. inclusive, cum lectionibus nonnullis variis in margine instructos, foliorum 116.

Tertium volumen libros XXXI. usque ad XL. complectitur, omisso tamen tricesimo tertio; deest quoque ultima pars quadragesimi cum verbis 'conciliabulaque 'edixerunt;' foliorum 111. [277. 278. 279.]

XII. Codex membranaceus in folio, anni 1458. nitide exaratus, et quoad literas initiales pictus, necnon in initio singulorum librorum illuminatus, ex dono Ricardi Ffoxi Wintoniensis Episcopi et Fundatoris, in bibliotheca Collegii Corporis Christi asservatus, foliorum 161.

Continet decem priores libros cum notulis marginalibus, haud tamen eadem manu, instructos, et cum brevi argumento singulis capitibus praefixo. Deest folium unum initium primi libri continens, qui cum verbis 'Mezen-'tiumque regem eorum' cap. 2. incipit.

In fine codicis legitur, ''Titi Livii Hystorici clarissimi ab urbe condita liber decimus et ultimus explicit per me Antonium F. notarium M°CCCC°LVIII° die vigesimo octavo mensis Aprilis, Ferrarie.' [*E.* 4. 8.]

SYLLABUS

EDITIONUM PRAECIPUARUM

TITI LIVII.

. . . . ROMAE per Conr. Sweynheym et Arn. Pannartz, cura Io. An. Episcopi Aleriensis, ex editionem hanc a se recognitam, addita praefatione quam pleraeque editiones seculo XV. et initio secul. XVI. excusae servarunt, dedicavit summo Pontifici Paulo II. Veneto, et Marco Sancti Marci Cardinali in forma maiori.

Huic editioni annus, quo prodiit, non ascribitur: antevertisse tamen annum MCCCCLXXI. eo argumento probat I. Fr. Gronovius in Praefat. quod illo anno Paulus Pontifex, cui dicatur, mortalitatem explevit. Hinc Fabric. in Bibl. Latin. eam retulit ad annum MCCCCLXX. similiterque viri Clariss. Thom. Hearne et Ioh. Clericus in Indice praecipuarum Livii editionum. Verum Clariss. Mich. Maittaire in Annal. Typograph. tom. I. p. 66. et tom. IV. p. 283. potius referendam contendit ad annum MCCCCLXIX. quia Veneta Livii editio, quae sequitur, et lucem aspexit anno MCCCCLXX. eamdem, quam haec Romana, Episcopi Aleriensis epistolam praefert, et hinc posterior, quam illa, censenda est. Aleriensis enim epistola indicat, se editioni, quae Romae excusa est, dedicandae conscriptam esse: neque facile credi potest, utramque editionem alteram Romae, alteram Venetiis eodem anno exisse. Non convenit etiam de ipsius editoris nomine. *Iohannes Antonius de Buxiis* vocatur Ughello in Ital. Sacr. tom. III. p. 503. ubi ipsi, in Ecclesia S. Petri ad Vincula sepulto, sequens epitaphium positum fuisse refertur: *Ioanni Antonio Episcopo Aleriensi, patria Viglevanensi, Sixti IV. Pontif. Max. Ref. Biblioth. Secretarioque, venerando se-*

natui ac toti Ecclesiae charo, qui fuit pietate, fide, literis insignis, de patria, parentibus, amicis, et omnibus bene meritus, Iacobus frater germanus pientiss. vix. ann. LII. mens. VI. dies II. obiit anno Iubilei M.CCCC.LXXV. prid. Non. Febr. Contra *Ioannes Andreas* vocatur apud Pomponium Infortunatum in vita Lucani, quam ex Lucani editione Romana anni MCCCCLXIX. in sua repetiit Clariss. Oudendorpius. Similiter apud Raph. Volaterr. lib. XXI. Comment. Urban. fol. 246. verso, et apud Petr. Cyrneum lib. IV. de Reb. Corsic. (quem edidit Murator. tom. XXIV. Rer. Ital. Script.) p. 490. His synchronis, aut certe aetate proximis, scriptoribus consentiunt I. Fr. Gronovius in Praefat. Liviana, et Maittaire in Annal. Typogr. tom. I. p. 43. et tom. IV. p. 112. Insuper tomo III. commentariorum Lyrani in SS. Biblia, qui ab ipso Aleriensi anno MCCCCLXXII. editi sunt, praemissa est eius epistola hoc titulo: *In tertium volumen Nicolaï de Lyra Io. Andree Alerien Episcopi Sanctissimi D. N. Papae Bibliothecarii ad Xystum. IIII. Pont. Maximum Epistola.* Quaenam virorum doctorum sententia, haec, an illa, verior sit, certius affirmare poterunt, quibus memorati Epitaphii inspiciundi copia erit. Mihi verisimilius videtur, in Epitaphio per compendium scriptum fuisse *Io. An. Episcopo Aleriensi*, quemadmodum nomen eius in multis epistolis, quas libris a se editis ipse addidit, exaratu moccurrit, ut inter alias in his, quas Livio, tum tomo I. Commentariorum Lirani in SS. Biblia, et aliis praemisit: illum vero, qui Epitaphium ex lapide descripsit, sive Ughellus, sive quis alius fuerit, inde perperam *Ioanni Antonio Episcopo Aleriensi* fecisse.

1470. Venetiis per Vindelinum Spirensem, sive de Spira, in forma maiori.

In hac editione denuo apparere epistolam Ioannis Andreae Episcopi Aleriensis, quae iam in praecedenti Romana data erat, monuit Clariss. Maittaire in Annal. Typograph. tom. I. p. 69. et tom. IV. p. 289. Ad finem huius editionis ascribitur annus MCCCCLXX. et subiiciuntur sex et quadraginta versus, quorum laudatus Maittaire priori loco sex, posteriori eosdem sex et insuper decem alios exhibuit. Eos omnes ex raro obvia editione hac, quae Lipsiae in bibliotheca Senatoria exstat, mihi descripsit Clarissimus Sachsius, quos libens lubens cum lectore communicabo. Erant autem tales:

'Proderat haud multum, LivI, abs te scripta fuisse
Maxima, si Romae facta pari eloquio:
Quae seu desidiis, alio seu crimine quovis,
Sive et temporibus cuncta fere occiderant:
Quaeque superfuerant opera, haec tam rara videri,
Ut pene ipsorum copia nulla foret.
Et VINDELINO debebis tu quoque, formis
Egregie impressit has modo qui decadas:
Atque ipsas iisdem scaevis (sic) velut hostibus acri
Bello oppugnatas fortiter eripuit.
Hac etenim studiis non tantum Romulidumve
Historiis opera, quam tibi, consuluit.
Quippe tuo hac in re cum Romae nomine iuncto,
Alterutrum servans servat utrumque simul.
Ergo tua ut perdens opera est invisus habendus,
Horum servator sic tibi amandus erit.
Magna loquar, sed vera tamen. Conferre putatur
Ad famam natos progenuisse probos.
Non parvo maiora tamen monumenta putanda
Sunt opera, excellens quae parit ingenium.
Nec vero tantum fluxi quia corporis illi
Existunt foetus, perpetui haec animi:
Verum etiam nati quia non a patribus omnes,
Sunt quibus affecti dotibus, accipiunt.
Si qua autem gravis atque ornata oratio, qualem
Cernimus esse tuam, composita extiterit:
Huic nihil est prorsus, quod non suus afferat auctor:
Sive eius formam, sive alia aspicias.
Ipse hanc effingit, polit hanc, atque induit ipse,
Ipse, anima tamquam, sensibus instituit.
An natos igitur servanti cuncta putares
Te debere, nihil haec opera eximia?
Adde, quod et perpulchra effinxit et optima, cunctis
Hoc (sic) etiam ut placeant, haec monumenta tua.
Atque tot impressit, totum his iam possit in orbem
Diffundi, atque aevum nomen in omne tuum.
Sed tua quae probitas, dignas non ambiget ullus
Quin habeas grates ipse tuo artifici,
Id superest, quando nulla est tam digna suppellex, (sic)
Quaeque tot ac tantis usibus esse queat.
Si neque iam magno sumptu magnove labore,
Sed sibi quem minimo quisque parare valet:
Historias quisquis, quisquis sua commoda curat,
Impressa haec frustra non sinat esse opera.
Verum sic etenim sua quemque industria multum
Iuverit, ipsa paret, lectitet ipsa diu.'

Hanc editionem nunquam vidisse videtur I. Fr. Gronovius; qui, quum in Franc. Robortelli Convenientia Supputationis Livianae cum marmoribus Capitolinis cap. III. et in Emendationibus lib. II. cap. LIV. memoratum vidisset librum Livii, qui a Vendelino impressus fuit anno MCCCCLXX. ex Victorini Feltrensis exemplari, hanc et praecedentem editionem unam eamdemque esse, et, qui se in calce voluminis Sweynheymum appellat, ab Italis, Germanica vocabula invertere solitis, Vendelinum vocatum fuisse credit: quum tamen Conradus Sweynheym et Arnoldus Pannartz, qui priorem impresserunt, typographiam Romae, at Vendelinus de Spira, qui posteriorem hanc edidit, eamdem artem Venetiis exercuerint. Verisimile etiam videtur, editionem Livianam, quam Augustae Vindelicorum anno MCCCCLXX. excusam Lipsiae in bibliotheca amplissimi Senatus asservari Fabricius in Biblioth. Lat. retulit, non aliam, quam hanc Venetam, esse, et nomen typographi Vendelini ei, ex quo Fabricius huius editionis notitiam nactus est, persuasisse, ut crederet, librum Augustae Vindelicorum editum esse: editionem certe eo anno in illa urbe emissam ibidem non occurrere, ex testibus fide dignis accepi. Ex eodem errore etiam Vir Doctus in vita Livii, quam Niceronius inseruit Memoriis virorum Illustrium Historiae inservientibus, tom. V. p. 177. affirmasse videtur, primam Livii editionem esse, quae Augustae Vindelicorum anno MCCCCLXX. in forma maiori prodiit.

1471. Romae per Udalricum Gallum, studio Ioannis Antonii Campani, cuius praefatio ad Cardinalem Papiensem praemittitur, tribus voluminibus, in forma maiore.

Huic editioni annum ascriptum non fuisse, testatur Clariss. Maittaire in Annal. Typogr. tom. I. p. 72. Ipse non nisi quarta decade, sive libro XXXI. et sequentibus, usus sum beneficio Illustrissimi Lovelii, et huius partis fini nullum etiam annum ascriptum vidi, sed hos tantum sex versus, qui, teste Meyero in Annal. Flandr. ad annum MCCCCXL. p. m. 297. Antonium Campanum auctorem habuerunt.

'Anser Tarpeii custos Iovis, unde, quod alis
Constreperes, Gallus decidit, ultor adest.

Vuldricus Gallus, ne quem poscantur in usum,
Edocuit pennis nil opus esse tuis.
Imprimit ille die, quantum non scribitur anno:
Ingenio, haud noceas, omnia vincit homo.
Campanus.'

Eosdem versus etiam fini primi voluminis exstare testatur Maittaire ibid. tom. IV. p. 292. Contra Thom. Hearne et Ioh. Clericus eam ad annum 1472 referunt: sed I. Fr. Gronovius in Praefatione ex bibliothecae regiae, quae Parisiis est, indice monet, decada primam anno MCCCCLXXI. tertiam et quartam anno MCCCCLXXII. lucem vidisse. Vide etiam Maittaire loc. laud. qui testem huius rei advocat Fabric. in Bibl. Lat. lib. I. cap. XI. editionis annorum 1712 et 1721.

1472. Romae per Conradum Sweynheym et Arnoldum Pannartz, in forma maiore.

Ad finem Livii hi versus legebantur:

Aspicis, illustris lector, quicumque libellos,
Si cupis artificum nomina nosse, lege.
Aspera ridebis cognomina Teutona, forsan
Mitiget ars Musis inscia verba virûm.
Conradus Suuenheym Arnoldus Pannartzque magistri
Romae impresserunt talia multa simul.

In domo Petri de Maximis M.CCCC.LXXII. die XIV. Iulii. Hanc editionem ex Illustrissimi Lovelii bibliotheca utendam accepi.

1478. Mediolani per Philippum de Lavagnia in forma maiore.

1480. Mediolani per Antonium Zarothum, in forma maiore.

In fine huius editionis, quam adhibui, ascripta erant haec verba: 'Has tris Titi Livii decadas Petrus Iustinus Philelfus, ut amicis quibusdam suis morem gereret, quam diligentissime recognovit. Impressit autem Mediolani opifex consummatissimus Antonius Zarothus, opera et impensis Iohannis Legnani, decimo Kalendas Novembres: regnantibus illustrissimis Mediolani ducibus Bona, et Ioanne Galeacio Maria Sphortia, anno a natali Christiano millesimo quadringentesimo octogesimo.'

1480. - - - - - - per Michaëlem Manzolinum Parmensem, in forma maiore.

In fine huius editionis, qua ex munificentia Illustrissimi Lovelii usus sum, haec ascripta inveni: 'Titi 'Livii Patavini historici illustris decadis quartae libri 'finiunt, quos Michaël Manzolinus Parmensis ductu, 'impensa, solertique diligentia viventibus posterisque 'imprimi curavit anno salutis M.CCCC.LXXX. 'pridie Calendas Novembres.' Locus, ubi liber impressus est, non additur. Monet autem Maittaire in Annal. Typograph. tom. IV. p. 406. librum impressum quidem esse a typographo Parmensi, non tamen, ut Orland. p. 148. putabat, Parmae; putat autem eum deceptum esse a Cornelio Beughemio p. 85. quem saepius describere solet. Eodem errore ego etiam ubique hanc editionem in notis Parmensem vocavi, perperam ad id inductus, quod Manzolinus se Parmensem dixerit. Verum postea ex Clariss. Maittaire Annal. Typograph. tom. I. p. 84. et tom. IV. p. 235. didici, Michaëlem Manzolinum Parmensem typographiam Tarvisii exercuisse, ibidemque ab anno MCCCCLXXVII. ad annum MCCCCLXXXI. varios libros emisisse. Quam igitur in notis editionem Parmensem vocavi, Tarvisina prima; quam vero Tarvisinam primam et secundam, Tarvisina secunda et quarta dicendae erant. Parmensem tamen editionem huius anni MCCCCLXXX. a Melchiore Suessa excusam memorat Fabricius in Bibliotheca Latina lib. I. cap. XI. testatus se eius notitiam ex Beughemio accepisse. Sed perperam. Nullus enim Melchior Suessa sive Sessa inter typographos seculo XV. sive anno MXXD. memoratur, sed demum occurrit anno MDVIII. qui sibi anno MDXVII. socium adscivit Petrum de Ravanis, et cum eo Livium anno MDXX. Venetiis edidit, ut inferius suo loco videndum erit.

1481. Parisiis, in forma maiore.

Hanc editionem memorat Maittaire Annalium Typogr. tom. V. part. II. p. 532.

1482. Tarvisii per Iohannem Vercellium, in forma maiori.

Ad calcem huius editionis sequentia adiecta invenio: 'Has Titi Livii decadas, a Luca Porro quam 'diligentissime recognitas, Tarvisii Iohannes Vercellius 'impressit Anno salutis millesimo quadringentesimo 'octogesimo secundo.' Hanc editionem ubique in notis Tarvisinam primam perperam vocavi, quum Tarvisina secunda dicenda fuisset. Vide, quae de editione praecedente dicta sunt.

1483. - - - - - - per Michaëlem Manzolinum Parmensem, in forma maiore.

Hanc editionem ex bibliotheca Hohendorfiana laudat Maittaire Annal. Typogr. tom. IV. p. 450. Ex illis autem, quae ad similem editionem, anno MCCCCLXXX. excusam, dixi, constat, hanc etiam impressam fuisse Tarvisii. Ita fuit Tarvisina tertia.

1485. Tarvisii per Iohannem Vercellensem, in forma maiore.

Hanc etiam editionem a Luca Porro recognitam esse, ex illis, quae ad finem libri subiiciuntur, constat. Eam usibus meis commodavit Vir Clarissimus Sigebertus Havercampius; quam male in notis Tarvisinam secundam pro quarta a me appellatam esse, praecedentibus consequens est. Alibi etiam memoratam inveni editionem T. Livii Tarvisinam ex recognitione Lucae typis Iohannis Vercellensis anno MCCCCXCV. sed annum illum operarum errore pro anno MCCCLXXXV. datum esse verisimile est. Certe Maittaire recentiorem hanc in Annal. Typogr. non memoravit, neque etiam Iohannes Vercellensis anno MCCCCXCV. Tarvisii typographium exercuisse videtur.

1485. Parisiis, forma maiore.

Hanc editionem memorat Maittaire in Annal. Typogr. tom. V. p. II. p. 532.

1491. Venetiis cum Annotationibus Sabellici, in forma maiore.

Hanc editionem ex Fabricii Bibliotheca Latina memorat Maittaire in Annal. Typograph. tom. I. p. 309. Sed tom. IV. p. 532. addit, ad eius calcem hanc formulam adiectam esse: 'Impress. die V. 'Novembris, M.CCCC.LXXXXI. regnante Augu-'tino Barbadico duce Venetiarum.' Cuius vero typis excusa fuerit, neutro loco memoratur. Ipse Sabellicus in praefatione refert, se Livium ad vetustum exemplar, ex bibliotheca Benedicti Cornarii Patricii Veneti depromptum, contulisse, petente Bernardino Herasmio Novocomensi, homine fide et industria singulari, ut clarissimam historiam aliquanto integriorem novae impressioni subiiceret. Verum licet plures circa annum hunc typographi Bernardini Venetiis floruerint, nullus tamen memoratur Benardinus Herasmius Novocomensis.

1492. Venetiis, in forma maiore.

Haec editio ex bibliotheca Adr. Pauw recensetur

apud Maittaire in Annal. Typogr. tom. I. p. 314. et tom. IV. p. 545. Suspicio tamen est, hanc et praecedentem eamdem esse, earumque alteram, et quidem hanc, ex solo operarum errore natam esse.

93. Venetiis per Mattheum Capcasa Parmensem, in forma maiore.

Maittaire in Annal. Typogr. tom. V. part II. p. 23. editionem hanc memoravit ex Orland. p. 418.

95. Mediolani per Uldericum Scinzenzeller, impensis Alexandri Minutiani, in forma maiore.

Editionem hanc memorans Maittaire in Annal. Typogr. tom. I. p. 332. et tom. IV. p. 590. testatur, ad finem eius legi haec verba: 'Impressit Uldericus 'Sinzenzeler impensis Alexandri Minutiani; ex quam 'emendato exemplari, si cum ceteris conferes, quam 'facillime intelliges, candidissime lector; cui etiam 'librariorum culpam, quantum licuit, idem Alexander 'praestare conatus est, Mediolani pridie quam Lud. 'M. SF. Anglus princeps sapientissimus huius incliti 'imperii sceptrum et ducalia insignia a Maximiliano 'imperatore per legatum acciperet. Anno salutis 'M.CCCC.LXXXXV. die XXV. Maii.

495. Venetiis per Philippum Pincium Mantuanum, in forma maiori.

In hac editione repetuntur 'M. Antonii Sabellici 'brevissimae in Livium annotationes, locis suo ordine 'aut in integrum restitutis, aut in fronte, ne quid 'temere offenderetur, brevi indice relictis.' Iis autem praemittitur ipsius Sabellici praefatio 'ad Magnificum 'et praestantem virum Benedictum Cornarium Pa-'tricium Venetum.' Ad finem libri haec verba subiuncta video: 'T. Livii Patavini decades expli-'ciunt, Venetiis per Philippum Pincium Mantuanum 'summa cura et diligenti studio impressae. Anno ab 'Incarnatione Domini M.CCCC.XCV.III. Nonas 'Novembris, Imperante Serenissimo Augustino Bar-'badico, Venetiarum duce felicissimo.'

1498. Venetiis per Bartholomaeum de Zanis de Portesio, in forma maiore.

Recensuit hanc editionem Maittaire in Annal. Typogr. tom. I. p. 353. et tom IV. p. 662. addens, eam sine notis prodiisse. Eadem servatur in bibliotheca Traiectina, unde utendam accepi, ac didici, in ea repetitas fuisse Sabellici Annotationes. Ad calcem eius libri haec ascribuntur verba: 'T. Livii Patavini 'decades expliciunt, Venetiis per Bartholomeum de 'Zanis de Portesio summa cura et diligenti studio

'impressae. Anno ab Incarnatione Domini 1498. die
'XX. Iunii.'

1501. Venetiis per Georgium de Rusconibus Mediolanensem, in forma maiori.

Hanc editionem, quae in locupletissima bibliotheca Leidensi exstat, eadem continere, quae ambae praecedentes, amice me monuit Clariss. Oudendorpius, qui eam mei caussa examinavit. Ex eodem libro ad finem eius hanc temporis, quo lucem aspexit, et typographi notitiam reperiri: 'Titi Livii Patavi-
'decades expliciunt, Venetiis per Georgium de Rus-
'conibus Mediolanensem summa cura et diligentia
'studio impressae, anno ab Incarnatione Domini 1501.
'die 4. Decembris.'

. . . . . apud Alexandrum Minutianum, in forma maiore.

Huic editioni praefixa Minutiani epistola data ex Mediolani Idib. Sept. 1505. ad finem autem libri hunc temporis characterem inveni: 'Apud Alexan-
'drum Minutianum Nonis Quintilibus men. Iulii.' Ex his editionem illam referendam puto ad annum MDV. ac verisimile videtur, excusam esse Mediolani. In ea enim urbe Minutianus tabernam librariam etiam seculo praecedente exeunte exercuit, et impensas in editionem Livii, quae anno MCCCCXCV. in ea urbe prodiit, contulit, ut supra vidimus. Ipse etiam hoc seculo XVI. ineunte ibidem varios libros typis impressit. Anno MDII. Iustinum. Vide Maittaire Annal. Typogr. tom. II. p. 156. Anno MDIII. Bernardi Corii Historiam Mediolanensem. Vide Maittaire ibid. p. 163. et 165. Anno MDXIII. Iosephi opera Latine, et Egesippum. Vide, Maittaire ibid. p. 247. Livium hunc a se editum Minutianus dedicavit Iaffredo Carolo Iurisconsultissimo, Delphinatus ac Mediolanensis senatus Praesidi sapientissimo, testatus, 'se non imitatum esse eorum temeritatem,
'qui, ut scire videantur, omnia corrigere ac emendare
'profitentur: sed quae sibi aut dubia aut obscura visa
'fuerunt, ea se intentata reliquisse, ut per pristina
'dictionum aliqua vestigia vera et sincera lectio in-
'vestigari possit.' Verum ut pateat, quid de hoc sive editore, sive typographo sentiendum sit, ascribam locum, licet paullo longiorem, ex Parrhasii Epistola qua Commentarium in Claudiani libros de Raptu Proserpinae eidem Iaffredo Carolo dedicat. Ita inquit: 'Non est (ne nobis blandiamur) hodie, non
'est Horatio bene monenti parere, scriptaque vel in

'paucos menses, nedum (quod illi placet) in annos
'novem comprimere, nisi laboris sui fructu fraudari
'quis velit. Adsunt enim ignavissimi quidam fuci, qui
'favis alienisque mellificationibus insidiantur: et quae
'multo longoque studio comperta sunt ab aliis, impu-
'dentissime pro suis ostentant. Ut iste vix satis
'idoneus impressor, qui castigationes in Livium meas
'ex magna parte subripere, tibique nuncupatim dicare
'non erubuit: in quo non minus existimationi tuae,
'quam mihi, fecit iniuriam, quasi vero divinus tuus
'animus interceptis gaudeat rebus, et in hoc etiam
'Superos non imitetur, quibus (ut Porphyrius auctor
'est) furta non litant. Ego, vir integerrime, triennio
'iam Livii bellum Macedonicum, frequenti professus
'auditorio, singulis lectionibus emendavi, quod ante
'nos (absit verbo invidia) nemo tentavit: ostendique
'certissimis argumentis, ab eo, quam dixi, decada
'depravatam locis amplius mille. Veritus itaque, ne
'sua laniena per nos in publicum proderetur, editione
'praevenire festinavit: eamque rem dissimulanter me
'laturum speravit, si sub umbra tui nominis emitte-
'rentur: ac si non eadem gratiora tibi futura sint a
'proprio iustoque domino, quam ab inverecundo pla-
'giario. Quum praesertim nusquam ille protuerit
'afferre correctionis alienae rationem, quod nos inter
'legendum fecimus, quae propediem sub tuis auspiciis
'exhibit in publicum, sex in toto Livio vulnerum mil-
'libus a me curatis aut splene contectis.'

506. Venetiis, per fratres Ioannem et Bernardinum Vercellenses, in forma maiori.

Hanc editionem, a Maittaire tom. V. Annal. Typogr. part. II. p. 21. recensitam, et a Fabric. in Bibl. Latina ex Graevii bibliotheca memoratum, possideo. Exhibet autem simul Sabellici in Livium annotationes, omissa tamen eius ad Cornarium Praefatione. Ad finem libri haec leguntur: 'T. Livii 'Patavini decades expliciunt, Venetiis per Ioannem 'ac Bernardinum eius fratrem Vercellenses summa 'cura et diligenti studio impressae, anno Domini 'M.CCCCC.VI. XXVII. Nonas Ianuarii imperante 'Serenissimo Leonardo Lauridano Venetiarum duce 'felicissimo.'

1510. Parisiis impensis Iohannis Parvi et Ascensii, in forma maiore.

Hanc editionem, a Maittaire in Annal. Typogr. tom. II. p. 216. memoratam, possideo. Ei autem praefigitur Iodoci Badii Ascensii epistola ad Georgium

Aloïnum, hanc temporis notam praeferens: 'Ex 'Chalcographia nostra apud Parrhisios, pridie anno- 'tiationis atque incarnationis dominicae M.D.XI' Praeterea Sabellici in Livium Annotationes, deficiente tamen eius ad Cornarium praefatione, tum ipsius Badii Ascensii in Livianam lectionem Isagoge cum prooemii primi expositione. Ad calcem editionis haec verba reperiuntur: 'Diligentiore cura, in aedibus 'Ascensianis, in illustri Parrhisiorum Academia, im- 'pensis Ioannis Parvi et ipsius Ascensii. Anno salu- tis Christianae M.D.X. ad Idus Martias.'

1511. Venetiis per Philippum Pincium Mantuanum, in forma maiore.

Hanc editionem, a Maittaire in Annal. Typographicis omissam, servat bibliotheca publica Amstelodamensis. Ad eius autem calcem hanc subscriptionem legi, Vir Clarissimus Petrus Burmannus, Historiarum Eloquentiae et Poëseos ibidem Professor meritissimus me monuit: 'T. Livii decades feliciter explicium- 'Venetiis a Philippo Pincio Mantuano impressae 'anno Domini MCCCCCXI. die XVII. Septembr. 'incliti domini, Domini Leonardi Lauredani Vene- 'tiarum ducis tempestate.'

1511. Parisiis apud Badium Ascensium, in forma octuplice.

Hanc editionem primam fuisse censet I. Fr. Gronovius in praef. quae hac forma contracta, charta ὀκταπτύχῳ, prodiit. Neque aliam ea antiquorem vidi. Testatur autem se non ipsam editionem, sed tantum specimen vidisse, dissimulato loco et tempore, quo prodiit, unam utriusque notam praeferens Augustini Becharii Sacerdotis ad studiosos alloquium: unde etiam passim in notis Becharii nomine eam laudat. Suspicabatur insuper, non multo seriorem, si non antiquiorem, esse ea, quem Georgius de Rusconibus Mediolanensis anno MCCCCCI. Venetiis procuravit. Verum eamdem rectius recensuit Fabr. in Bibl. Latina, ac testatus est, prodiisse Parisiis apud Badium Ascensium anno MCCCCCXI. ex Sabellici recognitione cum Augustini Becharii ad studiosos alloquio. Eam a Maittaire in Annal. Typographicis memorari, reperire non potui.

1513. Parisiis apud Badium Ascensium, in forma maiore.

In hac editione, quam etiam Maittaire in Annal. Typographicis omisisse videtur, continentur eadem omnia, quae in antea memorata anni MDX. exstabant; ita tamen, ut Ascensii in Livianam lectionem

Isagoge auctior prodierit, et insuper addatur vocabulorum Livianorum compendiaria explanatio. Praeterea, contextum Livianum cum decem diversae monetae aut scripturae codicibus collatum esse, nova Ascensii Praefatio priori subiecta docet, quae hanc notam Chronologicam praeferebat: 'Pridie natalis 'Dominici M.D.XIII.' In calce vero libri haec formula ascripta reperitur: 'Ex aedibus Ascensianis 'longe accuratiore, quam pridem, vigilantia, collato 'videlicet exemplari cum decem venerandae vetustatis 'codicibus, et non oscitantis iudicio recognito, atque 'plus quam sexcentis locis illustrato, in illustri Parri-'siorum Academia, impensis Iohannis Parvi, et 'ipsius, qui impressit, Ascensii, anno redemptionis 'humanae M.D.XIII. ad Nonas Decembres.'

16. Parisiis ex aedibus Ascensianis, in forma maiore.

Haec editio, quam itidem Maittaire in Annal. Typographicis non recensuit, eadem omnia exhibet, quae proxime praecedens, eique quam simillima est, adeo ut utraque totidem foliis absolvatur. Non tamen propterea existimandum est, eam tantum fraude, bibliopolis nostris hodie admodum frequenti, se a priori diversam esse mentiri. Plura enim exstant indicia, unde colligi potest, eam hoc anno revera totam iterum excusam esse. Titulus enim praecedentis editionis exhibet signum, quo Iohannes Parvus, sive Petit, quem Ascensius artis suae socium adsumpserat, uti solitus erat; nempe duos Leones, scutum lilio et literis I. P. inscriptum sustinentes, adiecto subtus nomine eius, JEHAN PETIT. Huius contra titulus praefert binos Leones, scutum bipartitum sustinentes, cuius superiori parte conspiciuntur tres coronae, aequali ordine aliae ad latus aliarum dispositae, pars autem inferior pellis murinae imaginem imitatur, addito subtus nomine LODOVICUS HORNKEN. Deinde in priori editione haec verba sub descripto signo leguntur: 'vaenundantur ab Iohanne Parvo et 'Iodoco Badio Ascensio;' in posteriori autem haec: 'vaenūdantur ab Gotfrido Hittorpio.' Insuper formula ad finem huius editionis addita in quibusdam differt ab illa, quam praecedenti adiectam esse modo vidimus. In hac enim ultima eius pars his verbis concipitur: 'in illustri Parrhisiorum academia, rursus 'opera et accuratione Ascensiana, anno redemptionis 'humanae M.D.XVI. ad Nonas Iunias.' Denique ex toto passim contextu Liviano duas diversas editiones esse clarissime elucet. Quamvis enim posterioris

paginae illis prioris ferme semper respondeant, nulla tamen earum est, in qua non aliquot occurrant versus qui in hac editione vel plures vel pauciores, quam in illa, literis contineant: in qua non itidem plures voces reperiantur, quae in hac editione per quaedam scribendi compendia, in illa vero omnibus literis exarantur.

1518. Moguntiae apud Iohannem Schesser, in forma vel maiori.

1519. Ad finem librorum Livii haec temporis nota a typographo ascripta est: 'Moguntiae in aedibus Ioannis 'Scheffer, mense Novembri anno MDXVIII.' Praemissum Imperatoris Maximiliani privilegium datum est 'die nona mensis Decembris an. M. D. XVIII' Sed Erasmi Praefatio VII. Cal. Mart. an. M. D. XIX. et Nicolaï Carbachii Praefatio Idibus Martiis M. D. XIX. In hac editione, post Imperatoris Maximiliani privilegium, continentur primo Ulrichi Hutteni equitis Praefatio ad Albertum Brandenburgensem, Cardinalem, Archiepiscopum Moguntinum et Magdeburgensem, principem Electorem; tum Erasmi ad Misobarbaros atque eosdem Philomusos Praefatio, quam utramque supra dedi hoc tomo p. 266. et viri docti memoratu dignam iudicant, quoniam illi, qui Moguntiam artis typographicae inventricem venditant, ex illis etiam sententiam firmare soleant. Post indicem deinde in Livium eiusque epitomas, et consules in Livio et epitomis occurrentes, ordine Chronologico dispositos, sequuntur epitomae Livianae et ipsius Livii contextus. Admodum autem memorabilis est haec editio, quia prima omnium exhibuit maximam partem libri XXXIII. a cap. XVII. §. 6. usque ad libri istius finem, qui integer antea pro deperdito habitus est, et ultimam partem lib. XL. a cap. XXXVII. §. 3. usque ad finem: quae operis Liviani particulae in lucem protractae sunt ex bibliothecae Moguntinae, quae in aede maxima ac metropolitana est, perquam vetusto codice, characteribus Longobardicis in membrana scripto. Quum autem codex ille, omnium huius partis praestantissimus, qui partem lib. XXXIII. ultimam et libros sequentes usque ad finem libri XL. continebat, passim a vulgata priorum editionum lectione diversus abiret, Nic. Carbachius eum dignum esse censuit, quem diligenter cum olim excusis committeret, eiusque excerptas variantes huic Livii editioni subiiceret, praemissa Praefatione, qua consilii rationem reddidit. Eo autem facto optime de Livio

meritus est, atque hunc thesaurum, aut certe eius partem, nobis servavit; qui utrum hodie adhuc supersit, aut ubi lateat, incertum est.

8. Venetiis apud Aldum quinque tomis, in forma oc-
9. octuplice.

0. Primus tomus continet decem primos Livii libros,
1. ad cuius calcem haec adiecta sunt: et 'Venetiis in
: 'aedibus Aldi, et Andreae soceri, mense Decembri,
3. M. D. XVIII.' Secundus bellum Punicum secundum: ad finem autem haec nota chronologica ascripta est: 'Venetiis in aedibus Aldi, et Andrae soceri, 'mense Februario. M.D.XIX.' Tertius quartum librorum decada, hac ad finem addita subscriptione: 'Venetiis in aedibus Aldi, et Andreae soceri, 'meusi Novembri. M. D. XX.' Quartus complectitur primo omnium decadum epitomas, licet cuique superstitum librorum Livii, qui praecedentibus tomis exhibentur, sua praefigatur epitome; secundo L. Florum; tertio Polybii Historiarum libros quinque, Nicolao Perotto interprete in linguam Latinam conversos. Ad finem tandem tomi exstat haec temporis nota: 'Venetiis in aedibus Aldi, et Andreae soceri, 'mense Martio. M. D. XXI.' Quum postea liber Livii quadragesimus primus et quattuor sequentes, sive eorum fragmenta, ex bibliothecarum tenebris eruti et in apertam lucem protracti essent, haeredes Aldi, ne quid editioni suae deesset, recens publicatos Livii libros ipsi quoque typis suis descripserunt, et quattuor prioribus tomis quintum hunc, quasi appendicem, addiderunt. Eius fini subiecta est haec temporis nota: 'Venetiis in aedibus haeredum Aldi 'Manutii Romani, et Andreae Asulani soceri, mense Maio. M. D. XXXIII.' Quinque hi tomi, suo quisque anno, memorantur apud Maittaire in Annal. Typograph. tom. II. p. 316. 335. 598. 613. et 787. Huius editionis quartus tomus hodie plerumque a reliquis dividitur, et quasi huc non pertinens separatim memoratur; quum tamen titulus, qui tomo primo praefigitur, illa, quae toto opere continebantur, exhibens, etiam tomo quarto inserta nominatim memoret. Is autem titulus ei appositus est, si non quum tomus primus ederetur, certe quum quartus prodiret, antequam quintus adderetur; cuius nulla ibi mentio occurrit.

1520. Venetiis, in forma maiori.

Hanc editionem, quam me umquam videre non memini, memorat Maittaire in Annal. Typograph.

tom. II. p. 598. eamque excusam esse dicit per Melchiorem Sessam et Petrum de Ravanis socios, die II. Maii. Eamdem neque Hearnius, neque Clericus memorarunt. Editionem Venetam huius anni, in forma maiori ab Aldo excusam, memorat Catalogus Henr. Hadr. van der Marck toparchae in Leur p. 21. Eius tamen apud alios mentionem nondum reperi.

1521. Venetiis apud Aldum, in forma maiore.

Hanc editionem recensent Hearnius et Clericus Gesneri Catalogum librorum, qui in officina Aldi Manutii Venetiis excusi sunt, tom. III. Annal. Typogr. inseruit Maittaire, in quo p. 245. memoratur Livii omnia, accurate denuo impressa, in folio (152?). Occurrit etiam in modo laudato Catalogo Henr. Hadr van der Marck, ubi p. 21. inter editiones Aldinas in folio hoc titulo, qui forte ex ipso libro petitus est, describitur: 'Ex XIV. T. Livii decadibus prima, 'tertia, quarta; duplex epitome, altera a T. Livio, 'altera a L. Floro; Polybii libri V. de rebus Romanis 'in Latinum a Nic. Perotto, quos in locum secundae 'decadis substituimus, quia multa in illis leguntur, 'quae secunda decade continebantur. Venet. apud 'Aldum 1521.

1522. Florentiae apud haeredes Philippi Iuntae, forma et octuplice.

1532. Hanc editionem habuit et consuluit I. Fr. Gronovius, qui in Praefatione testatur, eam per Aldina vestigia incessisse, carmine etiam in laudem Asulani praeposito. Eamdem recensuit etiam Maittaire in Annal. Typograph. tom. V. part II. p. 22. qui docet, singulis tomis, decadas primam, tertiam et quartam continentibus, ad calcem adiectam esse hanc formulam: 'Florentiae per haeredes Philippi Iuntae M. D. XXII. 'septimo Idus Augusti.' Postea vero repertos quintae decadis priores quinque libros, sive eorum fragmenta, itidem ex Iuntarum officina prodiisse, hac subscriptione ad finem addita: 'impress. Florentiae in aedibus 'Bernardi Iuntae, anno XXXII. supra M. et D. 'duodecimo Cal. Maias.'

1525. Coloniae apud Ioannem Soterem, in forma maiore.

Huius editionis titulus testatur, Livii libros triginta, qui soli ex centum quadraginta supersunt, auctore Iacobo Sobio, castigatiores, quam ante hac umquam visi sunt, prodire anno M. D. XXV. mense Septemb. Dedicatio Sobii subscriptas praefert 'Calendas Septembres ann. Domini M. D. XXV.' Denique ad calcem libri haec verba adiecta exstant:

'Coloniae apud Io. Soterem, impensis honesti civis 'Petri Quentel anno MDXXV. mense Augusto.' Sobium, Livii editorem, laudans Sturmius in Epist. dedicator. ante tom. II. Orat. Ciceronis dicit, Coloniae literas floruisse, quum in ea Sobius aliique docerent, Sobium vero tunc vim morbi abstulisse. Editionem hanc Livianam, quam curavit Sobius, ut ceteris castigatiorem laudat Rhenanus ad Livii lib. XXVII. cap. XVI. §. 10. et ad cap. XVII. §. 11. Eius coniecturam, quam in contextum recepit, quamvis praeter Mstorum auctoritatem, nihilominus ut ingeniosam praedicat Gruter. ad Livii lib. I. cap. XXIII. §. 6. Perperam Fabricius in Bibl. Latin. editionem hanc Basileensem vocavit, dicens Livium anno MDXXV. Basileae ex Iacobi Sobii castigatione prodiisse.

27. Parisiis apud Petrum Vidovaeum, in forma maiore.

Hanc editionem recensuit Maittaire in Annal. Typogr. tom. II. p. 688. ac testatur, eam venumdatam fuisse a Ioanne Parvo, bibliopola ascriptitio, impressam vero a Petro Vidovaeo mense Aprili, M.D.XXVII.

528. Coloniae apud Eucharium Cervicornum, in forma maiore.

Huic editioni locus, ubi prodiit, ascriptus non apparet, sed tantum excusus esse dicitur ab Euchario Cervicorno. Eum vero chalcographiam et ante et post annum MDXXVIII. Coloniae exercuisse, ibique varios libros Godefrido Hittorpio, civi et bibliopolae Coloniensi, typis suis descripsisse constat. Maittaire ullam huius editionis mentionem in Annal. Typograph. fecisse non memini, quam tamen memorarunt Fabricius in Bibl. Latin. et Hearnius ac Clericus in Indice editionum Livianarum. Eamdem tantum se vidisse, sed consulere non potuisse, I. Fr. Gronovius in Praefatione testatur.

1529. Parisiis apud Nicolaum Savetier, in forma maiore.

Hanc editionem recensuit Maittaire in Annal. Typogr. tom. II. p. 721. et auctor est, ei hanc notam additam esse: 'Veneunt in aedibus Ambrosii 'Girault, in vico Divi Iacobi, sub insigni regis David, 'imprimebat Nicolaus Savetier, mense Aprili 1529.' Contra eius exemplaris, quod oculis meis subiectum est, initio haec ascripta vidi: 'Vaeneunt in Clauso 'Brunelli apud Nicolaum Crespin, sub signo Divae 'Catharinae;' ad eius finem vero sequentia: 'Impri-'mebat Nicolaus Savetier mense Aprili 1529.' Hinc

colligo, vel Nicolaum Savetier Livium, suis impensis excusum, distrahendum dedisse duobus bibliopolis, Ambrosio Girault, et Nicolao Crespin; vel ambos illos, inita societate, Livium opera Savetierii imprimi curasse, et quemque eorum recepta exemplaria suis nominibus notasse. Editionem hanc Levescatius curasse, I. Fr. Gronovius in Praef. Fabricius in Biblioth. Latin. et Hearnius ac Clericus in Indice Editt. Liv. testantur. Certe eius Dedicatio ad Iob. de Tartas I. U. consultissimum in capite huius editionis exstat. Vix tamen aliquid se suo contulit, sed ubique ferme editionem Ascensianam anni MDXIII. vel anni MDXVI. secutus est, et lectiones illis solis proprias adoptavit.

1530. Parisiis apud Badium Ascensium, in forma maiore.

In titulo libri haec nota conspicitur: 'Venundantur ipsi Ascensio. 1530.' Dedicationis subscriptio his verbis concipitur. 'E Chalcographia nostra apud Parrhisios rursum ad sextum Calendas Novemb. M. D. XXX.' Ad finem autem libri XI. haec formula additur. 'Sub prelo Ascensiano ad VI. Cal. Novemb. 1530.' Quum autem anno sequenti MDXXXI. Simon Grynaeus quinque postremos Livii libros, a se in Msto vetusto repertos, opera Frobenii primum Basileae edidisset, mox eodem adhuc anno Ascensius non modo recens inventos ac publicatos Livii libros typis suis Parisiis descripsit, hoc temporis charactere post libri XLV. finem addito: 'Sub prelo Ascensiano anno M. D. XXXI. mense Iulio:' verum etiam Chronologiam Glareani, quae in eadem editione Basileensi primum lucem aspexit, in ordinem literarum digessit, ac libro XLV. subiecit, addita hac subscriptione: 'Sub praelo Ascensiano ad Idus Iulias Anno M. D. XXXI. Insuper editio haec eadem omnia complectitur, quae editiones priores Ascensianas annorum MDXIII. et MDXVI. continere antea suo loco dixi.

1531. Basileae apud Frobenium, in forma maiore.

Titulus splendidae huius editionis testatur, librum excusum esse 'Basileae in officina Frobeniana mense Martio anno M. D. XXXI.' Apposita Erasmi ad Carolum Montioium Praefatio data est 'apud Friburgum Brisgoiae, Calen. Martiis anno M. D. XXXI.' Praefationem eius excipiunt decades Livii prima, tertia, et quarta, ac cuique earum praefixae librorum, quas continent, Epitomae: hinc decadis quintae libri quinque priores: quos nunc primum typis excusos

Grynaeus ex vetusto monasterii Laurishaimensis codice in apricam lucem protulit. De hoc codice Erasmus in memorata ad Montioium Praefatione, superius hoc tomo in Sylloge variarum Praefationum p. 270. a me edita, egit. Libro ultimo, sive XLV. iterum subiicitur, libros hos editos esse 'Basileae, in 'officina Frobeniana, per Hieronymum Frob. Io. 'Hervagium, et Nicolaum Episcopium, MDXXXI.' Tum sequuntur omnium Livii librorum, et superstitum, et deperditorum, Epitomae; postea Indices in libros Livii: ad quorum calcem apponitur Allocutio ad Lectorem; qua, quantum iniuria temporis ex recens editis quinque posterioribus Livii libris deperditum fit, accurata diligentia docemur: quam descriptionem, in hac sola editione obviam, et in Lambeciana codicis Laurishaimensis notitia, ex eius Bibliotheca Vindobonensi hoc tomo p. 441. [tom. VII. ed. Drak. p. 223] recusa, omissam, supplementi loco eidem subiunxi. Tandem ultimo loco in editione hac Basileensi sequitur Glareani Chronologia in omnes Livii decadas, ab urbe condita in sextum Tiberii Caesaris annum, praefixo iterum novo titulo; cui itidem, ut et eius calci, additur, Chronologiam hanc editam esse 'Basileae ex officina Frobeniana, anno 'M.D.XXXI. mense Martio.'

532. Venetiis apud Lucam Antonium Iuntam, in forma maiore.

Innotuit mihi haec editio ex solo Maittaire, qui eam recensuit in Annal. Typogr. tom. II. p. 771. et hoc modo descripsit: 'T. Livius; accesserunt de-'cadis V. libri quinque, nunquam, antehac editi, cum 'Chronologia Henrici Glareani, in aedibus Lucae 'Antonii Iuntae Florentini. MDXXXII.' in initio additur, 'Mense Februario;' in fine 'die decima 'Ianuarii.'

1532. Parisiis apud Simonem Colinaeum prodierunt conciones Livii cum notis Ioachimi Perionii, in forma octuplice.

Hanc editionem memorarunt Crenii, Hulsii, aliorumque catalogi. Vide etiam Maittaire Annal. Typogr. tom. V. part. II. p. 23. Postea alibi etiam haec editio repetita est.

1535. Basileae ex officina Frobeniana, in forma maiore.

Ad finem huius editionis illa temporis nota addita est: 'Basileae in officina Frobeniana per Hierony-'mum Frobenium et Nicolaum Episcopium mense 'Decembri an. M.D.XXXIIII.' sed titulus libri

'annum MDXXXV.' praefert. Continet autem eadem ferme, quae praecedens Frobeniana anni MDXXXI. nisi quod in hac iam primum apparent Rhenani et Gelenii in Livium notae; et quod Glareani Chronologia ab ipso recognita, auctior prodeat a Troia capta usque ad Iustinianum Caesarem. Testatur insuper titulus huius libri, historiam Livianam longe, quam nuper, emaculatiorem prodire, quum nunc demum ad vetera exemplaria collata sit.

1537. Lugduni quattuor voluminibus, in forma octuplice.

Recenset hanc editionem Maittaire tom. V. Annal. Typogr. part. II. p. 22. ac testatur, excusam esse 'Lugduni apud haeredes Simonis Vincent. 'M.D.XXXVII.' continere autem etiam Notas Glareani. Quod si verum est, haec prima est Notarum Glareani editio. Alii tamen testantur, prodiisse cum Annotationibus Rhenani et Gelenii, et ita forte erit eadem, atque illa, quae mox sequitur.

1537. Lugduni, in forma octuplice.

Hanc editionem refero fide Fabricii in Bibliotheca Latina; ubi testatur, eam prodiisse ex Trechseliorum officina, et continere Rhenani ac Gelenii Notas.

1537. Francofurti, in forma octuplice.

Haec editio memoratur in bibliothecae Crenianae Catalogo p. 68.

1538. Parisiis apud Vascosanum, in forma quadruplice.

In una bibliotheca Hulsiana tom. II. num. 5535. hanc editionem memoratam invenio, ubi prodiisse dicitur ex typographia Vascosani, et tres decadas continere.

1539. Basileae ex officina Hervagiana, in forma maiori.

Editio haec eadem continet, quae Basileensis Frobeniana anni MDXXXV.

1540. Lugduni, in forma maiore.

Memoratur haec editio in Indice editionum Livianarum Hearnii et Clerici.

1540. Basileae, in forma maiore.

Hanc editionem cum Notis Glareani memoratam vidi in bibliotheca Mallinckrotiana. Fabricius vero in Biblioth. Latin. testatur, Henr. Loriti Glareani Notas in Livium Carolo quinto Imperatori inscriptas esse, cum Chronologia historiae Romanae recognita, anno MDXL. in forma maiore. Utrum vero solae, an simul cum Livio prodierint, nec ubi, vel a quo typographo excusae sint, retulit. Neque certiora referre possum, quum editionem huius anni non viderim. Id ex Glareani Praefatione ad Caesarem

Ferdinandum, quae annum MDXL. praefert, et in editione Lugdunensi anni MDXLII. et alibi exstat, didici, ex officina Michaëlis Isingrini, qui Basileae officinam exercuit, et Ioannis Bebelii typographi Basileensis gener exstitit, Glareani Chronologiam separatim prodiisse, ut, qui antea Livii codices habebant, neque eundem auctorem bis parare volebant, hoc eius labore frui possent.

1. Venetiis apud haeredes Lucae Antonii Iuntae, in ›rma maiore.

Hanc editionem memorat Fabric. in Bibl. Lat. non addens, qua forma prodierit. Eadem editione usus est Latinus Latinius ad Livium cum Mstis conferendum, qui nec ipse formam, qua editio illa excusa est, indicavit. Ex numero tamen foliorum, quem subinde edit, satis constat, non alia, quam maiori, in lucem exiisse. Utrum Hearnius et Clericus, in Indice editionum Livianarum recensentes editionem Venetam, quae anno MDXLII. cum Glareani epitome Chronologica in forma maiore impressa sit, hanc, an aliam ab hac diversam, intellexerint, despicere nequeo, quum neutram viderim.

›42. Lugduni apud Sebastianum Gryphium quattuor voluminibus, in forma octuplice.

Tres priores tomi continent superstites Livii libros: quartus Glareani notas, praemissa eius ad Carolum V. Imperatorem Praefatione, data 'Friburgi Brisgoiae, anno a Iesu Christi natali M.D.XL. Calen. 'Maiis;' tum Laurentii Vallae de Tarquiniis adversum Livium disputationes, eiusque emendationes ad sex libros priores Livii de bello Punico secundo; deinde Glareani Chronologiam, per Iodocum Badium Ascensium in seriem literarum redactam; et ultimo loco ipsam Glareani Chronologiam auctam, cum Praefatione ad Ferdinandum Caesarem, data 'Friburgii Brisgoiae, anno a Christo nato M.D.XL. 'Calend. Septembrib.' Gesnerus in Pandectis lib. de Historiis duodecimo apud Maittaire Annal. Typogr. tom. II. p. 572. refert, hac editione contineri Annotationes Beati Rhenani, Sigismundi Gelenii, Henrici Glareani, ac Chronologiam eiusdem Glareani. Editio exstat in Biblioth. Traiectina, verum Rhenani et Gelenii Annotationes non adsunt.

1543. Parisiis apud Michaëlem Vascosanum, in forma maiore.

Appositus quidem titulus testatur, Livium hunc prodiisse 'Parisiis apud Andoënum Parvum sub

'Lilio aureo ad Divum Iacobum. M.D.XLIII' verum privilegium, ut Livius hoc modo imprimeretur, senatus Parisiensis anno M. D. XLII. nec Calend Novemb. concessit 'Michaëli Vascosano 'et Audoëno Parvo.' Titulus etiam, qui Annotationibus adiunctis praemittitur, desinit hac formula 'Parisiis imprimebat Michaël Vascosanus sibi et 'Odoïno Parvo.' Unde colligo, editionem hanc excusam esse typis Vascosani, venditam autem fuisse partim ab eo, partim ab Odoïno Parvo. Haec autem editio non modo continet omnia, quae praecedens Lugdunensis Gryphiana anni M.D.XLII. Verum etiam Sabellici pauculas Annotationes.

1543. Basileae apud Ioannem Hervagium, in forma maiore.

Hanc editionem adiunctas habere Annotationes Rhenani, Gelenii, et Glareani, huiusque Chronologiam, auctor est Fabric. in Bibl. Latin. Eamdem memorant etiam Hearnius et Clericus, testati eam prodiisse 'ex recensione Hervagii,' nullamque Annotationum Glareani mentionem faciunt.

1544. Argentorati, in forma octuplice, prodierunt Io. Vercurionis Notae in Livii lib. I. et II. quae postea saepius aliis editionibus insertae sunt. Memoravit hanc editionem Fabricius in Biblioth. Latin.

1545. Lovanii, in forma quadruplice, lucem vidisse Notas Petri Nannii in Livii libr. III. testatur Fabricius in Bibl. Latin. Utrum vero eaedem sint, atque illae, quas ineditas putavi, et huic editioni suis locis inserui, an diversae, quum librum non viderim, dicere nequeo.

1548. Lugduni apud Sebastianum Gryphium quattuor voluminibus, in forma duodecima.

Editionem Lugdunensem Gryphianam huius eiusdem anni, sed in forma octuplice, memorant Hearnius et Clericus in Indice Editt. Livian. quam me umquam vidisse non memini.

1549. Basileae apud Iohannem Hervagium, in forma maiore.

Titulo huius editionis illa ascripta est formula: 'Basileae per Ioannem Hervagium, anno M.D.XLIX. 'mense Martio.' quae eadem ferme in fine libri occurrit. Recensuit hanc editionem Caelius Secundus 'Curio, qui in Praefatione, data 'Basileae Cal. Ian. 'M.D.XLVIIII.' testatur, se Livium cum veteribus et novis aliquot exemplaribus ex iis, quae emendatiora atque meliora habentur, contulisse: et ex eo labore hunc se fructum retulisse affirmavit, ut Livii ad ducenta loca emendarit, et pristino nitori resti-

tuerit. Adiectae sunt Rhenani ac Gelenii Annotationes, et Glareani Chronologia. Perperam Hearnius et Clericus in Indice Editt. Livian. referunt, editionem hanc recensuisse Hervagium, qui eam tantum typis suis descripsit.

1. Francofurti duobus voluminibus cum Notis Guilielmi Rodelevaei, in forma octuplice.

Has eius Notas variae aliae editiones post adoptarunt.

2. Parisiis apud Michaëlem Vascosanum, in forma maiore.

Maittaire in Annal. Typogr. tom. III. p. 613. refert., Mich. Vascosanum hanc editionem dedicasse Iacobo Varadeo, in supremo Parisiensi senatu regio consiliario, epistola data X. Cal. Iun. M. D. LII. Prodiisse autem cum Annotationibus diversorum, et in Glareani Annotationum fronte legi, typis descriptam esse apud Michaëlem Vascosanum et Audoënum Parvum. Fabricius in Biblioth. Lat. testatur, eam adiunctas habuisse Laur. Vallae Emendationes et Epistolam Apologeticam de duobus Tarquiniis ad Alphonsum Siciliae Regem; Sabellici item et Rhenani ac Gelenii Notas. Editionem hanc nondum videre contigit, et hinc verbis eius controversiam movere nequeo. Dicere tamen liceat, suspicionem mihi natam esse, Vascosanum tantum repetiisse priorem editionem anni M. D. XLIII. et hinc pro Rhenano et Gelenio Glareanum memorandum esse. Potuit autem ipsi fraudi fuisse titulus obiter inspectus. Certe ille, qui priori editioni praefigitur, et in hac verisimiliter repetitus est, testatur, in editione Vascosana Livium diligenti observatione Annotationum Rhenani et Gelenii recognitum ac restitutum esse: quod forsitan ita acceperit, quasi Rhenani et Gelenii Annotationes additae fuerint; quae certe in prima Vascosani editione omissae sunt.

1553. Lugduni, in forma maiore.

In huius editionis titulo haec nota conspicitur: 'Lugduni apud Antonium Vincentium, 'M. D. LIII.' Illa vero in eius fine: 'Lugduni, ex'cudebat Iohannes Frellonius, M. D. LIII.' Hinc colligendum est, Livium typis Frellonii, sed sumptibus Vincentii descriptum fuisse. Certe, Frellonium Vincentio libros excudere solitum fuisse, observat Maittaire Annal. Typograph. tom. III. p. 141. Continet haec editio, quae Valla, Sabellicus, Rhenanus, Gelenius, Glareanus, Velcurio et alii Livio

illustrando contulerunt. Gelenii autem Annotationibus subiiciuntur paucae quaedam Emendationes ex codice Theodorici Morelli.

1554. Lugduni apud Sebastianum Gryphium quatuor voluminibus, in forma octuplice.

Eamdem editionem memorat etiam Maittaire tom. V. Annal. Typogr. part. II. p. 22. ex quo, ut et ex bibliotheca Henr. Hadr. van der Marck. Toparcha in Leur, part II. p. 59. constat, anno sequenti ibidem ex eadem officina, quasi huius editionis appendicem, novum tomum prodiisse, continentem Rhenani, Gelenii, et Glareani in Livium Annotationes. Sed Fabricius in Bibl. Lat. Gryphium eo anno in forma octuplice excudisse refert notas Rhenani, Gelenii, Sabellici, Io. Velcurionis, et Io. Saxonii, cum Chronologia Glareani.

1554. Lugduni apud Sebastianum Gryphium tribus voluminibus, in forma duodecima.

Haec editio recensetur etiam in modo laudata bibliotheca Marckiana et apud Fabricium in Biblioth. Latina.

1554. Basileae apud Nicolaum Episcopium iuniorem quatuor voluminibus, in forma octuplice.

Idem Episcopius anno MDLVI. huic editioni tanquam appendicem, adiecit tomum V. qui continet Scholia et Chronologiam Sigonii.

1554. Basileae apud Ioannem Hervagium duobus voluminibus, in forma octuplice.

Hanc editionem memorat Fabricius in Biblioth. Latin. ac testatur, ei adiectas esse Castigationes et Notas Vallae, Sabellici, et Caelii Secundi Curionis. Verum nullas unquam Castigationes aut Notas in Livium Curio conscripsit. Dicere itaque voluit Livium editum esse ex recognitione Curionis. Vide Maittaire in Annal. Typogr. tom. V. part. II. p. 22.

1555. Basileae per Ioannes Hervagios, in forma maiore.

Haec editio continet omnia, quae viri docti ad Livii emendationem vel illustrationem hoc tempore in lucem emiserant; ita tamen, ut Vallae, Sabellici, Rhenani, Gelenii, et Theodorici Morelli in Livium Castigationes in ipsis Annotationibus Glareani suis locis insertae sint, atque editor se illas, quas futiles et nullius momenti iudicarat, inde reiecisse testatus fuerit, ne inutili labore lectorem gravaretur.

1555. Venetiis apud Paulum Manutium, Aldi filium in forma maiore.

Haec editio prima exhibet Caroli Sigonii Scholia,

quibus Livii historiae et earum epitomae partim emendantur, partim explanantur; ut et eiusdem Sigonii in eosdem libros Chronologia, ipsorummet auctorum verbis confirmata. Erravit itaque Hearnius, qui Scholiis Sigonii Chronologiam Glareani iunctam in hac et aliis Sigonii editionibus credidit, quem eius errorem improvide adoptavit Ioannes Clericus.

36. Venetiis apud Paulum Manutium, Aldi filium, in forma maiore.

Hac editione repetita sunt Sigonii in Livium Scholia, eiusdemque, non vero, ut Hearnius et Clericus affirmant, Glareani, Chronologia Liviana. In Scholiis autem Sigonius multa mutavit, meliora sive sponte, sive a Faërno, Robortello, aliisque, edoctus.

68. Francofurti, in forma maiore.

Fabricius in Biblioth. Lat. ubi hanc editionem recenset, testatur, eam prodiisse cum Vallae Emendationibus, Notisque Sabellici, Velcurionis, Rhenani, Gelenii, Glareani, et Sigonii, Ioannis item Saxonii et Godelevaei Observationibus. Ipsam hanc editionem nunquam videre contigit, sed ei similem atque ex hac expressam puto, quae decennio postea prodiit anno MDLXXVIII. quia in ea quaedam Praefationes occurrunt, quae huius editionis annum praescriptum habent, et inde repetitae sunt.

572. Venetiis in aedibus Manutianis, in forma maiore.

Haec tertia est Scholiorum et Chronologiae Livianae editio. Scholia autem ab auctore multis in partibus aucta esse, titulus testatur.

1573. Lutetiae Parisiorum apud Michaëlem Sonnium via Iacobaea, sub scuto Basileensi, in forma maiore.

Hac editione continentur omnium interpretum Commentarii, e regione verborum Livii inserti. Praeterea Sigonii in Livium Scholiis et Chronologiae interpositae sunt Glareani defensiones et antilogiae; sive id primum, in hac editione factum sit, sive, ut potius credo, iam antea in editione anni MDLXVIII. quam videre nunquam mihi contigit. Praefuisse videtur huic editioni, aut certe eam D. Nicolao Thuano, Carnutum Antistiti, dedicavit Iacobus Gohorius, cuius etiam paucae in Livii libros tres priores Animadversiones praemittuntur.

1578. Francofurti ad Moenum apud Iohannem et Sigismundum Feyerabendt duobus voluminibus, in forma maiore.

In tomi I. huius editionis titulo illa adscribitur nota:

'Francofurti ad Moenum apud Iohannem et Sigismundum Feyerabendt. M.D.LXXVII.' ad finem dedicationis, inverso ordine, memorantur 'Sigismundus et Iohannes Feyerabendt cognati.' Eodemque iterum modo ad finem primi et secundi tomi: 'Impressum Francofurti ad Moenum, apud Georgium Corvinum, impensis Sigismundi et Iohannis Feirabendinorum. M.D.LXXVIII.' Tomo primo, praeter contextum Livianum, picturis et sculptis tabulis exornatum, omniumque librorum Epitomas, continetur insuper Chronologia Liviana, a Ioachimo Grellio ex Glareani et Sigonii Chronologiis quasi in unum conflatis constans, quae ex auctoris praefatione subscripta temporis nota iam in editione Francofurtana, quae decennii spatium hanc praecessit, comparuisse videtur. In tomum secundum digestae sunt Annotationes, Castigationes et Scholia virorum doctorum, qui eo et superiori seculo floruerunt, praefixa Godelevaei Praefatione, quae quum etiam annum MDLXVIII. ascriptum habeat, omnia itidem ex decennio priore editione repetita esse verisimile sit.

1588. Francofurti impensis Sigism. Feyrabendii et sociorum, in forma maiori.

Ex titulo, Grellii Chronologiae, et alio virorum doctorum Annotationibus praefixo, et ex nota ad calcem operis obvia constat, librum hunc excusum esse typis Ioannis Wechelii, et impensis Sigismundi Feyrabendii, Henrici Thackii, et Petri Vischeri, sociorum. Edidit autem et recognovit Franciscus Modius. Et quidem continet eadem omnia ferme, quae praecedens editio anni MDLXXVIII. nisi quod huic insuper accesserint Notae ipsius Modii, una cum fragmentis vetustiorum historicorum, quos Livius secutus est. Hearnius, tres Francofurtenses editiones annorum MDLXXXVIII. MDCVIII. et MDCXXVIII. simul memorans, imprudenter addidit, omnes a Modio recensitas cum Notis Gruteri et aliorum prodiisse. Peius deinde erravit Ioh. Clericus, qui quamque earum, ordine suo illas referens, a Modio recensitam et Notis Gruteri aliorumque instructam esse lectori persuadere voluit; quem errorem sponte deprehendere et emendare potuisset, si ipsas editiones, in omnium bibliothecis obvias, consulendi exiguam molestiam subire voluisset.

1588. Francofurti tribus voluminibus, in forma octuplice.

Hanc editionem laudarunt Fabricius in Biblioth. Lat. Hearnius et Clericus. Pars etiam exstitit bi-

bliothecae Hulsianae. Vide eius Catalog. tom. III. num. 5917.

1588. Francofurti tribus voluminibus, in forma duodecima.

Hanc memorat Fabricius in Biblioth. Lat. Exstat etiam in Appendice Biblioth. Leidens. p. 519.

1589. Londini, in forma quadruplice.

Fabricius in Biblioth. Lat. auctor est, huic editioni additas fuisse Chronologiam ac Notas Robortelli et Godelevaei.

1589. Lugduni, in forma octuplice.

Memorarunt hanc editionem Hearnius et Clericus, ac testati sunt, ei additam esse Chronologiam, accommodatam ad tabulas Capitolinas Verrii Flacci, (forte intelligitur illa, quam Ioachimus Grellius ex prioribus Glareani et Sigonii composuit) et Annotationes Godelevaei.

1592. Venetiis apud Aldum, in forma maiore.

Addita sunt Car. Sigonii Scholia; quae ab auctore multis in partibus aucta et emendata esse, libri titulus testatur.

1595. Antwerpiae ex officina Plantiniana apud Viduam et Ioannem Moretum prodierunt Fragmenta Historicorum, dudum ab Antonio Augustino collecta, et a Fulvio Ursino emendata: quibus subiunctae sunt eiusdem Ursini in varios historicos, et inter illas etiam in Livium, Notae, in forma octuplice.

1599. Francofurti tribus voluminibus, in forma octuplice.

Editio haec memoratur in Catalogo bibliothecae Hulsianae tom. III. num. 5918.

1608. Francofurti ad Moenum, ex officina Typographica Ioannis Saurii, impensis haeredum Petri Fischeri, in forma maiore.

Titulus alteri operis parti additus refert, prodiisse quidem ex officina Sauriana, sed impensis Ionae Rhodii anno M.DC.VII. Ionas Rhodius autem a Grutero in Praefatione Ionas Rosa vocatur. Hanc Livii editionem recensuit Ianus Gruterus, et Notas virorum doctorum ferme omnium, quas priores editiones continebant, exhibuit, exceptis tamen illis Velcurionis et Saxonii: recenter vero addidit Notas Fulvii Ursini et Marcelli Donati.

1609. Francofurti, in forma octuplice.

Hanc editionem memorant Hearnius et Clericus, testati adiunctas esse Godelevaei Observationes.

1609. Genevae, in forma maiore.

Eo anno Genevae editi sunt scriptores Latini

veteres Historiae Romanae, atque inter illos etiam Livius.

1614. Lugduni, in forma octuplice.

Hanc editionem memorat Fabricius in Bibliotheca Latina.

1616. Romae apud Bartholomaeum Zannettum, in forma octuplice.

Haec editio continet tantum librum XXXIII. Livii, et in ea primum nunc ex codice bibliothecae Cathedralis Bambergensis Caspar Lusignanus evulgavit principium huius libri, sive XVII. priora capita, quae antea desiderabantur, additis Francisci Bartholini Urbinatis, qui ex cod. descriptum Romam attulerat, et Antonii Quaerengi Castigationibus. Observat autem Fabricius in Biblioth. Lat. male in fronte atque per omnes paginas inscribi librum XLIII. Error tamen ab editore, libro iam absoluto, deprehensus est, unde etiam p. ultimae sive 79. haec verba adduntur: 'Ubicumque impressum est lib. 'XLIII. lege XXXIII.' Quin etiam, divenditis iam aliquibus exemplaribus, primum folium recusum, et error emendatus est. Certe duplex eius editionis exemplar haec scribens ante oculos habeo, quorum alterum observationem Fabricii veram esse probat, in alterius fronte et sedecim prioribus paginis recte editur 'liber XXXIII.' In illo exemplari, quod habuit G. Ioh. Vossius, folium primum non mutatum fuisse videtur. Ab eo enim in errorem inductus lib. I. de Histor. Lat. non tantum in inscriptione capitis XIX. sed etiam in ipso capite, de hoc fragmento recens invento agens, semper meminit libri XLIII. Incaute dein, Vossii vestigia premens, eumdem errorem commisit Io. Christianus Neu in Accession. ad Whear. Relect. Hiemal. p. 113.

1616. Venetiis apud Io. Baptistam Ciottum idem liber XXXIII. cum eodem fragmento editus est, in forma octuplice.

Hanc editionem memorarunt Fabricius in Biblioth. Latina, Hearnius et Clericus.

1616. Parisiis idem liber XXXIII. simul cum eodem fragmento editus est, in forma octuplice.

Hanc editionem recensuit Fabricius in Biblioth. Latina.

1617. Paderbornae idem etiam liber XXXIII. simul cum eodem fragmento editus est, in forma octuplice.

Eius editorem esse Ioannem Horrion e Societate

Iesu, qui etiam Notas, nomine suppresso, addidit, monuerunt viri docti. Vide I. Fr. Gronovii Praefationem ed. Drak. t. VII. p. 311. datam. Ipsius Notas postea editioni suae, quam cum notis Variorum curavit anno MDCLXV. inseruit I. Fr. Gronovius.

1619. Francofurti, in forma octuplice.

Hanc denuo a se eo tempore recensitam, et a tutoribus Fischerianis impressam esse, testatur Gruterus in praefatione editionis anni MDCXXVIII.

1621. Lugduni cum Chronologia et Indicibus, in forma quadruplice.

Memorant hanc editionem Hearnius et Clericus.

1622. Genevae, in forma minore.

Refertur a Fabricio in Biblioth. Lat. p. 186.

1625. Parisiis apud societatem minimam, in forma maiore.

In calce libri hi quinque bibliopolae, tanquam socii, memorantur, Iosephus Cottereau, Sebastianus Chappelet, Iacobus Quesnel, Dionysius Moreau, et Samuel Thiboust. Hi primam Gruteri editionem anni MDCVIII. et omnia in illam recepta, eo inscio et non consulto, tanta superstitione exprimere conati sunt, ut paginae paginis responderent. Verum pessime a librariis habita innumeris eorum negligentia commissis erroribus scatet; quos insuper Gruterus in Praefat. editionis tertiae anni MDCXXVIII. eo nomine traduxit, quod, curis suis secundis relictis, primas secuti sint, quasi frugibus repertis adhuc glandium amarore delectarentur. Insuper observat, nihil boni in tam vasti operis progressu exspectandum esse de illis, qui in ipso statim titulo, sive, ut loquitur, in frontispicii meditulo tantopere impegerunt, ut ridiculis soloecismis se prostituerint. In fine huius editionis conspiciuntur 'Excerpta ex Livii Decadibus 'moralia, politica, et historica, cum aliis Latinorum 'et Graecorum scriptorum locis et Eclogis collata 'ordine Alphabetico, Fed. Morelli Professorum et 'Interpretum regiorum Decani opera ac studio.' Perperam Hearnius hanc editionem retulit ad annum MDCXXIII. quem tamen secutus est Clericus.

1628. Francofurti ad Moenum typis Guolphgangi Hofmanni, impensis haeredum Iacobi Fischeri, in forma maiori.

Est haec tertia Gruteri editio, cui Notae eius criticae et politicae, et quinquaginta in Tacitum Discursus additi sunt, nec non observationes Godelevaei, et veterum historicorum fragmenta, per Franciscum (immo Antonium) Riccobonum collecta. Parum

huic editioni Gruterus supervixit. Nam praefatio eius his verbis definit: 'Deproperabam animo ac corpore aeger, fine Augusti mensis CIↃIↃCXXVII 'Heidelbergae.' et obiit die XX. Septembris, eodem anno CIↃIↃCXXVII. In hac autem primum omnium Livii libri in capita divisi sunt.

1633. Amsterdami apud Guilielmum Blaeu, in forma duodecima.

1634. Lugduni Batavorum ex officina Elzeviriana ac recensione Heinsiana, tribus voluminibus, in forma duodecima.

Fabricius in Biblioth. Latin. testatur, Livium ex recensione Dan. Heinsis nitide admodum ex officina Elzeviriana Lugduni Batavorum vulgatum esse anno MDCXXIV. Nescio utrum vere, an operarum errore. Fatetur tamen I. Fr. Gronovius in Praefatione anni MDCXLV. Livium bis ante suam editionem ex officina Elzeviriana prodiisse.

1634. Francofurti, tribus voluminibus, in forma octuplice.

1645. Lugduni Batavorum ex officina Elzeviriana quattuor voluminibus, in forma duodecima.

Prima haec est editio, quae prodiit ex recensione I. Fr. Gronovii. Eius autem tomus quartus continet I. Fr. Gronovii Notas in Livium.

1654. Lugduni Batavorum apud Elzevirium ex recensione I. Fr. Gronovii, tribus voluminibus, in forma duodecima.

1659. Francofurti ad editionem Gruterianam, additis notis Godelevaei, in forma octuplice.

1661. Amstelaedami ex recensione I. Fr. Gronovii, in forma duodecima.

1665. Amstelaedami apud Ludovicum et Danielem Elzevirios, cum perpetuis I. Fr. Gronovii et variorum Notis, tribus voluminibus, in forma octuplice.

1677. Romae prodiit Bibliotheca sacra et profana Latini Latinii: cuius parti secundae insertae sunt eius Observationes et Correctiones in T. Livium, in forma maiore.

1678. Amstelaedami apud Danielem Elzevirium ex recensione I. Fr. Gronovii, in forma minore.

1679. Amstelaedami apud Danielem Elzevirium cum perpetuis Car. Sigonii et I. Fr. Gronovii Notis, quibus etiam suas aliorumque Notas adiecit Iacobus Gronovius, tribus voluminibus, in forma octuplice.

1679. Cantabrigiae ad editionem Gronovianam duobus voluminibus, in forma octuplice.

1679. Parisiis sex voluminibus, in forma quadruplice.

Hanc editionem Interpretatione et Notis illustravit Ioannes Douiatius, Antecessorum Parisiensium et

Regiorum Professorum Primicerius, in usum Delphini. Accesserunt Supplementa Livii per Freinshemium, quae magna ex parte primum in hac editione in lucem prodierunt.

1694. Patavii quinque voluminibus, in forma octuplice, ut testantur Hearnius et Clericus, vel in forma duodecima, ut auctor est Fabricius in Biblioth. Lat.

Hanc editionem optimorum exemplarium collatione recognitam, et novis additamentis, chartis geographicis etc. illustratam esse, viri docti testantur.

1696. Francofurti apud Frid. Knochium, in forma octuplice.

Haec editio a Io. Gerardo Arnoldo, Gymnasii Francofurtani rectore, curata esse dicitur, praemissa eius dissertatione de Livii vita et scriptis. Vide Fabricii Biblioth. Latin.

1703. Londini duobus voluminibus, in forma octuplice.

Fabricius in Biblioth. Lat. testatur, hanc editionem ad Gronovianam recensitam, lemmatibus historicis ad paginarum oras notatis, tabulisque Geographicis instructam esse.

1707. Patavii quinque voluminibus, in forma duodecima.

Memoratur haec editio in Catalogo bibliothecae Hulsianae, tom. III. num. 5920.

1708. Oxonii sex voluminibus, in forma octuplice.

Hanc editionem curavit Thom. Hearnius, eamque Mstorum codicum collatione recognovit, Annotationibusque illustravit.

1710. Amstelaedami et Traiecti ad Rhenum decem voluminibus, in forma octuplice.

Haec editio, quam recensuit, et Notulis auxit Ioannes Clericus, insuper exhibet integra Freinshemii Supplementa, tabulas Geographicas, et Anonymi copiosum indicem.

1722. Londini sex voluminibus, in forma duodecima.

Is, qui hanc editionem curavit, nomen suum non ascripsit.

1735. Parisiis sex voluminibus, in forma quadruplice.

Hanc editionem, quae continet etiam Supplementa librorum amissorum a I. Freinshemio concinnata, recensuit et Notis illustravit I. B. L. Crevier, Rhetoricae Professor in collegio Dormano Bellovaco Universatis Parisiensis.

1740. Basileae tribus voluminibus, in forma octuplice.

Haec editio repetiit maiorem Iac. Gronovii, et quemadmodum illa, instructa est perpetuis Car. Sigonii et I. Fr. Gronovii Notis, quibus etiam suas et aliorum Notas adiecit Iac. Gronovius.

Hactenus Drakenborchius. Quae inde ab hoc tempore prodierunt praecipuae Livii editiones, sive ad umbilicum adductae, sive inchoatae tantum, necdum absolutae, hae fere sunt.

1738—46. Lugd. Bat. et Amst. cum Io. Freinshem. Supplementis, curante Arn. Drakenborch, 7 voll. 4to.

Haec editio praestantissima, quam omnium, quotquot secutae sunt, fundamentum esse constat, Drakenborchii annotationibus ineditis et lectionum varietate codicis Veithiani codicumque Helmstadiensium 1. et 2. locupletata, Stutgardiae inde ab anno 1820. quatuordecim tomis repeti coepta est.

1743. Heidelberg. curante B. C. Haurisio, fol.

De hac Livii editione, quae continetur tom. I Collectionis scriptorum veterum latinorum historiae Romanae, Heidelberg. 1743—48. paratae, vide editores Bipontinos in Notit. literar. de T. Liv. p. 144. sq.

1747. 48. Paris. cum I. B. L. Crevierii notis ad usum scholarum accommodatis, 6 voll. 8vo.

Textus huius editionis, id quod editor ipse in praefat. p. 4. sq. profitetur, ex maiore illa, quae Parisiis 1735—42. prodiit, descriptus est, sed passim emendatus. In notis etiam novas interdum coniecturas proferri ex Walchii Emendatt. Liv. p. 274. coll. p. 243. intelligitur. Certatim repetita est haec editio Amst. 1749. Lond. 1750. Venet. 1751. Patav. 1759. Paris 1768-69. Venet. 1791. Lond. 1813. et Oxon. 1814. De adulterina eius repetitione, quae textum Livianum ex Lallemandi editione, anno 1775. adornata, descriptum notasque Crevierii passim interpolatas exhibet, diximus supra in praefat. p. XIV. sq.

1751. Patavii, ex recensione Arn. Drakenborchii, 6 voll. 8vo.

Num ex hac editione, quae ab editoribus Bipontinis in Notit. literar. de Liv. p. 145. commemoratur, derivatae sint duae editiones, quarum altera sive Patavii sive Venetiis 1759. altera Venetiis 1791. prodiit, se non posse definire, fatetur Harlesius in Supplement. ad brev. notit. literat. Rom. Part. I. p. 314. coll. Ephemerid. literar. Ienens. a. 1795. No. 164. p. 550. sqq. Illud tamen satis constat, eumdem Remondinium, qui Livii opera cum lib. XCI. fragmento Venetiis 1791. denuo edidit, vel unum ex eius maioribus iam anno 1751. minorem Crevierii editionem repetiisse. Vide editores Bipontinos in Notit. literar. de T. Liv. p. 145.

1. Berolini, curante I. P. Millero, 3 voll. 8vo.

Hac editio tam diligentia in textu exscribendo adhibita, quam nitore typorum commendabilis est.

1. Edinb. accurante Th. Ruddimanno, 4 voll. 12mo.

Repetita est haec editio accurata et nitida, quae locis compluribus, partim auctoritate codicum a Drakenborchio aliisque collatorum, partim ex Kennethi Mackenzie aliorumque coniectura mutatis, a Drakenborchiana discrepat, Amst. 1752. atque Edinburg. 1764. et 1772.

66. Laubani, Excerpta Liviana ed. C. L. Bauer. 8vo.

Hic liber, in tironum quidem usum editus, sed etiam doctis Livii interpretibus profuturus, primum repetitus est, praefixo titulo: 'Chrestomathia Liviana,' Lips. et Lauban. 1770—74. deinde cum inscriptione: 'Liviana Excerpta, vel Chrestomathia Liviana,' Lips. 1785. 1800. 1813. et 1823.

769. Lips. ex recensione Arn. Drakenborchii, curante Aug. Guil. Ernesti. 3 voll. 8vo.

Editore invito recusa est, ut de re ambigua verbo dubiae auctoritatis utar, haec editio Bamberg. 1778. tum ab ipso Ernestio recognita prodiit Lips. 1785. 5 voll. 8vo. denique post editoris obitum repetita est ibidem 1801—4. 5 voll. 8vo. quorum ultimum complectitur Ernestii glossarium Livianum, a G. H. Schaefero emendatum plurimisque accessionibus locupletatum. Ceterum ex hac editione septem priores Livii libri repetiti sunt Upsal. 1795. et glossarium Livianum additum est editioni Oxoniensi, quae primum anno 1800. deinde anno 1813. prodiit. Vid. infra ad annum 1800.

1775. Paris. recensuit I. N. Lallemand. 7 voll. 12mo.

Nitidissimae huius editionis fundamentum est Drakenborchiana, a qua tamen editor, Crevierii aliorumque coniecturas secutus, permultis in locis discessit et mutationum omnium rationem in notis reddidit.

1779—83. Mannhemii, cum Io. Freinshemii Supplementis, cura et sumptibus Societatis literatae, 12 voll. 8vo.

Huic editioni variae lectiones editionum Gronovianae et Crevierianae, ex Ernestii editione petitae, brevesque notae, ex Drakenborchii commentariis excerptae, probabili studio adiectae sunt. Repeti coepta est anno 1822.

1780—84. Lips. et Goth. cum animadversionibus F. A. Stroth, 3 voll. 8vo.

Haec tria volumina, quorum primum Goth. 1784. repetitum est, quindecim Livii libros continent. Edi-

tionem opera Strothii perquam laudabili inchoatam Doeringius continuavit et absolvit. Vid. infra ad annum 1796.

1784—86. Biponti, cum Io. Freinshemii Supplementis et Notitia literaria, studiis Societatis Bipontinae, 13 vol. 8vo.

Anno 1806. repetita est haec editio, quae textum Drakenborchianum cum praestantioribus editionibus collatum exhibet.

1794. Bassani, cum notis Clerici et Crevierii, ex recensione Arn. Drakenborchii. 8vo.

Num haec Livii editio, quae in Th. Chr. Fr. Enslini, bibliopolae Berolinensis, Bibliotheca auctorum classicorum, et graecorum et latinorum, p. 83. ed ter. commemoratur, diversa sit ab ea, cui lib. XCI. fragmentum anno 1791. adiectum est, alii viderint.

1794. Lond. ex recensione Arn. Drakenborchii et H. Homer, 8 voll. 8vo.

De huius editionis mihi nunquam visae virtutibus non habeo, quod dicam. Commemoravit eam Ebert. in Lex. bibliograph. Vol. I. p. 1002. n. 12117.

1796—1819. Gothae, cum animadversionibus F. A. Strothii suisque observationibus ed. Fr. Guil. Doering, 7 voll. 8vo.

Huius editionis, etsi circumactis demum annis tribus et viginti absolutae, tamen non ea, qua par erat, doctrina et diligentia adornatae, Vol. I. anno 1805. et 1816. Vol. II. anno 1805. atque Vol. III. anno 1822. repetitum est. Index historicus, ab editore promissus, etiam nunc desideratur.

1800. Oxonii, ex recensione Arn. Drakenborchii, 6 voll. 8vo.

Accesserunt huic editioni, quae ibidem anno 1813. repetita est, gentes et familiae Romanorum, auctore R. Streinnio, quod opusculum primum Paris. 1559. ac Venet. 1571. editum et deinde Io. Georg. Graevii Thes. Antiquitatt. Rom. tom. VII. p. 1. sqq. insertum est, atque Ernesti glossarium Livianum, auctius nonnihil, si titulo fides habenda, et in locis quam plurimis emendatum.

1807. 8. Gotting. cum commentario perpetuo ed. G. A. Ruperti, 7 voll. 8vo.

De Ruperti et Doeringii editionibus, in quibus multi multa reprehenderunt, vide censoris doctissimi iudicium in Ephemerid. literar. Ienens. a. 1811. No. 19—22. p. 145. sqq.

1809. Cupri Fifanor. Livii Historiarum libri V. priores, ed. I. Hunter. 12mo.

Commemoravit hunc libellum Ebert. in Lex. bibliograph. Vol. I. p. 1002. n. 12125.

1815—1819. Hafniae, Livii Historiarum libri I.—X. cum Strothii, Doeringii aliorumque animadversionibus excerptis suisque ed. Moeller, 2 voll. 8vo.

Primum volumen huius editionis in scholarum usum paratae ante annum 1815. prodiisse, titulus recentior antiquiori, eique rescisso, bibliopolarum more subiectus indicare videtur.

1821. Lipsiae, ap. C. Tauchnitium, ed. stereotypa, 5 voll. 12mo.

Haec editio, vili admodum pretio parabilis, chartarum et typorum bonitate non minus quam diligentia in textu exscribendo adhibita vulgares illas, quae Halae 1802. 1811. 1815. et 1819. prodierunt, longe multumque superat.

1822. Francofurt. ad Moen. Livii Historiarum lib. XXXIII. cum Fr. Iacobsii suisque notis ex cod. Bambergensi ed. Franc. Goeller. Acc. Epistola Io. Theoph. Kreyssigii ad Editorem et varietas lectionum in lib. XXXI.—XXXVIII. ex eodem codice excerpta. 8vo.

Quantum utilitatis codex Bambergensis in Livio edendo nobis praebuerit aliisque sit praebiturus, breviter docuimus in praefat. p. 353.

1822—26. Paris. ad codd. Parisinos recens. et cum selectis commentariis. item Supplementis Io. Freinshemii ed. N. E. Lemaire. 8vo.

Haec editio satis splendida, pars est Collectionis auctorum classicorum latinorum, quae praeter selectam lectionum varietatem, ex insigni codicum Parisinorum numero non ea, quae criticos decet, diligentia enotatam, excerptasque aliorum interpretum notas, integrum continet Ruperti commentarium, vix tanto apud exteros honore dignum.

Haec Kreyssigius: caetera, quae sequuntur, ex variis fontibus derivantur.

1823—27. Lipsiae, apud Weidmann. ex recensione Arn. Drakenborchii passim reficta cum indice rerum locupletissimo. Accessit praeter varietatem lectionum Gronov. et Crevier. glossarium Livianum curante Aug. Guil. Ernesti. Editio quarta recognita et in libr. XXXI.—XXXVIII. atque XLI.—XLV. ad codd. Bamberg. et Vindob. fidem emendata a Io. Th. Kreyssigio. 5 tom. 8vo.

Haec editio plurimus mendis typographicis deformata est.

1824. Stuttgart, apud Metzler, cum selectis var. lect. curante L. Tafel. 3 tom. 8vo.

1825. Londini, ex recensione Arn. Drakenborchii cum notis integris Crevierii, et indice rerum locupletissimo. Accessit praeter varietatem lectionum Crevier. Doering et Rupert. glossarium Livianum ex schedis Aug. Gul. Ernesti. Emendavit plurimisque accessionibus locupletavit Godof. H. Schaefer. 5 tom. 8vo.

Haec editio, quae sumptibus Priestleii prodiit, Lipsiensi emendatior est.

1828—29. Hannover, ap. Hahn, curante G. H. Lüneman. 3 tom. 8vo.

1828. Lipsiae, ap. Tauchnitium ex recensione Arn. Drakenborchii ad codicum Bambergensis et Vindobonensis fidem passim reficta, curante J. Th. Kreyssigio. 1 tom. 4to.

Haec editio stereotypa optima mihi visa est, quae typis iterum mandaretur, utpote longe emendatior, quam quae a Kreyssigio ex libraria Weidmannia Lipsiae, 1822. prodiit.

1829—30. Berolini, apud Reimer. Recognovit Imm. Bekkerus. Selectas virorum doctorum notas in usum scholarum addidit I. E. Raschig. Ed. stereotypa. 3 tom. 8vo.

De pretio recensionis Bekkerianae plura in praefatione sua ad libr. XXXIII. supr. p. 347. disseruit Kreyssigius.

1837. Misenae, apud Klinkichtium. Liber XXXIII. Ad cod. Bamberg. et editt. antiquarum fidem denuo edidit et scripturae diversitatem edit. Drakenb. adiecit I. Th. Kreyssigius. 1 tom. 8vo.

1839. Misenae, apud Klinkichtium. Liber XXXIII. Ad cod. Bamberg. et editionum antiquarum fidem denuo edidit et annotationem criticam adiecit I. Th. Kreyssigius. Accessit varietas lectionum in libris XXX.—XXXII. et XXXIV.—XXXVIII. ex codice Bambergensi diligenter enotata. 1 tom. 8vo.

PRAEFATIO KREYSSIGII

AD EDITIONEM LIPS. STEREOTYPAM.

QUUM abhinc annis amplius octoginta Drakenborchius, absoluta Livii editione, quae Stutgardiae ante hos octo annos laudabili sane consilio repeti coepta est, de antiquioribus Livii editoribus atque interpretibus docte et copiose disseruerit[1], mihi quoque, oblata praefandi opportunitate, de iis, qui inde a Drakenborchii aetate Livii Historiarum libris pro virili parte consultum voluerunt, breviter saltem strictimque exponere placuit[2].

Ac primum quidem satis constat, Crevierium non solum eodem fere tempore, quo Drakenborchius ad Livium emendandum atque explicandum operam conferret, maiorem adornasse Livii editionem, codicum Parisinorum opibns instructam, sed etiam paullo post minorem comparasse, quae textum, quem vocant, passim refictum et novas aliquot coniecturas exhibet, atque ab aliis sine ulla mutatione repetita, ab aliis ad Lallemandi editionem, de qua deinceps dicam, tacite conformata est. Crevierium excepit Ruddimannus, qui in edendis Livii libris ita versatus est, ut in compluribus locis, partim auctoritatem codicum a Drakenborchio aliisque collatorum, partim Kennethi Mackenzie aliorumque coniecturas secutus, ab recensione Drakenborchiana discederet. Post hunc ad evulgandos Livii libros accessit Ernestius, qui, licet textum immutatum ex Drakenborchii recensione exscribendum curaret, optime tamen de Livii interpretatione meruit concinnando Glossario Liviano, quod primum ab

1 In Praefatione, editionis Drakenborchianae tomo septimo et ultimo praefixa, p. 2. sqq. cf. supr. p. 442.

2 Editionum recentiorum titulos cum brevi de singulis iudicio, temporis ordinem secutus, adieci Drakenborchii Syllabo editionum praecipuarum T. Livii, tom. I. p. 62. sqq. editionis nostrae maioris. cf. supr. p. 472.

editore Oxoniensi, deinde a Schaefero ex ipsius Ernesti schedis, denique a memet ipso ex Mülleri et Gerdardi adversariis emendatum plurimisque accessionibus locupletatum esse constat. Nitidissimam porro eandemque accuratissimam Livii editionem Lallemandus paravit et, quum locos permultos, aliorum plerumque coniecturis obsecutus, in integrum restituisset, mutationum omnium rationem in notis adiectis bona fide reddidit. Salubrem deinde consilio, dum Livii Historiarum libri cum Freinshemii Supplementis Mannhemii pariter ac Bipontii eduntur, Strothius Livii interpretationem suscepit, sed morte praematura absumptus, id quod magnopere dolendum est, ultra librum quintum decimum progredi non potuit. In eius locum invita, ut aiunt, Minerva successit Doeringius, qui Livii editionem a Strothio inchoatam in continuavit et circumactis demum tribus et viginti annis absolvit, ut, quum doctrinae alioquin spectatae copiam hac in re desiderari passus sit, utrum Livii ipsius vicem gravius doleas, an editoris negligentiam vehementius indigneris, vix apud animum statuere possis. Atque in eandem fere doctorum reprehensionem incurrit Rupertius, qui, licet magno hiatu promisisset[3], sese effecturum, ut qui sua editione utatur, quacunque alia facile possit carere, praepropera tamen festinatione et temeraria coniectandi libidine tot ac tantis implicitus est erroribus, ut commentarius, quem ex Drakenborchii et ceterorum Livii interpretum annotationibus consarcinavit, vix ac ne vix quidem dignus esset, qui Lutetiae Parisiorum recoqueretur. Lemarius enim, quemadmodum in edendis aliorum scriptorum Romanorum libris editorum Germanorum scrinia compilavit, ita etiam splendidae, quam nuperrime paravit, Livii editioni integrum Rupertii commentarium cum selectis aliorum interpretum annotationibus inseruit: melius haud dubie de Livio meriturus, si textum ad codices Parisinos, quibus in speciem magis quam re vera usus est, diligentius exegisset.

Multo maiores igitur laudes et gratiae sunt habendae

3 In Prooemio de Livii vita et Historia Romana p. 70.

Strothio[4], Iungio[5], Wernsdorfio[6], Osiandro[7] et Seebodio[8], qui varias, quas vocant, lectiones ex codicibus Veithiano, Hafniensi, Helmstadiensibus, Stutgardiensi et Cracoviensi excerpserunt[9], ac prae ceteris Goellero, qui non solum Livii librum tricesimum tertium multo, quam olim a Carbachio ex codice Moguntino evulgatus erat, integriorem atque emendatiorem ex praestantissimo codice Bambergensi edidit, sed etiam omnem lectionum diversitatem in ceteris, quos ille continet, Livii libris repertam ex eodem enotavit[10]. Quod quum Goellerus, sive tempore exclusus, sive necessitate coactus, raptim nec satis accurate fecisse videretur, ut mihi, epistola de nonnullis libri tricesimi tertii locis ad Goellerum perscripta, codicis Bambergensis denuo inspiciendi copia daretur, a Iaeckio, bibliothecae Bambergensis praefecto, qui, qua ratione codicibus ipsi in custodiam concreditis uti sive potius abuti consueverit, editis nuper Horatii et Virgilii carminibus publice declaravit, verecunde quidem, sed frustra contendi. Nihilo minus tamen, quum editionis Livii, quam ab Ernestio adornatam esse supra dixi, recognoscendae provincia ultro mihi deferretur, frui paratis malui, quam oblatam de Livii libris bene merendi occasionem dimittere; praesertim quum Blümnerus diuturnum codicis

4 Varietatem lectionis ex codice Veithiano, qui primam Livii decada continet, a Strothio excerptam, a Doeringio autem in editione recentissima omissam, Klaiberus editioni Stutgardiensi inseruit.

5 Ioach. Iungii Specimen lectionum variantium codicis membranacei Liviani seculo undecimo exarati, qui in bibliotheca Collegii Medici asservatur. Part. I. II. Hafniae, 1783-84. Hunc codicem postea in bibliothecam Academiae Hafniensis translatum esse, compertum habeo.

6 Chr. Theoph. Wernsdorf de Livii aliquot codicibus Helmstadiensibus, in Novis Actis Societatis Latinae Ienensis, Vol. I. p. 99. sqq. Utriusque codicis lectiones Klaiberus editioni Stutgardiensi addidit.

7 Variae lectiones e codice Livii membranaceo Stutgardiensi ab Osiandro enotatae, in Friedemanni et Seebodii Miscellaneis maximam partem criticis, Vol. I. Part. I. p. 168. sqq.

8 Variae lectiones e codice Livii Cracoviensi a Seebodio excerptae, in iisdem Miscellaneis criticis, Vol. II. Part. IV. p. 634. sqq.

9 Adde nostram Diss. de codicis membranacei T. Livii Patavini Historiarum libros olim complexi fragmento, Norimbergae in bibliotheca Murriana reperto. Lips. 1812. et cf. Acta Seminarii Regii et Societatis Philologicae Lipsiensis, Vol. II. Part. II. p. 440. sqq. Ex hac codicis lacinia locus Liv. XXVII. 16. emendatus est.

10 T. Livii Patavini Historiarum Liber tertius trigesimus, auctius atque emendatius cum Fr. Iacobsii suisque notis ex codice Bambergensi edidit Franc. Goeller. Accessit Epistola I. Th. Kreyssigii ad editorem et varietas lectionum in libris XXXI—XXXVIII. ex eodem codice excerpta. Francofurti ad Moen. 1822.

Lipsiensis, ex quo Longolius olim Drakenborchio quatuor priorum librorum excerpta submisit et quem postea Ernestius penitus excussurus erat, usum mihi benignissime concederet, atque praeter alia minoris momenti praesidia eximium plane et vere unicum necopinanti mihi aliunde subministraretur. Kopitarius enim, supremus bibliothecae Vindobonensis custos, Boettigeri precibus commotus codicem olim Laurishamensem, nunc Vindobonensem, e quo Grynaeum quinque postremos, qui supersunt, Livii libros primum evulgasse constat, denuo perscrutatus est atque non solum omnem lectionum varietatem, a Drakenborchio cupidissime expetitam, diligenter enotavit, sed etiam subinde per epistolas a me rogatus de locis certis pluribus, qui aliquam haberent dubitationem, codicem lectu difficillimum iterum iterumque consuluit et singulas literarum apices rimatus est[11]. His igitur praesidiis adiutus effeci, ut, quum textum a Drakenborchio ad rationes criticas constitutum in prima tertiaque decade ex aliorum plerumque sententia passim correxerim, in quarta autem decade, libro potissimum tricesimo tertio, ac decadis quintae dimidia parte, sive codicum Bambergensis et Vindobonensis auctoritatem, sive coniecturae probabilitatem secutus, locis permultis suppleverim atque emendaverim. Ernestii editio a me recognita novam veluti editionum familiam ducat. Quod quum, tribus editionis nostrae voluminibus evulgatis, Tafelius intellexisset, mercenarium Livio edendo ita navavit operam, ut lectiones optimas et maxime genuinas, quas non ex codicibus Bambergensi et Vindobonensi promiscue, id quod ille falso opinatus est[12], sed ex solo Bambergensi petitas esse, tam res ipsa, quum

11 Quo magis autem Kopitarius, licet iterata codicis antiquissimi collatio non plane supervacanea esse videatur, hoc officio non me solum, sed omnes omnino Livii amatores obstrinxit, eo lubentius profiteor, verba: "mercedem haudquaquam spernendam cum bibliopola liberalissimo pactus," quae in editionis maioris praefatione p. 9. leguntur, non ad eius vituperationem, id quod se suspicari per Graefium meum, optimum gratiae reconciliatorem, mihi significavit, sed ad librariae Weidmannianae, quae octoginta septem imperiales huius rei sumptum erogavit, praecationem pertinere.

12 In Praefatione enim, tomo tertio praefixa, haec scripsit: "Quamquam lucem Kreyssigius, vir doctissimus, postremis quinque libris e codice Bambergensi atque Vindobonensi affusurus sit, ex his, quae iam protulit, laete auspicari licet."

hos libros codice Vindobonensi non contineri, inter omnes constet, quam Goelleri liber, quem plane ignorasse videtur, eum docere potuisset, in imo paginarum margine poneret, Heusingeri autem coniecturis, quae, licet hic Livii interpres, qua ratione librarii peccare potuerint, operose et putide demonstraverit, non nisi raro cordatioribus placebunt, in textum recipiendis orationem Livianam mirum quantum interpolaret. Circumspectius quidem rem gessit Baumgarten-Crusius, recentissimus Livii editor, qui in textu passim refingendo, uti codicum a Drakenborchio aliisque adhibitorum lectionibus, ita Bambergensis quoque copiis rectius est usus, et, quum typographus (quo iure, ipse viderit) quarti editionis nostrae voluminis plagulas nondum evulgatas illi subministrasset, eos etiam locos, quos codicis Vindobonensis auctoritate emendavi, integriores exhibuit. Sed quum idem pariter ac Tafelius, ex cuius editione textum, vitiis operarum non ubique sublatis, describi iussit, quibus in locis a Drakenborchii recensione sive mecum sive cum aliis discessisset, non accurate significaverit, atque praeterea, quum ingenii, quo pollet, acumine in hoc labore festinantius profligato uti nollet, ne unum quidem, quantum memini, Livii locum palmaria coniectura persanaverit et in varias erroris ac negligentiae reprehensiones incurrerit[13], de Livii editionibus horum duumvirorum opera paratis alio tempore ac loco sine ira et studio copiosius exponam.

Praeter eos autem, qui omnes omnino Livii libros ex opere ingenti reliquos ediderunt atque interpretati sunt, post Drakenborchium permulti exstiterunt, qui vel de Livii ingenio, de lactea eius ubertate ceterisque orationis virtutibus et fide historica recte aestimanda, id quod Ioecherum[14], Mirum[15], Schwabium[16], Eschenbachium[17],

13 Uno nunc defungar exemplo, quod in Comm. de locis Gellii Noctt. Att. Lib. VI. Cap. 1. et Lactantii Epit. Inst. Div. cap. 29. Misenae, 1827. p. 19. proposui; posthac plura allaturus.

14 Chr. G. Ioecheri Disp. de suspecta Livii fide Lips. 1743. quae editionis Drakenborchianae Tom. VII. p. 230. sqq. continetur. Eiusd. Disp. de lactea Livii ubertate. Ibid. 1746.

15 A. G. Miri, Livius Augusti Caesaris adulator in historia de Cossi spoliis opimis caute legendus. Helmstad. 1767.

16 S. C. Schwabii Vindiciae credulitatis Livii, cuius ob saepius recensita prodigia insimulatur. Gotting. 1773.

17 C. G. Eschenbachii Diss. qua

Brieglebium[18], Ernestium[19], Klotzschium[20], Wachterum[21], Meierottonem[22], Schellium[23], Wyttenbachium[24], Hegewischium[25], Krusium[26], Wachsmuthium[27], Lachmannum[28], aliosque fecisse constat, subtiliter et copiose disputarent vel singulos Livii locos, de quibus Trekellius[29], Heumannus[30], Semlerus[31], Foersterus[32], Eckhardus[33], Martinius[34], Schellerus[35], Heinzius[36], Uhlius[37], Brendelius[38], Mil-

fides Livii defenditur adversus Ioecheri aliorumque obiectiones. Lips. 1773.

18 I. Christoph. Brieglebii Diss. de Livio eiusque virtutibus. Coburg, 1778.

19 A. Guil. Ernestii Progr. de panegyrica Livii eloquentia. Lips. 1787.

20 I. G. C. Klotzchii Diss. de diligentia Livii in enarrandis prodigiis recte aestimanda. Viteberg. 1789.

21 Chr. Fr. Wachteri Progr. T. Livius Patavinus a reprehensione superstitionis defensus. Clivisae, 1792.

22 I. H. L. Meierottonis Progr. de candore Livii. Berol. 1796. Eiusd. Progr. de testimoniorum Livii fide. Ibid. 1797. Eiusd. Progr. de Livii arte narrandi. Ibid. 1798.

23 C. G. Schelle, Welche alte klassische Autoren, wie, in welcher Folge und Verbindung mit andern Studien soll man sie auf Schulen lesen? Leipzig, 1804. Vol. I. p. 240. sqq.

24 Dan. Wyttenbach de Livio Historico, in Bibliotheca Critica Amstelodamensi, Vol. III. Part. IV. p. 27. sqq. sive in eius Opusculis selectis ed. Friedemann. Vol. I. p. 212. sqq.

25 H. Hegewisch, Ueber die politische Denkungsart des Livius, in eius Neuer Sammlung kleiner historischer und literarischer Schriften. Altona, 1809. No. IV. p. 166. sqq.

26 Chr. Krusii Diss. de fide Livii recte aestimanda. Lips. 1812.

27 W. Wachsmuths Aeltere Geschichte des römischen Staates. Halle, 1819. p. 32. sqq.

28 Fr. Lachmanni Comm. de fontibus Historiarum T. Livii. Gotting. 1822.

29 A. D. Trekells Anmerkungen über das erste und den Anfang des zweiten Buchs von Livius, in eine Kleinen deutschen Aufsätzen, gesammelt und herausgegeben von Ch. G. Haubold. Leipzig, 1817. p. 3. sqq.

30 Christoph. Aug. Heumanni Emendationes plurium locorum Livii et Quinctiliani, in Ikenii Symbolis literariis, Tom. I. Part. IV. p. 463. sqq. et in Sylloge dissertationum, Part. II. p. 487. sqq.

31 I. S. Semleri Epistola ad Christoph. Aug. Heumannum, quae respondet ad appendicem ad Emendationes Livii. Halae, 1750.

32 Locos quosdam Polybii a Latinis interpretibus Livio, Casaubono et Valesio perperam translatos proponit atque examinat C. Christoph. Foersterus. Lips. 1755.

33 I. F. Eckhardi Prolus. de comparatione Alexandri Magni cum imperatoribus Romanis a Livio Lib. IX. cap. 17. facta. Isenaci, 1760.

34 G. H. Martinii Coniecturae in aliquot Livii loca. Annaberg. 1762. Eiusd. Coniecturarum Livianarum Periculum I.—III. Ratisbon. 1766—68.

35 I. I. G. Schelleri Animadversionum criticarum in T. Livii Libros Spec. I. II. Lubbenae, 1769-70. quae inserta sunt eius Observationibus criticis scriptores quosdam. Lips. 1785. p. 248. sqq.

36 I. M. Heinzii Observationum Livianarum Spec. I.—III. Vinariae. 1771—77. quae relata sunt in eius Syntagma Opusculorum scholasticorum varii argumenti. Gotting. 1788. p. 182. sqq.

37 I. Christoph. Uhlius locos quosdam Livii breviter illustrat. Oettingae, 1773.

38 G. Chr. Brendelii Observationes in quaedam Livii loca. Part. I.—IV. Isebergae, 1787—90.

lerus[39], Vossius[40], Krausius[41], Bredenkampius[42], Boettigerus[43], Vincentius[44], Matthiaeus[45], Heroldus[46], Benedictus[47], Nyhoffius[48], Bothius[49], Eichhoffius[50], Becherus[51], Rostius[52], Halbkartus[53], Faehsius[54], Walchius[55], Lindavius[56], Büttnerus[57], Langius[58], Lehnerus[59], Lachmannus[60], Iacobsius[61], Huschkius[62], Beckerus[63], Zanderus[64],

39 Chr. Godofr. Mülleri Specimen Observationum Livianarum. Cizae, 1789.

40 Aenderungen verschriebener Stellen im Livius, von I. H. Voss, in Wiedeburgii Humanistischem Magazin Vol. III. Part. IV. p. 289. sqq. et Vol. V. Part. III. p. 239. sqq.

41 I. Chr. H. Krause Erläuterung einer Rede des Camillus beym Livius L. V. c. 44. in Magazin für öffentliche Schulen und Schullehrer, Vol. I. Part. I. p. 59. sqq.

42 H. Bredenkamps Bemerkungen über einzelne Stellen des Livius, in eodem Magazin etc. Vol. I. Part. II. p. 444. sqq. coll. Vol. II. Part. I. p. 187. sqq.

43 C. A. Boettigeri Progr. de somnio Annibalis apud Liv. XXI. 12. Vinariae, 1792.

44 G. Vincentii de legione Manliana quaestio ex Liv. VIII. 8. desumpta. Lond. 1792.

45 Fr. Chr. Matthiae Einige Anmerkungen zum XXI. Buche des Livius, vom 1. bis zum 38. Capitel. Worms, 1793. Eiusd. Untersuchung über einen etwas undeutlichen Punkt im XXII. Buche des Livius, in Rupertii et Schlichthorstii Magazin für Philologen, Vol. I. p. 71. sqq. Eiusd. Bemerkungen zu den Livianisch-Polybischen Beschreibungen der Schlacht bey Cannae und der Belagerung von Syrakus. Frankf. a. M. 1807. Eiusd. Bemerkungen zu drey Stellen im Herodot, Cicero und Livius. Ibid. 1810.

46 I. C. Heroldi Obss. in Liv. VII. 37. et XXIII. 17. Isleb. 1798.

47 T. Fr. Benedicti ad quaedam Livii loca observationes. Part. I.—VI. Torgaviae, 1799—1808.

48 Sam. Nyhoffii Diatribe critica in Livium, in Actis literariis Societatis Rheno-Traiectinae, Tom. III. p. 194. sqq. et Tom. IV. p. 300. sqq.

49 F. H. Bothii Animadversiones ad Livii libros quinque priores, in Commentariis Societatis Philologicae Lipsiensis, Vol. III. Part. I. p. 29. sqq. et in Bothii Opusculis criticis et poeticis. Berol. 1816. p. 37. sqq.

50 Nic. Godofr. Eichhoffii Animadversiones in T. Livii loca quaedam difficiliora. Part. I.—III. Wetzlariae et Giessae, 1803. 1807. et 1813.

51 Fr. L. Becheri Observationes criticae ad quosdam scriptores utriusque linguae. Lips. 1808. p. 72. sqq.

52 Fr. Guil. E. Rostii Explicatio quorundam locorum T. Livii. Lips. 1810.

53 C. Guil. Halbkarti Tentamina Criseos in difficilioribus quibusdam auctorum veterum et Graecorum et Latinorum locis vel emendandis vel melius explicandis sumpta. Vratislav. 1812. p. 15. sqq.

54 Godofr. Faehsii Observationes criticae in T. Livii Patavini loca quaedam, in eius Sylloge Lectionum Graecarum, Glossarum, Scholiorum in Tragicos Graecos atque Platonem etc. Lips. 1813. p. 459. sqq.

55 G. L. Walchii Emendationes Livianae. Berol. 1815.

56 A. F. Lindavii Spicilegium criticum in Thucydidem et Livium. Vratislav. 1817.

57 Fr. Büttneri Observationes Livianae. Primislav. 1819. quibus adde eiusdem annotationes ad C. L. Baueri Liviana Excerpta sive Chrestomathiam Livianam. Lips. 1824.

58 A. G. Langii Silvae Portenses, in Actis Philologorum Monacensium ed. Fr. Thiersch, Tom. III. Fasc. I. p. 47. sqq.

59 I. F. C. Lehneri Aliquot emendationes Livianae et lectiones Catullianae codicis nondum tractati, in iisdem Actis Philologorum Monacensium, Tom. III. Fasc. II. p. 211. sqq.

60 Fr. Lachmanni Comm. de die Alliensi aliisque diebus religiosis veterum Romanorum. Gotting. 1822.

61 Fr. Iacobsii Notae in T. Livii Patavini Historiarum Lib. XXXIII. in Goelleri libro supra not. 10. laudate p. 385. sqq.

62 Ph. Ed. Huschkii Diss. de pri-

Badenius[65], Hellerus[66], Forbigerus[67], Wolffius[68], aliique, quos enumerare longum est, brevius fusiusve commentati sunt[69], emendarent atque explicarent. Neque tamen enixo et maxime laudabili horum virorum studio effectum est, ut omnes, qui Livii Historiarum libros obsident, librariorum errores sive codicum auxilio, sive coniecturarum ope corrigerentur, omnesque locorum intellectu difficilium obscuritates clarissima doctrinae atque eruditionis luce illustrarentur, sed multae etiamnum restant operis egregii partes, quae artis criticae et hermeneuticae beneficio in integrum restitui ac diligentius explanari debeant.

Quum igitur Tauchnitius, typographus ac bibliopola celeberrimus et de re libraria meritissimus, mihi significasset, se id agere, ut, quemadmodum nuperrime Ciceronis opera, ita Livii quoque libros uno volumine comprehensos emittat et simul minorem eiusdem scriptoris editionem in sex tomos divisam adornet[70], meque in huius consilii societatem vocasset, oblatam mihi textus iterum recognoscendi provinciam eo lubentius suscepi, quo aegrius

vilegiis Feceniae Hispalae senatus consulto concessis. (Liv. XXXIX. 19.) Gotting. 1822.

63 U. Becker, Ueber Livius XXX. 25. und 29. oder: Entwickelung der Begebenheiten, welche zwischen Hannibals Rückkehr nach Africa und der Schlacht bei Zama liegen. Ratzeburg, 1822. et eiusdem Vorarbeiten zu einer Geschichte des zweiten Punischen Krieges. Altona, 1823.

64 Der Heerzug Hannibals über die Alpen nach den neuesten Untersuchungen dargestellt von C. L. E. Zander. Hamburg, 1823. in quo libello p. 22. sqq. ceteri scriptores enumerantur, qui de eadem re exposuerunt.

65 Tork. Badenii Emendationes Livianae, in Seebodii Neuer Kritischer Bibliothek. a. 1823. No. 2. p. 172. sqq.

66 L. Helleri Observationes Livianae. Erlangae, 1824.

67 Th. Sam. Forbigeri Prolus. Animadversiones ad quaedam Livii loca continens. Lips. 1825.

68 Fr. C. Wolffii Observationes et Emendationes Livianae. Part. I. II. Flenopoli, 1826-27.

69 Libris libellisque, quorum titulos apposui, adde nostrum Specimen Observationum in auctores Romanorum classicos. Schneeberg. 1810. et cf. Acta Seminarii Regii et Societatis Philologicae Lipsiensis. Vol. II. Part. II. p. 443. sqq.

70 Triginta quinque, qui supersunt Livii Historiarum libri nescio an rectius cum Lallemando in septem tomos dividantur, quum Livium non primo tantum libro, sed etiam sexto, vigesimo primo et tricesimo primo praefatum esse constet, eumque idem alibi etiam fecisse appareat ex loco Plinii, qui in Praefatione ad Vespasianum Imperatorem, Historiae Naturali praemissa, haec scripsit: "Profiteor, mirari me T. Livium auctorem celeberrimum, in Historiarum suarum, quas repetit ab origine urbis, quodam volumine sic orsum: Satis iam sibi gloriae quaesitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere."

ferebam, maiorem illam Livii editionem ante hos quinque annos a me inchoatam, necdum absolutam, qua Tafelium perverse abusum esse supra dixi, supina eorum, qui typothetarum specimina corrigenda accepissent, negligentia permultis iisque gravissimis operarum peccatis esse deformatam. Haec ut emendarem, prima quidem cura fuit: sed maior altera, ut, quum in re critica neque turpe sit errorem fateri, neque verum videre quovis tempore contingat, lectionem vulgatam aliis locis, quos olim temere sollicitassem, in orationis contextum restituerem, aliis autem, quos olim intactos reliquissem, vel codicum auctoritate fretus, vel coniecturae probabilitate ductus corrigerem; harum quoque mutationum, ut ceterarum omnium, rationem redditurus in annotationibus, quae, simul atque eas per otium absolvere licuerit, quarto editionis maioris tomo subiicientur. In praesentia enim, ut lectores, quibus in locis a Drakenborchii recensione discesserim[71], uno in conspectu viderent, pro huius editionis consilio satis habui, varietatem lectionum editionis Drakenborchianae adiungere, in qua, quum Liv. II. 12. *ira infensus*, atque lib. XLII. 48. *quinquereme*, pro quo in editione minore *quinqueremi* legitur, non mutandum esse, ex Liv. I. 53. et lib. XXVI. 51. sero intellexerim, notas ad locos illos pertinentes: Cap. 12. *ira incensus*] *ira infensus*, atque: Ibid. *quinqueremi*] *quinquereme*, inducendas esse moneo, ne malevoli iudices, ut fit, editoris negligentiam carpant. Praeterea utrique editioni accesserunt deperditorum Livii librorum fragmenta, quibus auctore et suasore Niebuhrio secundum Epitomarum seriem in iustum ordinem redactis non solum addidi pretiosissimas illas libri nonagesimi primi reliquias, quas ante hos quinque et quinquaginta annos a Brunsio ac Iuvenatio et nostra aetate a Niebuhrio ac memet ipso ex codice Vaticano, eoque palimpsesto, editas esse constat[72], sed etiam inserui

71 In mutanda verborum Latinorum scriptura, de qua Grammatici certant, et adhuc sub iudice lis est; ea plerumque secutus sum, quae Grotefendus et Schneiderus in Grammaticis Latinis atque Lindemannus in Praefatione libelli: Selecta e poetis Latinis carmina. Lips. 1823. p. 5. sqq. hac de re praeceperunt.

72 De hoc fragmento cf. nostra Adumbratio notitiae literariae de T. Livii Patavini Historiarum Lib. XCI. fragmento, Romae in bibliotheca Vaticana reperto. Lips. 1813. et Elenchus editionum Fragmenti Liviani ex codice Vaticano eruti, Tom. I. p. 66. sqq. editionis nostrae maioris.

locum Tacit. Agric. cap. 10. de forma Britanniae, a omnibus omnino horum fragmentorum editoribus praetermissum, qui ad Livii librum centesimum quintum referendus esse videtur. Denique, ne quid in hoc opere desideraretur, index rerum memorabilium, quae Livii Historiarum libris continentur, iussu Tauchnitii, redemptoris honestissimi, ex editione Bipontina adiectus est; ita tamen, ut omissis iis, quae ad Freinshemii Supplementa pertinent, non solum plerisque Livii locis a me vel correctis vel supletis accommodaretur, sed etiam, quum multis ille labore vitiis, passim emendaretur.

VARIETAS LECTIONUM

DITIONIS DRAKENBORCHIANAE.

Ser. Cornelius Sulla, praetor, sortitur Sardiniam 41, 22. legatus in Macedoniam 45, 17.

Cornicines et tubicines in centuria distributi a Servio 1, 43.

Corniculana captiva, qua natus Servius Tullius 1, 39. 4. 3.

Corniculum, oppidum, a Tarquinio Prisco captum 1, 38.

Cornus, urbs, Sardiniae caput, a T. Manlio occupatur 23, 40.

Corolamus, regulus Boiorum, cum Romanos 33, 36.

Coronae aureae Iovi in Capitolium missae 2, 22. 3, 57. cf. et 4, 20. 38. 32, 27. 36, 35. 38, 14. 43. 44, 14. 45, 25. coronis aureis donati milites 7, 10, 26 et 37. 12. 2. coronae aureae praeferuntur in triumpho 34, 52. 37, 58 et 59. 38. 7, 29 et 42. 40, 16, 34 et 43. 45. 39. gestatae a triumphantibus 45. 15. corona laurea, gestata a succantibus 23, 11. 27, 37. civica 20. 10, 46. graminea obsidionalis 37. muralis 6, 20. 10, 46. vallaris 10, 46.

Coronea, oppidum 33, 29.

Coronei, 42, 44 et 63. vexant Thebanos 67. a Crasso consule crudeliter vexati, a senatu in integrum restituuntur 43, 4.

Coroneum vel Coronensem agrum depopulantur Romani 36, 20.

Corone, urbs 39, 49.

Corragum, castellum, capitur 31, 17.

Corragus, Macedo 38, 13.

Corragus, Eumenis praefectus 42, 67.

Corribilo, nobilis regulus Hispanus, vivus capitur 35, 22.

Corsica, insula 22, 31. 30, 39.

Corsi deficiunt 40, 19. caeduntur a M. Pinario, praetore 34. dant obsides, ibid. vincuntur a C. Cicereio, praetore 42, 7. iis pax data, et exacta cerae ducena millia pondo, ibid. de iis triumphat in monte Albano C. Cicereius 21.

Cortona, urbs Etruriae 9, 37. cf. et 22, 4.

Cortuosa, oppidum Etruscum, vi captum a Romanis 6, 4.

Corvus in M. Valerii, trib. milit. singulari certamine cum Gallo pugnantis, consedit galea 7, 26.

Corycus, urbs Ciliciae 33, 20.

Corycus, portus Ioniae 36, 43. 37, 8.

Corycum, promontorium 37, 12, 13.

Corylenus, oppid. 37, 21.

Cos ab Atto Navio augure novacula discissa 1, 36.

Cosani, ob servatam fidem a Romanis laudati 27, 10. petunt, ut colonorum numerus cogatur 32, 2. frustra, ibid.

Cosanus portus 22, 11. 30, 39.

osconius, trib. milit. cadit in elio cum Magone Poeno 30, 18.
, nobilis Bastarna 40, 57.
n, urbs, oppugnatur 37, 21.
s, Seuthae filius, Odrysarum rex, et Perseo 42, 29, 51, 57 et 67.
rax genere solo, non moribus . 4. eum liberat Perseus a Darnis 5. fugit cum Perseo 44, 42.
is filius, captus a Romanis, mitur Carseolos in custodiam 45, datis obsidibus recipit filium id.
s, civitas 37, 16.
nii, Cephalleniae populi 38, 28.
non, urbs Thessaliae 36, 10. 42, 4 et 65.
nonius ager 42, 64.
terus 35, 26.
ditori ne debitoris corpus obnoxium esset, lege cautum 8, 28.
maste Larissa 31, 46.
mera, fl. 2, 49.
mona colonia deducta, atque inde Gallorum irae 21, 25. Cremonam obsident Galli 31, 10. ad Cremonam a L. Furio vincuntur Galli 21. Cremonae quod bello dirutum fuerat, restituit L. Valerius Flaccus, cos. 34, 22.
remonensium fides in Romanos 27, 10. legati queruntur, agrum suum ab accolis Gallis incursari ac vastari 28, 11. queruntur inopiam colonorum 37, 46.
remonensis cohors 44, 40.
remonis iugum 21, 38.
rene, oppidum 37, 21.
reta, insula 34, 27. 37, 60.
Cretenses 24, 30. 35, 28 et 29. 37, 39 et 40. pediti Rom. parum metuendi 31, 39. captivos Rom. a Cretensibus frustra repetit Q. Fabius Labeo 37, 60. eorum dissidia 41, 30. legatos Romam mittunt, pollicentes sagittarios 43, 9. Cretenses sagittarii 37, 41. 38, 21. 42, 35. 43, 9.
Creusa, mater Ascanii 1, 3.
Creusa, Thespiensium emporium 36, 21. 42, 56. 44, 1.
Crito Beroeaeus, legatus Philippi ad Hannibalem 23, 39.
Croton, urbs Graeca 1, 8. capitur, excepta arce, a Bruttiis 23, 30. cf. et 24, 2 et 3. 29, 36.
Crotonem colonia civium Rom. deducta 34, 45.
Crotonienses deficiunt ad Poenos post cladem ad Cannas 22, 61. abeunt Locros 24, 3. Crotoniensis ager 29, 36. 30, 19.
Crustumerium, colonia deducta a Romulo 1, 11. a Tarquinio Prisco capitur 38.
Crustumina tribus 42, 34.
Crustumini populi ad videndam Romam proficiscuntur 1, 9. bellum parant ob raptum filiarum 10. vincuntur 11.
Crustuminis montibus Allia fluvius defluit 5, 37.
Crustuminus ager 41, 13.
Cuballum, Gallograeciae castellum 38, 18.
Cumae 2, 9. 4, 44. 9, 19. 23, 36. 41, 20. Cumas missi ad frumentum comparandum 2, 9 et 34. Cumis moritur Tarquinius 21. Cumae capiuntur a Campanis 4, 44. Cumas it obsessum Hannibal 23, 36. defenduntur a Graccho, ibid. a Cumis recedit Hannibal, 37.
Cumanis civitas sine suffragio data 8, 14. Cumani unde originem trahant? 22. municipes 23, 31. in Cumanos Campanorum molitiones 35—37. Cumanis permissum publice Latine loqui, eorumque praeconibus ius datum vendendi Latine 40, 42.
Cumanae aquae 41, 20. cohortes 2, 14.
Cumanus ager vastatur ab Hannibale 24, 13.
Cuneus 8, 10. 22, 47. cuneus Macedonum, phalanx 32, 17.
Cuneo pugnant Hispani 39, 31.
Cuniculi in obsidione 4, 22. 5, 19 et 21. 23, 18. 36, 25. cuniculis deprehensis quomodo resistatur 38, 7.
P. Curatius, trib. pl. accusat duos tribunos milit. 5, 11.
Curia, pars populi, in curias triginta populus a Romulo divisus 1, 13. curia Faucia 9, 38. curiata comitia 5, 52. 6, 41. curiata lex 5, 46. 9, 38. curia, locus, in quo senatus habetur. curia Hostilia 1, 30. 5, 55. 22, 55. curiae triginta a raptarum nominibus appellatae 1, 13.
Curiatii, ex Albanis principibus in collegium Patrum lecti 1, 30. Curiatiorum et Horatiorum trigeminorum fratrum certamen 1, 24 et 25. sepulcra Horatiorum et Curiatiorum, ibid. Curiatiorum spolia fixa eo loco, qui Pila Horatia appellatur 26.
P. Curiatius, cos. 3, 32. decemvir legibus scribendis 33.
Curio maximus 3, 7. 27, 8. primus ex plebe maximus curio C. Mamilius Vitulus, ibid.
M'. Curius, trib. pl. 32, 7.
C. Curtius, cos. 4, 1. capit parum recte tabernaculum 7.

M. Curtius, iuvenis bello egregius, equo insidens, armatus se in voraginem immittit 7, 6.
Curtius lacus 1, 13. 7, 6.
Curulis magistratus 5, 41. cf. et Magistratus. curules magistratus creari toto quinquennio non patiuntur tribuni pl. 6, 35. curules magistratus duos simul unus nec capere potest, nec gerere 39, 39.
Curulis sella 1, 8. curules equi 24, 18.
Cusibi, oppidum Hispaniae 35, 22.
Cutiliae 26, 11.
Cutina, oppidum Vestinorum, capitur a Romanis 8, 29.
Cyatidem, arcem Samaeorum, occupant Romani 38, 29.
Cyclades, insulae 34, 26. 36, 43. 44, 28 et 29. regio inter Cycladas est ventosissima, fretis alias maioribus, alias minoribus divisa 36, 43.
Cycliadas, praetor Achaeorum 27, 31. Philippi postulationem eludit 31, 25. trahens res ad Philippum, expellitur 32, 19. apud Philippum exsul 32.
Cydas, dux Gortyniorum Cretensium, iungit se Quinctio 33, 3.
Cydas Cretensis, ex intimis Eumenis 44, 24. per eum tractatae inter Eumenem et Persea conditiones amicitiae 13.
Cydoniatae adversus Gortynios et Gnossios bellum gerunt 37, 60.
Cylarabis, gymnasium trecentos passus ab Argis 34, 26.
Cyllene 27, 32.
Cyme, urbs, deficit ad Seleucum 37, 11.
Cymaei 38, 39.
Cymines, oppidi, potiuntur Aetoli 32, 13.
Cynosarges, templum Herculis, incenditur a Philippo 31, 24.
Cynoscephalae, tumuli 33, 7. ibi magna pugna vincitur Philippus 7–10. cf. et 16. et 36, 8.
Cynus, emporium Opuntiorum 28, 6.
Cypaera, urbs, capitur ab Antiocho 36, 10.
Cyphara, 32, 13.
Cyprius vicus Romae 1, 47.
Cyprus, insula 33, 41. Cyprum classe missa, Antiochus ea sibi cedi postulat 45, 11.
Cypsela, castellum, occupat Philippus 31, 16. cf. et 38, 40.
Cyrenae, urbs 23, 10.
Cyretiae, urbs in Thessalia, capitur a Romanis 31, 41. cf. et 36, 10 et 13. et 42, 53.
Cyrtaei, funditores 37, 40.
Cyrtii, 42, 58.
Cyrus, rex Persarum 9, 17.
Cyssus, portus Erythraeorum 36, 43.
Cythnus, insula 31, 15 et 45.
Cyzicus, urbs 41, 25. Cyzici in Prytaneum vasa aurea mensae unius ponit Antiochus Epiphanes, ibid.

D.

Daedala, castellum 37, 22.
Dahae, populi 35, 48. equites sagittarii 37, 38 et 40.
Damippus Lacedaemonius, missus ab Syracusanis ad Philippum regem 25, 23. capitur a Romanis, ibid. eum redimere studet Epicydes, ibid.
Damiurgi, sive Demiurgi, Achaeorum magistratus 32, 22. cf. et 38, 30.
Damius, praefectus classis Eumenis 44, 28.
Damocles, Argivus adolescens, in libertatem Argos vindicare volens, occiditur 34, 25.
Damocritus, praetor Aetolorum, Philippo adversus Romanos favet 31, 32. legatus mittitur ab Aetolis ad Nabin, ut eum concitet ad bellum Romanum 35, 12. eius ad T. Quinctium superbum responsum 33. vivus traditur Romanis 36, 24. coniicitur in Lautumias 37, 3. se transfigit gladio 46.
Damoteles, legatus Aetolorum 38, 8.
Dantheletas depopulantur Macedones 39, 53. 40, 22.
Daorseis, populis Illyrici, immunitas data 45, 26.
Daphne 33, 49.
Darda, Epirotarum praetor 29, 12.
Dardanum, urbs Asiae 37, 9 et 37. donatur libertate 38, 39.
Dardani 26, 25. 40, 30. populantur Macedoniam 27, 33. iis infert bellum Philippus 28, 8. pollicentur Romanis auxilia adversus Philippum 31, 28. male multantur 43. pugnant et cedunt confertim, ibid. caeduntur a Philippo 33, 19. gens infestissima Macedoniae 40, 57. bellum eos inter et Bastarnas 41, 23. vincuntur, ibid. eorum urbs, obsessa a Bastarnis, liberatur, ibid. caeduntur a Perseo 43, 5.
Darius, rex Persarum, mulierum et spadonum agmen trahens, praeda verius, quam hostis Macedonum 9, 17.
Darsa, urbs 38, 15.
Dasius Altinius Arpinus, proditor,

incitur a Romanis 24, 45. eius
ımilia comburitur ab Hannibale,
›id.
sius, Brundisinus, praefectus prae-
idii, prodit Hannibali Clastidium
icum 21, 48.
sius, Salapiae princeps, favet Han-
ıibali 26, 38. eum de proditione
ıppellat Blasius, ibid.
ssarenses, populi 45, 26. iidem, ut
videtur, cum Dassaretiis, qui mox
sequuntur.
ıssaretii, populi 27, 32. eorum fines
populatur P. Sulpicius 31, 33. Das-
saretiorum Pirustis immunitas data
45, 26. Dassaretiorum vici 27, 32.
castella 42, 36.
aulis, urbs 32, 18.
ecembribus Idibus consulatus initus
4, 37. et census habitus 44, 16.
›ecemviri legibus scribendis sine pro-
vocatione creati 3, 32. decem ta-
bulas legum ferunt 34. novi crean-
tur 35. horum impotentia et cru-
delitas 36 et 37. alterum annum
privati imperium retinent 38. sena-
tum per praeconem in curiam vo-
cant ibid. delectum habent 41. co-
guntur se magistratu abdicare 54.
Claudio et Oppio in carcere mor-
tuis, ceteri in exsilium mittuntur
eorumque bona publicantur 58. de-
cemviri sacrorum, partim ex plebe,
partim ex patriciis 6, 37 et 42. in-
spiciunt libros Sibyllinos 7, 27. 21,
62. 22, 1, 36 et 57. 25, 12. 31, 12.
34, 55. 35, 9. 41, 26. maioribus
hostiis sacrificant 22, 1. Graeco ritu
sacra faciunt 25, 12. supplicationem
indicunt 40, 37. coronati laurea
praetextatique sequuntur virgines
in sacrificio Iunonis 27, 37. verba
praeeunt in voto concipiendo 41,
26. Decemviri agris inter veteranos
milites dividendis creati 31, 4. De-
cemviris qui nocuisset, eius caput
Iovi sacrum 3, 55. in decemviros
acres dicit sententias senatus 3, 39.
cf. et 52.
Decimatio militum 2, 59.
C. Decimius Flavus, trib. milit. 27,
14. eius insigne factum, ibid.
C. Decimius Flavus, praetor creatur
39, 32. sortitur iurisdictionem ur-
banam 38. moritur 39.
C. Decimius, legatus 42, 35. praetor
43, 13. sortitur iurisdictionem per-
egrinam 17. legatus ad finiendum
inter Antiochum et Ptolemaeum
reges bellum 44, 19. eius apud
Rhodios moderatio 45, 10.
L. Decimius, legatus 42, 37. capta-
rum pecuniarum ab regibus Illyrio-
rum suspicione infamis 45.
M. Decimius, legatus 42, 19.
Num. Decimii Samnitis interventu
restitutum proelium 22, 24.
M. Decius, trib. pl. 9, 30.
P. Decius Mus, quinquevir mensarius
creatus 7, 21. trib. milit. 34. eximit
ingenti periculo Romanas legiones,
ibid. et 35, 36. donis militaribus
ornatus a consule 37. duas a mili-
tibus coronas obsidionales accipit,
ibid. cos. 8, 3. eius somnium 6. ei
immolanti parum laeta exta appa-
rent 9. se devovet pro populo Ro-
mano Quiritibusque, ibid. in mediis
hostibus moritur, ibid. eius corpus
postero die inventum inter maxi-
mam hostium stragem, coopertum
telis 10. ei funus celebrat T. Man-
lius, cos. ibid.
P. Decius Mus, cos. 9, 28 et 29. le-
gatus 40. cos. iterum 41. eius in
Etruria res bene gestae, ibid. ma-
gister equit. 44. censor 46. eius
oratio pro lege de augendo numero
sacerdotum 10, 7 et 8. pontifex
creatur 9. tertium cos. 14. eius res
gestae, ibid. et 15. proconsul Sam-
nitium exercitum expellit finibus
16. tres urbes in Samnio capit 17.
quartum cos. 22. eius contentio
cum Fabio collega de provinciis 24.
cum eo ad bellum proficiscitur 26.
pro exercitu Romano se Diis Ma-
nibus devovet 28. equum in Gallos
concitans, interficitur 29.
P. Decius Subulo, triumvir deduce-
dis Aquileiam colonis 43, 19.
P. Decius, legatus 45, 3.
Decumae duae frumenti exactae 36,
2. cf. et 37, 2.
Decumana porta castrorum 3, 5. 10,
32.
Decuriae, in decurias decem distributi
centum Patres post obitum Ro-
muli 1, 17.
Decuriatus, sive descriptio equitum
in decurias 22, 38.
Decursio exercitus 26, 51. 29, 22.
35, 35. 40, 6.
Dedicatio templi consulis est, aut im-
peratoris 9, 45.
Dediti triumphati ac venditi 7, 27.
deditis ultro nihil hostile illatum
30, 7. 37, 32.
Deditionis formula 1, 37. 7, 31. cf. et
28, 34.
Delectus 2, 55. 3, 67. 4, 1, 31. im-
peditur 4, 6. 6, 32. non ex toto
passim populo habitus 4, 46. iuni-
orum a Camillo habitus, ita ut se-
niores quoque in verba sua iuratos
centuriaret 6, 7. sine vacationibus

habitus 7, 28. voluntariorum 9, 10. omnis generis hominum 10, 21. servorum 22, 57. 23, 14. facinorosorum et iudicatorum pecuniae 23, 14. difficulter habitus 25, 5. 42, 32. 43, 16. de delectu censorum edicta 43, 16. de delectibus cf. porro 22, 37 et 38. 24, 11. 26, 35. 27, 38.

Delium, urbs Boeotiae 31, 45. et Apollinis templum, imminens mari 35, 51. eius templi religio, ibid.

Delphi, umbilicus terrarum orbis 38, 48. medius umbilicus Graeciae 41, 28. Delphos petit Aemilius Paullus 45, 27. Delphos missi regis Tarquinii liberi portenti causa 1, 56. idem rursus factum, durante Veiorum obsidione 5, 15 et 16. cf. et 22, 57. 23, 11. legati ad donum ex praeda portandum missi 5, 28. 28, 45.

Delubra Deorum 8, 33. sunt religione sola tuta 31, 30.

Delus, insula 33, 30. 36, 42. 44, 28. 45, 10. Delon aris insignibus et statuarum copia exornat Antiochus Epiphanes 41, 25. eius insulae templique sanctitas inviolatos praestat omnes 44, 29.

Demarata, filia Hieronis, uxor Andranodori, stimulat maritum ad retinendam tyrannidem 24, 22. occiditur 25.

Demaratus, Corinthius, Lucumonis pater 1, 34.

Demetrias, urbs Thessaliae ad mare 27, 32. 28, 5, 7 et 8. 31, 24. 36, 20. 42, 67. 44, 12, 13 et 24. una e compedibus Graeciae 32, 37. occupatur ab Aetolis 35, 34. se dedit Philippo 36, 33. cf. et 40, 24.

Demetriacus sinus 28, 5.

Demetrium Phthiotidis 28, 6.

Demetrium, portus Samothraciae 45, 6.

Demetrius Pharius; ad eum deposcendum legati missi 22, 33.

Demetrius, Philippi Macedoniae regis pater 31, 28.

Demetrius, filius Philippi 33, 13. obses a patre datur Romanis 30. ante currum triumphalem T. Quinctii ducitur 34, 52. patri redditur 36, 35. remittitur a patre Romam ad purganda crimina 39, 35. defendit patrem 47. in eius honorem senatus multa condonat Philippo, ibid. redit in Macedoniam 53. eius cum Perseo fratre maiore comparatio, ibid. cum eodem discordiae, ibid. prava Persei in Demetrium consilia 40, 5. Demetrius fit suspectus Philippo, ibid. ludicri certaminis victor 6. eum apud patrem accusat Perseus 8. Demetrius sese oratione defendit 12. meditatur fugam 23. fictae dolo Persei ad eum perdendum T. Quinctii literae, ibid. et 24. iterum accusatus a fratre, iussu patris interficitur, ibid. eius innocentiam Philippus agnoscit 54 et 55. et desiderio multum angitur 56.

Democrates, praefectus classis Tarentinae 26, 39. cf. et 27, 15. fortiter pugnans cadit 16.

Denarius nummus 8, 11.

Deorum cultus et reverentia etiam in hoste 4, 46. alio transferendorum mos ac religio 5, 22. Deorum signa aenea facta ex argento multaticio 27, 6. simulacra semiusta et truncata a Philippo rege 31, 30. Penatium aedes in Velia 45, 16.

Desudaba, urbs Maedicae 44, 26.

Desultorum, binos trahentium equos, dexteritas 23, 29.

Devovere licet consuli, dictatori et praetori, non se, sed quem velit legionarium militem 8, 10. si is non moritur, quid faciendum, ibid. devovent se primores Romanorum adventantibus Gallis 5, 41. devoventis forma 8, 9. 10, 28.

Deuriopus, Paeoniae regio 39, 53.

Dexagoridas, proditurus Romanis urbem Gythium, interficitur a Gorgapa 34, 29.

Dialis flamen 1, 20. 26, 23. ei unam noctem extra urbem manere nefas 5, 52. iure sacerdotii ingreditur senatum 27, 8. iurare in leges non potest 31, 50. Dialis apex 6, 41.

Diana Ephesia 1, 45. Dianae aedes vota 39, 2. dedicata 40, 52. lucus 27, 4. templum in Aventino 1, 45. Abydi 31, 17. Heracleae 36, 22. Aulide 45, 27. Dianae insignis magnitudinis bos immolatur 1, 45. lectisternium ponitur 5, 13. 22, 10. festum per triduum agitur Syracusis 25, 23. Dianae Amarynthidis sacrum anniversarium Eretriae 35, 38. Dianae, quam Tauropolon vocant, fanum Amphipoli 44, 44.

Dianium 1, 48.

Dicaearchi Plataeensis rogatio 33, 2.

Dicaearchus 38, 10. Aetolorum legatus, mittitur ad Antiochum, ut eum concitet ad bellum Rom. 35, 12. eum sibi dedi postulat M'. Acilius Glabrio, cos. 36, 28.

Dictator primus quis, non satis constat 2, 18. sine provocatione 2, 29. 3, 20. belli causa dictus 4, 26. 7, 9 et 11. clavi figendi causa 7, 3.

8. comitiorum causa 8, 23. 9, 15, 2. feriarum constituendarum sa 7, 28. quaestionibus exercen- 9, 26. primus de plebe 7, 17. sulem ad se venire iubet sine oribus 22, 11. dictatoris edictum numine observatum 8, 34. dic- ori nefas equo uti sine permissu pulì 23, 14. cum magistro equi- n aequatum imperium 22, 26. tatori multam dictam quidam rum probabiliter scripsere 6, 38. dictatore provocatum ad popu- m 8, 33. duo dictatores tempore 10 23, 22 et 23. dictator sine ma- stro equitum, ibid. de dictatore cendo magna concertatio 4, 56. 7, 5.
tatura semestris 3, 28. 9, 34.
tynneum, locus prope Spartam 4, 38.
las, praefectus Paeoniae, prodit Perseo arcana consilia Demetrii 40, 13. occidit Demetrium 24. cf. et 12, 51, 58.
es Alliensis unde dictus 6, 1. dies comitiales 3, 11. initiorum 31, 14. Latinarum 8, 11. festi profestique 5, 25. 34, 3. nefasti fastique facti a Numa Pompilio 1, 19. religiosi 6, 1.
ii coelestes, inferi 10, 28. hospitales 39, 51. indigetes 8, 9. Manes 8, 6 et 9. 10, 28. Penates 1, 1. praesi- des urbis Romae 3, 7. sociales 3, 18. Dii non alii, nisi Romani, et more patrio, colendi 4, 30. Deo- rum cultus ne mortis quidem metu desertus 5, 46. Deorum evocando- rum ex urbe hostili mos 5, 21. e sede sua in aliam transferendorum ritus ac religio 22. Deorum negli- gentia et contemptus aetate Livii 3, 20. 10, 40. Diis templa in ipso discrimine vovendi mos 10, 42, et passim.
Sex. Digitius, socius navalis, post Car- thaginem Novam captam, certat de murali corona cum Q. Trebellio 26, 48.
Sex. Digitius, praetor 34, 42. sortitur Hispaniam citeriorem 43. parum scite aut fortunate rem gerit in ea- dem Hispania 35, 1 et 2. legatus 37, 4.
Sex. Digitius, legatus in Macedoniam 41, 27. ad frumentum classi exer- cituique coemendum in Apuliam mittitur 42, 27. trib. milit. 43, 13.
Dimalum expugnat L. Aemilius 29, 12.
Dinarchus, praefectus equitum gentis Aetolorum 43, 24.
Diniae, urbs Phrygiae 38, 15.
Dino, princeps Rhodiorum 44, 23, et 29. deditur Romanis 45, 22.
Dinocrates praefectus Philippi, fugit 33, 18.
Dinocrates, praetor Messeniorum 39, 49.
Dinomenes, custos corporis Hieronym- mi, in eum coniurat et sociis ad eum interficiendum aperit viam 24, 7. Syracusis praetor creatur 23.
Diocles, princeps Aetolorum, occu- pat Demetriadem 35, 34.
Diodorus, praefectus Amphipolis 44, 44. eius ars, ibid.
Diomedis Argivi campi 25, 12.
Dionysius, Siciliae tyrannus, per do- lum arcem Crotonis capit 24, 3. eius vox 22.
Dionysodorus, legatus Attali 32, 32.
Diophanes, praetor Achaeorum, leni- ter castigatur a T. Quinctio legato 36, 31. missus in auxilium Attalo, Syros ab obsidione Pergami abscedere cogit 37, 20 et 21. legatus mit- titur Romam 38, 32.
Dioxippus Athenas defendit adversus Philippum 31, 24.
Dipylon Athenis 31, 24.
Dirae, parricidii ultores 40, 56.
Dirae populi in Philippum a Diis exauditae 40, 5.
Disciplina militaris a T. Manlio san- cita filii sanguine 8, 7. defensa a Papirio dictatore 34 et 35. iam inde ab initiis urbis tradita per manus 9, 17.
Diverbia 7, 2.
Divi Novensiles 8, 9.
Dium, urbs Macedoniae 26, 25. 33, 3. 42, 38. 44, 2 et 3. non magna, sed munita egregie, et exornata publicis locis et multitudine statuarum 44, 7.
Dodonaei Iovis sortes 8, 24.
Dolabrae ad proruendum vallum 9, 37. dolabra refringendae portae 28, 3.
Doliche, oppidum deditum Perseo 42, 53. cf. et 44, 2.
Dolopes pronuntiantur liberi 33, 34. recipiuntur armis a Philippo 36, 33. deficiunt ad Aetolos 38, 3. a Perseo, Philippi filio, oppugnantur 5. a Macedonibus devastantur 8. totam gentem sub ius iudiciumque suum cogit Perseus 41, 27.
Dolopia 32, 13. 36, 33. 38, 8. 39, 26.
Cn. Domitius, cos. 8, 17.
C. sive potius Cn. Domitius Cn. F. Calvinus, aedilis curulis 10, 9.
Cn. Domitius Ahenobarbus, aedilis plebis 33, 42. creatur praetor 34,

42. sortitur iurisdictionem urbanam 43. creatur cos. 35, 10 et 20. ei se dedunt Boii 22 et 40. proconsul 36, 37.
Cn. Domitius Ahenobarbus, oppido adolescens, in locum Q. Fulvii Flacci sufficitur pontifex 42, 28. legatus in Macedoniam 44, 18. rursum 45, 17.
Donuca, mons Thraciae 40, 58.
Dorimachus, princeps Aetolorum 26, 24.
Doris 28, 7. Doridis oppida, Tritonon et Drymas, capit Philippus, ibid.
Doriscon, castellum, occupat Philippus 31, 16.
Dorulacus, dux Boiorum 34, 46.
Draudacum, castellum frequens in Penestia 43, 21.
Drepanum, urbs: a Drepanis atque Eryce detractus Hamilcar 28, 41.
Dromades ante equitatum Antiochi 37, 40.
Dromos, campus ad Lacedaemonem 34, 27.
Druentia, amnis 21, 31.
Drymae, oppidum Doridis 28, 7.
Drymussa insula 38, 39.
Ducarius quidam, eques Insuber, C. Flaminium cos. lancea transfigit 22, 6.
Duellum iubet P. R. cum Antiocho 36, 2.
Caeso Duilius, creatur decemvir 3, 35.
Caeso Duilius, cos. 8, 16. triumvir coloniae Ausonum Cales deducendae, ibid.
C. Duilius plebeius, trib. milit. consulari potestate creatus 5, 13.
C. Duilius, quinquevir mensarius creatus 7, 21.
M. Duilius, trib. pl. 2, 58. diem dicit Ap. Claudio 61. plebi in certaminibus decemviralibus non inutilis 3, 52—54. iterum trib. pl. creatur in Aventino 54. rogationem pertulit de consulibus creandis cum provocatione, ibid. eius aequitas demit metum Patribus 59. collegis, magistratum continuare cupientibus, resistit 64.
M. Duilius, trib. pl. rogationem fert de unciario foenore 7, 16.
Duplicarii 2, 59.
Durnium, sive potius Burnium, oppidum 44, 30.
Duronia, urbs 10, 39. expugnata a L. Papirio, cos. ibid.
Duronia, mater P. Aebutii 39, 9. filium Bacchis vult initiari, ibid. res detegitur consulibus, qui Aebutium tuentur 11 et 19.
L. Duronius, creatus praetor, sortitur Apuliam, cui Istri adiecti 40, 18.
Duumviri iudicant perduellionem 1, 26. 6, 20. duumviri sacris faciundis, librorum Sibyllinorum custodes 3, 10. 5, 13. dedicant aedem Martis 6, 5. rogatio, ut pro duumviris sacris faciundis creentur decemviri 6, 37. ad aedem Iunoni Monetae faciundam 7, 28. navales, classis ornandae reficiendaeque causa 9, 30. 40, 18 et 26. 41, 5.
Dux quando reus? 8, 33. duces, ob male rem gestam rei 2, 52. 5, 11 et 12. 26, 2 et 3. ducum Romanorum, circa Alexandri M. tempora praestantissimorum, enumeratio 9, 17. clarissimorum trium uno anno parum dignus splendore vitae exitus 39, 52. ducibus validior res Romana, quam exercitu 2, 39.
Dymae 27, 31. 32, 21. 38, 29.
Dymaei abeunt e concilio Achaeorum, in quo societas cum Romanis adversus Philippum inibatur 32, 22.
Dymaeus ager 27, 31. vastatur 32, 22.
Dymenses funditores 38, 29.
Dyrrhachium 29, 12. 31, 27. 42, 48.
Dyrrhachini 42, 48. auxiliantur Romanis adversus Gentium 44, 30. donantur lembis de Gentio rege captis 45, 43.

E.

Ebulidam Chalcidensem ab Antiocho sibi dedi cupit Scipio 37, 45.
Ebusus insula direpta 22, 20.
Ecetra 4, 61. 6, 31.
Ecetranis Volscis datur ex senatusconsulto pax, et adimitur ager 2, 25. desciscunt ad Aequos 3, 4.
Echecrates, pater Antigoni 40, 54.
Echedemus, princeps legationis Atheniensis, impetrat a Scipione indutias sex mensium 37, 7.
Echedemus, princeps Acarnanum 33, 16.
Echinus, oppidum 32, 33. 34, 23.
Eclipsis solis 22, 1. 30, 2 et 38. 37, 4. 38, 36. lunae praedicta a C. Sulpicio Gallo tribuno milit. 44, 37.
Edesco, clarus inter Hispanos duces, venit ad P. Scipionem 27, 17.
Edessa, urbs Macedoniae 45, 29.
Edictum dictatoris 2, 30. 8, 34. consulum 2, 24. 8, 6.
Egeria Dea, cum qua nocturnos congressus simulat Numa Pompilius 1, 19.

ii nomen ab inopia inditum filio
untis 1, 34. is Collatiae in prae-
lio relinquitur 38. eius filius Tar-
inius Collatinus, vide Tarquinius.
gilius, triumvir coloniae dedu-
ndae 41, 17.
. Egnatius, dux Samnitium, auc-
r belli adversus Romanos 10, 18.
mbros vocat ad defectionem, et
allos ingenti pretio sollicitat 21.
dit in pugna 29.
ea 37, 18. 38, 40. 44, 28.
eus, oppidum 31, 16. 37, 9.
tia, urbs Phocidis 28, 7. 32, 19.
bsidetur a Romanis et capitur,
bid. et 32, 24. 33, 27.
tia Thessaliae 42, 54.
i cum Achaeis pugnant 27, 31, 33.
os, Olympiorum sollenne ludi-
rum parantes, aggredi vult Ma-
chanidas 28, 7. a Romanis ascri-
pti foederi, cum Philippo inito 29,
12. veniunt Chalcidem ad Antio-
chum, auxilium petentes adversus
Achaeos 36, 5.
eus ager vastatur a Philippo 27,
31 et 32.
lephanti turbant suorum aciem 27,
14. quonam modo Rhodanum tra-
iecti 21, 28. quonam modo per in-
via traducti 44, 5. in ludis Circen-
sibus adhibiti 18. elephantorum
frontalia, et cristae, et tergo impo-
sitae turres 37, 40. elephantis
quando primum Romani usi 31,
36. elephantos fabrili scalpro ne-
care docuit Hasdrubal 27, 49.
leusinem frustra tentat Philippus
31, 25. et Philocles, unus ex Phi-
lippi praefectis 26.
leusis ad Alexandriam 45, 12.
limea regio 31, 40. 42, 53. 43, 23.
limiotis 45, 30.
lis, civitas 27, 32. sentit cum Aeto-
lis 36, 31. Elin concilium indicit
M. Fulvius cos. 38, 32.
Elitovius, dux Cenomanorum, tran-
scendit Alpes 5, 35.
Elymaei, populi 35, 48.
Elymaei sagittarii 37, 40.
Emathia, urbs 40, 3. 43, 9. 44, 44.
Emporia, regio 29, 25 et 33. 34,
62.
Emporiae, urbs Graeca, oriunda a
Phocaea 26, 19. cf. et 28, 42. 29,
25. Emporiarum situs 34, 9. Em-
poriis appulit classem Cn. Scipio
21, 60.
Emporitani Hispani se dedunt Catoni
consuli 34, 16.
Emporium prope Placentiam, defen-
sum a Romanis 21, 57.
Emporium ad Tiberim 35, 10. lapide
stratum, stipitibusque septum 41,
32.
Empulum, opp. captum a Rom. 7,
18.
Enipeus, fl. Macedoniae 44, 8 et 20.
Enna, urbs, a Romanis aut malo, aut
necessario facinore retenta 24, 39.
Ennensium principes cum Himilcone
paciscuntur de proditione 24, 37.
cavea inclusi caeduntur a Romanis
39.
Q. Ennius. Eius de Q. Fabio Maximo
dictum 30, 26. status extra portam
Capenam 38, 56.
Eordaea 31, 39 et 40. Eordaeae aditus
33, 8. cf. et 42, 53.
Eordaei, populi 45, 30.
Epanterii montani, cum quibus bel-
lum gerunt Ingauni 28, 46.
Ephesus 1, 45. 33, 38. 36, 42. se de-
dit Romanis 37, 45. attribuitur
Eumeni 38, 39.
Epicadus, occiditur a Gentio, Illyri-
orum rege 44, 30.
Epicadus, praefectus peditum Parthi-
norum in castris Anicii 44, 30.
Epicrates Rhodius 37, 13 et 15.
Epicydes, missus ab Hannibale cum
Hippocrate fratre legatus ad Hie-
ronymum 24, 6 et 23. Syracusis
praetores ambo creantur 27. bellum
inter Syracusanos et Romanos con-
citare nituntur 29. Syracusanum
exercitum sibi conciliant 30 et 31.
occupant Syracusas 32. Romanis
superbe respondent 33. Epicydes
praeest custodiae urbis, a Romanis
obsessae 35. relinquit Syracusas,
magna iam ex parte captas 25, 27.
traiicit in Africam 26, 40.
Epicydes, cui Sindon cognomen, prae-
fectus alterius Epicydis, interficitur
Syracusis 25, 28.
Epidaurus, urbs nobilis templo Aescu-
lapii 10, 47. 45, 28.
Epipolae, locus Syracusis 25, 24.
Epirotae de communi pace legatos ad
Philippum mittunt 29, 12. a Phi-
lippo ascripti foederi, cum Ro-
manis inito, ibid. tentant pacem
Philippum inter et Romanos, frus-
tra 32, 10. non manent sincera
fide in amicitia Romanorum 36,
35. eorum legati ad M'. Acilium
consulem, ibid. mittuntur Romam,
ibid. septuaginta eorum urbes a
Paullo Aemilio diripiendae dantur
militibus 45, 34.
Epirus 8, 24. 31, 7 et 18. Epiri ca-
stella occupantur a Romanis 42,
36. fauces 32, 16. montes 32, 13.
Epossognatus, regulus Gallorum 38,
18.

Epulones triumviri quando primum creati 33, 42. iis, ut pontificibus, datum ius togae praetextae habendae, ibid. cf. et 40, 42.
Epulum Iovis ludorum causa 25, 2. 27, 36. 29, 38. 30, 39. 31, 4. 32, 7. ludorum causa 33, 42. in quo toto foro strata triclinia 39, 46.
Epulae instructae Romae ante omnium domos 3, 29. cf. et 25, 12. similiter et Beneventi 24, 16. quando primum Romae magno luxu apparatae 39, 6.
Equester census 5, 7. equestria spolia 8, 7. equestris Fortunae magnificum templum 40, 40. 42, 3. equestris statua 9, 43.
Equitatus Hannibalis melior equitatu Romanorum 21, 47. post amissam alam, quae Salapiae erat, nunquam deinde superior 26, 38. Aetolorum longe optimus in Graecia 33, 7. Numidarum descriptus 35, 11. Thessalorum 9, 19.
Equites. E publico iis empti altique equi 1, 45. quibus census equester erat, equus publicus nondum erat assignatus, equis suis merere incipiunt 5, 7. iis stipendium assignatum, ibid. triplex 12. institutum a Fabio Rullo censore, ut Idibus Quinctilibus transveherentur 9, 46. gestant annulos aureos 23, 12. principes iuventutis, seminarium senatus 42, 61. equitibus ignominiae causa a censoribus adempti equi publici 24, 18. 27, 11. 29, 37. 39, 44. equites alarii 35, 5. 40, 40. extraordinarii 42, 58. Galli in castris Eumenis 44, 13. legionarii 35, 5. 40, 40. treceni in singulas legiones 8, 8. loricati, quos cataphractos vocant 35, 48. 37, 40. sagittarii 37, 38. ex equis desiliunt et restituunt pugnam 3, 62. 4, 38. pedestrem pugnam committunt 2, 20. 4, 24. detrahunt equis frenos, et perrumpunt hostium agmen 4, 33. 8, 30. sexcenti obsides dantur Samnitibus 9, 5. liberantur 15. ob rem bene gestam corniculis armillisque argenteis donantur 10, 44. et phaleris, catellis ac fibulis 39, 31. in equos suos volites singulos accipiunt 26, 4. in stationibus armati, frenatis equis, totum diem perstabant 44, 33. vicarios Scipioni dant Siculi 29, 1. aerarii facti 27, 13. equitum Romanorum laudes 9, 19. centuriae 4, 8. alae 35, 5. equitibus quantum diviserint imperatores triumphantes 34, 46, et 52. 36, 40. colonis Bononiam deductis septuagena iugera, ceteris quinquagena data 37, 57. trecenis singulae legiones scriptae 8, 8.
Equus publicus 1, 43. 5, 7. assignatus a censoribus 39, 19. equo uti nefas dictatori sine permissu publico 23, 14. equi unde empti altique equitibus Rom. 1, 43. albi currum Camilli triumphantis trahunt 5, 23. equos binos trahentium desultorum mos 23, 29. phaleratos duos Masinissae donant Romani 30, 17. et regulis Gallorum 43, 7. equis crura succidunt Thraces 42, 59.
Eretria Thessaliae 32, 13. et quidem in agro Phthiotico 33, 6.
Eretria Euboeae oppugnatur et capitur 32, 16. libertatem a Romanis accipit 33, 34.
Eretum 3, 26, 29, 38 et 42. 26, 11, 23.
Ergastulum 2, 23. 7, 4.
Ergavia, seu potius Ergavica, nobilis et potens civitas Hispaniae, deditur Romanis 40, 50.
Ericinium, oppidum 36, 13. 39, 25.
Erigonus, fl. ex Illyrico per Paeoniam fluens, in Axium amnem editur 31, 39. 39, 54.
Eriza urbs 38, 14.
Eropus capit Lychnidum 27, 32. 29, 12.
Erycinae Veneri aedes vota 22, 9 et 10. dedicata 40, 34.
Erythrae Aetolorum prope Eupalium 28, 8.
Erythrae Ioniae 37, 27. Erythrarum promontorium 44, 28.
Erythraea 37, 12. 44, 28. Erythraea terra 36, 45. Erythraeae triremes 37, 11.
Erythraei donantur agro 38, 39.
Eryx, mons et oppidum, capitur ab Hamilcare 21, 10 et 41. 28, 41.
Esquiliae 1, 44. 26, 10. in Esquiliis coetus facit plebs 2, 28.
Esquiliarius collis 1, 48.
Esquilina porta 2, 11. 3, 66, 68. 26, 10. 33, 26. 41, 13. ad Esquilinam portam exercitus indictus 6, 22. Esquilina tribus 45, 15. in eam coniecti libertini, ibid.
Esseda Gallorum 10, 28.
Etesiae 37, 23.
Ethopia, urbs 38, 2.
Etleva, uxor Gentii, Illyriorum regis, captiva ducitur Romam 44, 32.
Etovissa, urbs ad Iberum 21, 22.
Etritus, amicus Platoris, occiditur a Gentio, Illyriorum rege 44, 30.
Etruria, vicina Romae 1, 23 et 30. perdomita a Q. Fabio consule 9, 41. rebellat 10, 3. meditatur de-

tionem 27, 21. frenatur 24. Etru-
e concilia 4, 23. 5, 17. 10, 16.
sci vincuntur a Romanis 2, 6, 7.
sident Romam 11. instaurant
llum 44. improbant regem, a
eientibus creatum 5, 1. movent
llum adversus Romanos 6, 2.
sident et capiunt Sutrium 3.
ieduntur, et captivi sub hasta ve-
imdantur 4. parant bellum 7, 17.
ncuntur, ibid. et 9, 35. et sqq.
idutias annuas impetrant 9, 41.
bellant et vincunt Romanos 10,
. funduntur, iisque indutiae bi-
nnii dantur 4 et 5. paciscuntur
um Gallis adversus Romanos 18.
fficiuntur clade 30. Etrusci, gens
nte omnes alias dedita religionibus
, 1. Etrusci haruspices 15. vates
d publica prodigia adhibiti 1, 56.
Etrusci campi fertiles 22, 3.
ruscum mare 40, 41.
ita, filia Honuni, Dardanorum
principis, uxor Gentii, regis Illy-
riorum 44, 30.
vander Arcas instituit in Palatino
monte Lupercale sacrum 1, 5. mi-
raculo literarum inter rudes popu-
los venerabilis 7. Herculem Iove
natum agnoscit, et sacrum ei facit,
ibid.
vander Cretensis, dux auxiliorum,
ad caedem Eumenis subornatur a
Perseo 42, 15 et 59. comes fugae
Persei 44, 43. interficitur a Perseo
45, 5.
Euboea, insula 27, 30. eius urbes Ro-
manis traditae 36, 21. Euboeae
angustiae 31, 23. Coela 47.
Euboicarum civitatum conventus 34,
51.
Euboicus sinus 31, 47.
Eubulidam Chalcidensem sibi ab
Antiocho dedi, postulant Romani
37, 45. 38, 38.
Euctus, praefectus Pellae 44, 43.
Eudamus, praefectus Rhodiae classis
37, 12. vincit proelio navali Han-
nibalem 23. cf. 44, 28.
Eudieru turris 44, 3.
Euersa, Thebanus, civitatis princeps,
sublatus a Perseo 42, 13 et 40.
Euganei, inter mare Alpesque in-
colentes, pelluntur ab Henetis 1, 1.
Eugenium 29, 12.
Euhydrium, oppid. vastatur a Phi-
lippo 32, 13.
Eumenes, rex, Attali filius 33, 30 et
34. auxilium fert T. Quinctio con-
suli 34, 26 et 30. incitat Romanos
ad bellum contra Antiochum 35,
13. occurrit cum tribus navibus C.
Livio, praefecto classis Romanae
36, 42. eius in pugna navali fortis
et fidelis opera 44. dimittitur do-
mum 45. occurrit obviam Aemilio
37, 14. eius regni caput Pergamum
obsidetur a Seleuco, Antiochi filio
18. eius ad Aemilium oratio 19.
praesto est Romanis, in Asiam
traiicientibus 33. itemque in pugna
cum Antiocho 41. proficiscitur
Romam 45. ei datur senatus 52.
eius postulata 53. quae regiones
et civitates ei nominatim datae 38,
39. eius legati de Philippo que-
runtur 39, 27. Romam venit, et
Perseum Romanis suspectum facit
42, 11 et sqq. Eumenem accusant
Rhodii, frustra 14. in eum percus-
sores mittit Perseus 15. ascendens
Delphos lapidibus obruitur, ibid.
sopitus vulnere tollitur, et Aeginam
transfertur 16. redit Pergamum 18.
eius fides dubia 44, 13 et 20. eum
sollicitat Perseus 24. eius consilia,
et cum Perseo nundinatio 25.
auxilia, ab eo missa ad Attalum
fratrem, intercipiuntur a classe
Macedonum 28. Attalo, eunti Ro-
mam, adiungit Stratium medicum
45, 19.
Eumenes, dux Persei, praeest Thes-
salonicae 44, 32.
Eunomus, praetor Thessalorum 35,
39.
Eupalium 28, 8.
Euphanes, dux Cretensis 36, 5.
Euphranor, praefectus Persei, inter-
ficitur a Dolopibus 42, 41.
Euphranor, dux alius Persei 44, 13.
Eupolemus Ambraciam, obsessam a
Romanis, intrat 38, 4.
Eupolemi, principis Hypataeorum,
in exsules perfidia 41, 30.
Euripi Chalcidici descriptio 28, 6.
Euripi fretum 31, 22. Euripi cas-
tellum oppugnat Antiochus 35, 51.
Euripus ad Cassandream 44, 11.
Euromum 33, 30. quae et Euromen-
sium urbs 32, 33. eorum oppida
occupant Mylassenses 45, 25.
Europa 27, 29.
Eurotas, amnis 34, 28. 35, 29.
Euryalus, tumulus Syracusis 25, 25.
Eurydica, mater Gentii, Illyriorum
regis 44, 30.
Eurylochus, princeps Magnetum,
profugit in Aetoliam 35, 31 et 32.
revocatur 34. sibi consciscit mortem
36, 33.
Eurymedon, amnis in Pamphylia 33,
41. 37, 23.
Eurymenae, oppidum 39, 25.
Euthymidas, princeps, Chalcide pul-
sus, frustra tentat patriam in po-

testatem Aetolorum redigere 35, 37 et 38.
Exercitus Romani ordo et numerus descriptus 8, 8. collatio cum Alexandri M. exercitu 9, 19. pedestris instituitur 1, 23. cf. et 27, 14. odio imperatoris sui vinci mavult, quam vincere 2, 59. relictis castris, insidet Aventinum 3, 50. lapidibus obruit M. Postumium 4, 50. exercitus consularis 7, 19. voluntarius 5, 7. sine ulla vacationis venia scriptus 8, 20. tumultuarius 8, 11. navalis 22, 11. urbanus, ibid. et 27, 7. Romanus sub iugum mittitur a Samnitibus 9, 5. in oppidis hibernare vetitus 26, 21. in Hispania molitur defectionem 28, 24. Asiaticus invehit luxuriam in urbem 39, 6. exercitus amissi reus quomodo punitus? 8, 33. reliquiae Cannensis cladis in Siciliam relegatae, ne ante finem belli Punici in Italiam reportarentur 25, 5. augendi species 22, 36. 36, 10. 39, 38. 40, 1, 36. exercitus numero copiarum insignes apud Romanos, nempe decem scriptae legiones 2, 30. 7, 25. armati 87200 in castris Rom. cum pugnatum ad Cannas est 22, 36. exercitus lustrati 1, 44. 38, 12. 40, 6. exercitus itineribus et mutatione locorum salubrior 10, 25. exercituum seditiones 2, 32, 43 et 59. 3, 50. 4, 50. 7, 38—42. 28, 24. sqq. in exercitu Hannibalis, mixto ex colluvione gentium, nulla seditio 28, 12.
Exodia 7, 2.
Exploratores Romanos inter Numidasque certamen 21, 26. Romani pressi, pellunt Macedones 33, 7.
Exsecratio Atheniensium in Philippum 31, 44.
Exsilium capitalis poena Romanis 26, 3.
Exsules occupant noctu Capitolium 3, 15. exsules Lacedaemonii 34, 26. reducuntur ab Achaeis 38, 30—34. exsules Hypataei 41, 30.
Exta laeta prolationem finium, victoriam et triumphum portendunt 31, 5. cruda in mare proiicit Scipio 29, 27. primo trunca et turpia, deinde nimis laeta 27, 26.
Exuvias non militum tantum, sed et imperatorum, portat Hannibalis exercitus 30, 28.

F.

Fabia gens 2, 45. bellum cum Veientibus suscipit privato sumpta 48. ser et trecenti milites, omnes patric. e gente Fabia 49. a Veientibus caesi omnes, uno tantum e stirpe relicto 50.
Fabiae sorores, M. Fabii Ambusti filiae 6, 34.
Fabius Pictor, auctor antiquissimus 1, 44 et 55. 2, 40. 8, 30. 12, 5. 22, 7.
C. Fabius, cos. iussu populi Tarquiniensibus bellum indicit 7, 12. ma. contra Tarquinienses rem gerit 15. creatur interrex 17.
C. Fabius, magister equitum 9, 13.
Caeso Fabius Ambustus, quaestor 54. trib. milit. consulari potestate 61. iterum 5, 10. praeest castris ad Veios 12. tertium trib. milit. 24.
Caeso Fabius, quaestor, diem peduellionis dicit Sp. Cassio cos. 2, 41. creatur cos. 42. iterum 43. exercitus eius non vult vincere. ibid. pugnam cum M. Fabio fratre consule, restituit 46. tertium cos. 48. gentis suae orator ad senatum. ibid. et dux, proficiscitur ad bellum Veiens 49.
C. Fabius Dorso per medios hostes (Gallos) in Quirinalem collem pergit, ibi sacra peragit, et in Capitolium ad suos redit 5, 46.
L. Fabius, legatus a Scipione ad Carthaginienses 30, 25.
M. Fabius, Caesonis frater, cos. 2. 41. iterum 43. adversus Veientes egregie rem gerit 44—47. triumphum sibi decretum recusat 47. legatus 4, 27. trib. milit. consulari potestate 6, 36. interrex 7, 17, 22. 8, 3. dictator 7, 22. triumvir coloniae Cales deducendae 8, 16.
M. Fabius, pontifex maximus, praefatur carmen, quo primores Romanorum sese, adventantibus Gallis, pro patria devovent 5, 41.
M. Fabius Ambustus, trib. milit. consulari potestate 6, 22. eius filiae duae nuptae, Ser. Sulpicio maior. minor C. Licinio Stolone 34. consilia init cum genero et L. Sextio de via plebeiis hominibus ad consulatum aperienda, ibid. trib. milit. consulari potestate iterum 36.
M. Fabius Ambustus, cos. 7, 11. dicit exercitum adversus Hernicos. ibid. eius res gestae, ibid. eius urbem ingreditur, ibid. secundum cos. 17. a Faliscis fusus, restituit aciem, ibid. cos. tertium 18. dictator 22. pro filio, magistro equitum, adversus Papirium dictatorem con-

dit 8, 33. magister equitum

ve Caeso Fabius, Fabii Rulli ter 9, 36.
abius Buteo, sine magistro equin dictator ad supplendum setum dictus 23, 22. senatu lecto, se extemplo magistratu abdicat . aedilis curulis 30, 26. creatus aetor, sortitur Sardiniam 40.
Fabius Dorso, cos. creatur 7, 28.
Fabius Vibulanus, cos. 4, 11. letus 17, 19 et 27. trib. milit. cos. ot. 25.
n. Fabius Ambustus, trib. milit. os. pot. 4, 58.
Fabius Buteo creatur praetor 41, 3. sortitur Hispaniam citeriorem 2, 1. Massiliae moritur 4.
Fabius Vibulanus, cos. 4, 43. trib. milit. consulari potestate 49. iterum 57.
Fabius, cos. 2, 41. iterum 43. in proelio occiditur 46.
Fabius, is, qui unus exstinctae ad Cremeram genti superfuerat, cos. creatur 3, 1. iterum 2. rem bene gerit adversus Aequos, ibid. populatur eorum agros 3. praefectus urbis, resistit tribuno, legem de minuendo consulari imperio ferenti 9. cos. tertium, vincit Volscos 22. Tusculanis fert auxilium 23. legatus ad Aequos 25. decemvir legibus scribendis 36. eius ingenium non tam gnavum in malitia, quam in bono parum constans 41. mittitur ad bellum in Sabinos, ibid. cum collegis exsilii causa solum vertit 58.
Q. Fabius, legatus ad Gallos, ducem eorum occidit hasta 5, 35 et 36. cum duobus fratribus creatur tribunus militum, ibid. ei dies dicta 6, 1. moritur, ibid.
Q. Fabius, uxoris T. Quinctii Flaminini sororis filius, mittitur Romam 32, 36.
Q. Fabius Ambustus, cos. 4, 52.
Q. Fabius Ambustus, magister equit. 7, 28.
Q. Fabius Ambustus, dictator 9, 7.
Q. Fabius Buteo, praetor, sortitur Hispaniam ulteriorem 33, 24 et 26.
Q. Fabius Buteo, praetor, sortitur Galliam provinciam 40, 18. ei prorogatur imperium 36. creatur triumvir coloniae deducendae 43. quinquevir, ut de finibus statueret, cognosceret 45, 13.
Q. Fabius Maximi filius Gurges multat aliquot matronas, stupri damnatas, pecunia 10, 31. aedem Veneris curat faciendam, ibid. cos. 47.
Q. Fabius Labeo, quaestor urbanus 33, 42. ei magnum certamen cum sacerdotibus propter tributum solvendum, ibid. creatur praetor 37, 47. praeest classi 52. traiicit in Cretam 60. eius res in Asia gestae 38, 39. triumphat 47. candidatus consulatus, nec semel repulsam passus 39, 32. triumvir duabus coloniis deducendis 44. cos. 45. pontifex 40, 42.
Q. Fabius Maximus Rullianus, aedilis curulis 8, 18. iterum, secundum quosdam auctores 10, 9 et 11. magister equitum 8, 29. adversus imperium L. Papirii dictatoris pugnat cum Samnitibus, et prospere rem gerit 30. concremat arma hostilia, ibid. citatur a dictatore 32. sese recipit ad triarios, qui eum dictatori eripiunt, ibid. fugit Romam 33. noxae damnatus, donatur populo 35. vetatur quicquam pro magistratu agere 36. creatur cos. 38. interrex 9, 7. dictator 22. capit Saticulam, ibid. vincit Samnites 23. iterum cos. 33. adversus Etruscos proficiscitur, eosque fundit 35 et sqq. iussus a senatu, L. Papirium Cursorem, cui infestus privatim erat, dictatorem dicit 38. ob egregie perdomitam Etruriam ei continuatur consulatus 41. vincit Samnites et Umbros, ibid. ei prorogatur imperium 42. censor omnem forensem turbam in quattuor urbanas tribus coniicit 46. Maximi cognomen ei datur, ibid. ab eo institutum, ut equites Idibus Quinctilibus transveherentur, ibid. invitus cos. quartum creatur 10, 13. vincit Samnites 14. consulatum recusat 15. cos. quintum 22. eius certamen cum P. Decio collega de provinciis 24. egregia eius in agro Sentinati victoria 27 et 29. triumphat 30.
Q. Fabius Maximus Verrucosus, legatus Carthaginem mittitur 21, 18. prodictator creatur 22, 8. libros Sibyllinos inspici postulat, idque pervincit 9. eius consilia de bello gerendo 11. pugnam detrectat 12. eius artes, ibid. magistrum equitum infestum sanis consiliis habet, ibid. et 14. eius cunctatio et in castris et in urbe infamis 15. ab Hannibale deluditur 16 et 17. sacrorum causa Romam vocatur 18. inviolatum ab Hannibale agrum suum

vendit captivis redimendis 23. eo absente, Minucius rem non improspere gerit 24. ipsi aequatur magister equitum 25 et 26. cui laboranti, et paene iam victo, fert suppetias 28 et 29. magister equitum sub eius imperium auspiciumque sponte redit 30. exacto semestri imperio, abdicat se dictatura 31. eius ad L. Aemilium Paullum consulem oratio 39. eius consilium post cladem Cannensem 55. creatur pontifex 23, 21. duumvir aedibus dedicandis 31. cos. tertium, ibid. eius res gestae 46—48. eius oratio de creandis consulibus quam praestantissimis 24, 8. cos. quartum creatur 9. Casilinum oppugnat 19. legatus filio consuli ad Suessulam venit 44. Hannibale ad Romam oppugnandam veniente, censet abscedendum non esse a Capua 26, 8. cos. quintum 27, 7. senatus princeps 11. Marcellum per literas monet, ut quam acerrimo bello detineat Hannibalem 12. Manduria vi capta, obsidet Tarentum et capit 15. Deos iratos Tarentinis iubet relinqui 16. Livium et Neronem consules sibi mutuo reconciliat 35. Scipioni, in Africam transcendere cupienti, adversatur 28, 40. eius oratio, ibid. et sqq. truci oratione et sententia Scipionem impugnat 29, 19. moritur 30, 26. eius laudes, ibid.

Q. Fabius, filius praecedentis, praetor 24, 9. sortitur Apuliam 12. absens creatur cos. 43. patrem iubet descendere equo 44. Altinium Arpinum iubet vinciri 45. capit Arpos 46.

Q. Fabius legatus ab M. Livio cos. Romam ad senatum mittitur 28, 9.

Q. Fabius, augur in locum patris electus 30, 26. moritur 33, 42.

Q. Fabius, quaestor 39, 29.

Q. Fabius Maximus, praetor, sortitur iurisdictionem peregrinam 40, 18.

Q. Fabius Maximus, filius L. Aemilii Paulli consulis 44, 35. nuntius victoriae de Perseo mittitur Romam 45. et 45, 1. mittitur a patre ad Aeginium et Agassas diripiendas 27. et ad Illyrios depopulandos 33.

Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum mittitur 22, 57. Delphis Romam redit responsumque ex scripto recitat 23, 11. vid. supra Fabius Pictor.

Q. Fabius Pictor, flamen Quirinalis, creatur praetor 37, 47. ei Sardinia provincia evenit 50. prohibetur a pontifice maximo ire in provinciam 51. moritur 45, 44.

Q. Fabius Vibulanus cos. 4, 37. tria milit. consulari potestate iterum 49. primus eius tribunatus in Livio non reperitur, sed supplendus ex ex Fastis Capitolinis et Diodoro, ad tertium ante annum, extrema Liviani libri IV. 47. interrex 51.

Fabraterni, populi, recipiuntur a Romanis in fidem 8, 19.

C. Fabricius Luscinus, praetor, sortitur iurisdictionem urbanam 35. 42, 43. legatus 37, 4.

Fabrûm centuriae duae in prima classe 1, 43.

Faesulae 22, 3.

Falarica, genus teli 21, 8. 34, 14.

Falerina tribus addita 9, 20.

Falerii. vid. Falisci.

Falernus ager 7, 26. 10, 20. 21. 12. 13. dividitur usque ad Vulturnum fl. plebi Romanae 8, 11.

Falisci auxilio veniunt Veientibus et Fidenatibus 4, 17. ad Veios, a Romanis obsessos, accedunt 5, 8. adiuntur castra Romana, ibid. et 13. vincuntur a Camillo 19. eorum castra capiuntur, et urbs obsidetur 26. magistri, Faliscum investigantes prodentis, supplicium 27. Falisci dedunt se Romanis, ibid. rebellant 7, 17. indutias quadraginta annorum impetrant 22. iis bellum indicitur 10, 45. pacem petentibus indutiae annuae datae 46. eorum legati Romanos docent, Etruscos concilia de pace petenda habere 10, 14.

Faliscus ager 10, 12, 26, 27.

Fames Romae 2, 34. 3, 32. tanta, ut multi ex plebe capitibus obvolutis se in Tiberim praecipitarint 4, 12. cf. et 52. Capuae 25, 13.

C. Fannius, trib. pl. 38, 60.

Fanum Aesculapii, tabulis pictis ornatum 43, 6. Apollinis, et oraculum ad Hieran Comen 38, 12. 13. Dianae 1, 45. Feroniae 1. 30. Herculis 40, 51. Palloris 1. 17. Pavoris, ibid. Proserpinae 29, 18. expilatum a Pleminio 29, 8 et 18. cf. et 31, 12. 32, 1. Quietis 4, 41. Termini 1, 55. Voltumnae 4, 23. 25 et 61. 5, 17. 6, 2.

Fanum quomodo differat ab aede 10, 37. fanorum expiatio in libris per duumviros quaesita 5, 50. in fanis omnibus, in quibus lectisternium maiorem partem anni fieri solet, consules res divinas maioribus hostiis faciunt 36, 1.

Far, fructus, quem consumere reli-

iosum est 2, 5. farris selibrae M. Manlio datae 5, 47.
sces non ambo consules in urbe iabent 2, 1. populo submissi a P. Valerio 7. capti a Poenis, ponunur ante tribunal imperatoris 25, 16. a multitudine concitata franguntur 2, 55. 3, 49.
stos circa forum in albo proponit Flavius, ut, quando lege agi posset, sciretur 9, 46. fasti, in quos nomina consulum dictatorumque cum eorum rebus gestis referebantur 9, 18.
